DE

PRINCIPIIS THEOLOGIÆ


NATURALIS ET REVELATÆ

SUMMATIM COLLECTIS


A F. CONSTANTINO BATTINIO

ORDINIS SERV. B. V. MARIÆ IN IMP. ET R. PISARUM

ACADEMIA SAC. THEOL. LECTORE.



VOLUMEN II.





PISIS

EX TYPOGRAPHEO NISTRIO

M. DCCC. XXIV.

DE PRINCIPIIS THEOLOGIÆ NATURALIS ET REVELATÆ

SECTIO III.

DE VERA CHRISTI ECCLESIA, DEQUE EJUSDEM DOTIBUS ET AUCTORITATE.

Divinam factam fuisse Revelationem, eamque in canonicis Sacræ Scripturæ Libris extare, nec non in receptis ab Ecclesia Catholica Dominicis Traditionibus satis superque jam demonstrasse confidimus. At id non sufficit ostendisse; cum noscere præterea maximopere præstet, quænam media Dei Optimi Maximi providentia præparaverit, per quæ ad omnium notitiam revelatæ hujus doctrinæ recta intelligentia tuto pertingeret. Inconsultò enim quispiam arbitraretur, hanc cælestem doctrinam, ut vidimus, hominibus cognitu necessariam, Deum judicio singulorum dirimendam ac interpretandam deseruisse, quo nihil stultius affirmari posset. Quinimo ipsa ratio suadet, ut S. Scriptura loquitur, *per testes praeordinatos* ac divina suffultos auctoritate voluisse Deum, ut singulis hominibus annuntiaretur et exponeretur, ne scilicet essent *veluti parvuli fluctuantes, qui circumferrentur omni vento doctrinae in astutia hominum ad circumventionem*

erroris. Quænam ergo hæc sint media, quibus veluti per canales tutos et integros doctrina divinitus revelata ad hominum notitiam percurrat, modo est inquirendum. Hoc enim statuto principio dissidia quæque, hæreses erroresque uno quasi ictu concidant necesse est. Atque ut clarius procedamus et ordinatim, primitus quæ homines in sui perniciem opinati sunt expendemus et refutabimus, dein quodnam Tribunal ad judicandum de rebus tanti momenti Deus statuerit, et quosnam audire nos jusserit, ostendemus.

CAPUT I.

DE JUDICE CONTROVERSIARUM CIRCA FIDEM, DEQUE VIA PRIVATI EXAMINIS A DEI ECCLESIA ELIMINANDA.

I. Legitimum Judicem sensus divinarum Scripturarum non quemlibet privatum hominem, sed esse veram Christi Ecclesiam, cœtum nempe Pastorum, Romanumque Pontificem totius Ecclesiæ Caput et doctorem ab ipso Christo Domino constitutum jam supra innuimus (Sect. II. C. IX. N. IV.). Huic affinis est controversia, quam movere ausi sunt recentes heterodoxi circa Judicem in rebus Fidei, quæ superiorem etiam comprehendit, quæque modo est data opera dirimenda antequam de Ecclesiæ Dei prærogativis et notis pertractemus; ut nempe hostibus a suis diverticulis expulsis Catholica veritas fulgidius elucescat. Protestantes enim aliæque sectæ eis propinquæ, quo liberius errores incautis propinent, hanc auctoritatem quam ex divino instituto Ecclesiæ proceribus vindicamus, quasi usurpatam quamdam tyrannidem oderunt et execrantur

atque in judicando de rebus Fidei, deque sensu Verbi Divini, libertatem singuli sibi tribuere gestiunt. Verum interrogati, quanam ratione hoc suo privato judicio ad veritatem certò queant pertingere, ac tutò cæteris credendam et divinitus amplectendam exponere, in varias abierunt opinationes. Nonnulli Dei verbum adeo per se clarum esse atque perspicuum affirmant, ut nullo alio judice opus sit, sed ipsa Scriptura Sacra sola sit sui judex ac norma. Quam absurdum sit hoc effugium ex superioribus (Sect. II. Cap. VIII.) facile quisque cognoverit; quod tamen ex alia parte expendemus, ut pateat ab adversariis precariò prorsus assumi. Alii *spiritum privatum* jactitant genuinum aut spurium Revelationis sensum eis dictantem. Quidam humanæ tantum rationi potestatem vindicant de Fidei dogmatibus judicandi. Nec desunt tandem, qui judicem quemcumque respuentes, liberum esse unicuique pronuncient, ut prout sibi collibitum fuerit, de unoquoque dogmate sentire queant, ac ferre judicium; atque hi sunt qui pestiferi *tolerantismi* sive *indifferentismi* auctores habentur. Varia hæc heterodoxorum systemata incerta, inutilia, falsa, Spiritui Sancto injuriosa, atque intoleranda temeritate conficta, licet corruant per sese, modo tamen explodenda sunt, ut pateat quibusnam cavillulis sustententur, et ut Catholica veritas lucidius pateat et confirmetur.

II. Atque ut a via privati judicii et examinis exordiamur, *Criterium hoc non omnibus esse possibile in Fidei articulis dirimendis, nec medium tutum ad veritatem cognoscendam* invictis ostenditur argumentis: Exploratum est enim apud omnes, plures Fidei nostræ articulos etiam ab idiotis explicitè credendos es-

se, cæteros verò articulos Fide saltem implicita ab omnibus credi oportere: alioquin cur illos Deus revelasset? At quomodo rudes hac via examinis ad certam horum dogmatum cognitionem pertingent, ut queant de iis Fidei actum elicere? Oporteret enim 1. Ut Scripturam Sacram attentè legerent ac penitus intelligerent. 2. Ut hebraicos et græcos textus, qui soli sunt divinitus inspirati, consulerent. 3. ut horum textuum incorruptibilitatem noscerent, et legitimum sensum assequerentur. Quæ sola si cuique peritissimo essent difficillima, ne dicam semper incerta, rudibus sanè redduntur impossibilia. Ajunt quidem adversarii, suos catechismos Scripturarum testimoniis communire solere, quibus rudes contenti esse debeant. At ludificare nos tentant. An ne inde tutum de sua Fide judicium ferent rudes? Quanam via scire poterunt, an ea loca sint ex libris divinis expressa? An sint textibus primigeniis conformia? Au eo sensu accepta, quo fuere divinitus inspirata, potissimum cum de iis diversi, iique doctissimi, tam diversa sentiant? Rudes ergo ea via non nisi humano, eoque imbecillo testimonio credere possent. Cum ergo rudes sola auctoritate in Religionis negotio ducantur oporteat, iniquè agunt heterodoxi, qui eos a Catholicæ Fidei auctoritate divellunt, ut hæreticis fabulis assentiantur. Nam rudes Catholici non suis pastoribus sed universalis Ecclesiæ auctoritate innituntur, quam infallibilem esse certò sciunt, et cujus Fidem sibi a pastoribus prædicari tutò cognoscere possunt; quæ securitas inter heterodoxos deest. Sed neque ipsi inter eos Sacrarum Literarum consultissimi certi de sua Fide esse queunt; tum quia de proprii judicii infirmitate metuere debeant; tum etiam quia plures noverunt a sua e-

pinione dissentire, et maxime universam Catholicam Ecclesiam ab initio ad nos usque; ut absonum ac temerarium prorsus sit, tantam contemnere auctoritatem, ut proprio ingeniolo indulgeatur. Adversarii præterea non modo argumenta omnia validissima dissolvant oportet, quæ ipsis a Catholicis objiciuntur, sed ipsa Concilia generalia errasse opinentur necesse est, ut nunquam præsumere valeant, se veritatem attigisse. Nam cum hæc Concilia velint errori fuisse obnoxia (quod impium est opinari); cur non potiori jure falli se posse sentient? Quis eos certos reddet in examine instituendo non peccasse? Quis tutos eos faciet in sensu Scripturarum investigando, in textibus interpretandis, in ratiocinationibus instituendis, in inferendis illationibus non errasse, quæ sanè omnia non sunt Dei verbum, sed verba et cogitata hominum, in quibus, secluso etiam studio partium et odio contrariæ doctrinæ, errores sæpe immisceri experientia constat? Necesse est ergo ut adversarii dubii semper fluctuent, et suspensi animo pendeant et hæreant anxii.

III. Effugia plurima investigarunt heterodoxi quo se ab his laqueis expedirent. Et quid non molitur pervicax pertinacia? Ajunt enim ipsos Catholicos imo et Sanctos Patres hanc viam examinis instituisse. Qui dum hæc regerunt ad abnorme discrimen animadvertere nolunt quod inter nostram eorumque methodum intercedit. Nos quippe firma Fide de inerranti Ecclesiæ magisterio persuasi, ejus doctrinam ex Scripturis eas interpretando illustramus, et ratiocinationibus ostendere conamur, ac adversus hæreticos tueri; parati semper tum interpretationes tum argumenta emendare juxta Ecclesiæ ipsius judicium, cui Spiritus Sanctus

perpetuò præsto est ne aberret; ut propterea Fides nostra non jam nostris ratiociniis aut interpretamentis fulciatur, sed ipsius Ecclesiæ auctoritate. Heterodoxi e contra non in auctoritatem tantam, sed in proprium privatum judicium et in humana opinamenta, incerta semper et erroribus mendaciisque subjecta, Fidem suam resolvunt: quæ utique nunquam Fides habenda est et obsequium divinæ auctoritati præstitum, sed opinio et persuasio humana nullo merito nulloque præmio afficienda. Est enim Fides non sibi, sed alteri credere legitima suffulto auctoritate. Hi verò non Ecclesiæ, non Deo Ecclesiam docenti credunt; at credunt sibi ipsis, ut ea Fide prorsus sint destituti, *sine qua impossibile est placere Deo*. A quibus laqueis cum extricare se adversarii non valeant, rursus iisdem tricis Catholicos tentant involvere, dum inquiunt, oportere, ut hi ad propriam fidem stabiliendam inquirant, an hæc Ecclesia ea gaudeat prærogativa, qua illius auctoritati acquiescere tutò debeamus, et an Ecclesia hæc sit ipsa Catholico-Romana Ecclesia; quæ rudibus sunt æquè inventu impossibilia, omnibus verò labilia et incerta. Sed immensum esse inter utrosque discrimen quis non unico intuitu perspiciat? Nam heterodoxi universam revelatam doctrinam, et singula capita suo examini ac fallaci judicio subjiciant necesse est, nisi velint absque ratione ulla neque divina neque humana, ea sibi dogmata persuadere. Verum Catholicis satis est, quod veram Christi Ecclesiam agnoscant, quæ cum semel eis innotuerit, jam illius auctoritas, et universa cœlestis doctrina prono alveo fluunt. Hanc verò Ecclesiam tot prærogativis ac notis Dei Providentia distinxit, ut nemo eam ignorare possit, ii potissi-

mum qui in illius sinu degunt, nisi qui oculos sibi adimunt, mentemque pervertunt, ut inferius sumus demonstraturi. Alioquin error et incredulitas imputari hominibus jure non posset, sed defectus Deo tribuendus esset, qui non sufficienter suam voluntatem nobis manifestasset; quæ impia sunt et absurda. Itaque heterodoxi ut sibi excusationem prætendant, Deum ipsum summamque ipsius providentiam ac sapientiam impiè accusant.

IV. Cæterum Catholici etiam rudes facile ac tutò cognoscere valent in vera versari Ecclesia, qui noverunt suos Pastores continuata serie ab Apostolis descendisse, cum Romano Pontifice societatem servare, omnium generalium Conciliorum doctrinam prædicare et amplecti, eamdemque Fidem profiteri, quam ubique terrarum omni aevo Ecclesia Dei professa est; nec audiverunt unquam a suis majoribus immutationem ullam in Fidei professione fuisse factam, ut audiunt a novatoribus actum esse. Imo cum aliquando nebulones nonnulli novam pertentant eis doctrinam ingerere, perterrentur, et rudes præsertim qui religione et moribus præstant hos impostores oderunt et aversati sunt. Hinc ex Catholicis nemo ad hæreticorum castra defecit, nisi perversi quidam et moribus depravati; cum ex adverso in Catholicæ Ecclesiæ sinum probi tantum viri et bonæ voluntatis ac indolis ex heterodoxis confugiant. qui non ad alias Sectas declinant Veræ Ecclesiæ characteribus destitutas, sed Romanam semper Ecclesiam inquirunt. Constat itaque experientia ipsa, Veram Dei Ecclesiam a rectis corde semper cognosci, et ab iis qui eam sincerè inquirunt, tutò inveniri; ut propriam de-

beant perversitatem accusare, qui eam simulant non videre. Quare insaniunt heterodoxi, dum ajunt, viam Auctoritatis, quam ex Christi mandato sequuntur Catholici ad pyrrhonismum perducere, cum potius nulla sit tutior via ad hunc scopulum evitandum, quam se infallibili Ecclesiæ judicio committere. Hinc Fidem Christus maximè commendabat, eamque discipulis præcipiebat, ut certò possent veritatem agnoscere; quod sæpe occurrit in Evangelio. Præclara ea de re habet Augustinus *Cont. Epist. fundamenti* Cap. 4. et toto libro *de Utilitate credendi*, ubi Cap. 14. Manichæos redarguens scribit: *Fide Christus ducebat, vos ratione ducitis: clamabat ille ut crederetur, vos reclamatis: laudabat credentes ille, vos objurgatis.* Videant heterodoxi quos sequantur antesignanos.

V. Clamant rursus heterodoxi, cuicumque jus esse ea quæ ad æternam salutem pertinent diligenter expendere, ne sine ullo judicio et pecudum more in antiquis erroribus detineantur. Sed non est, cur tantopere vociferentur, cum nemo eis hoc jus denegaverit, et Apostolus clamet, *rationabile* esse debere *obsequium nostrum*. An ne arbitrantur Novatores sine ratione Catholicos Ecclesiæ docenti assentiri? An tot Patres, totque Ecclesiæ Doctores stupidos heterodoxi et bardos æstimant, quos potius prudentissimos quisquis habere debeat? De modo itaque hujus studii instituendi inter Catholicos atque heterodoxos disputatur, statuiturque pessimam esse methodum, quam hæretici inire volunt, quæque rectà aut ad fanatismum, aut ad pyrrhonismum ducat, cum è contra tutissima viâ eâque Divinitus patefacta Catholicos incedere manifestum sit. Nam seposita Ecclesiæ auctoritate tot divinitatis characteribus

communita, et quæ primitus agnoscenda et amplexanda est, tanta, inquam, heterodoxi, posthabita auctoritate, omnia quæ docet proprio marte et imbecilli ingenio ad trutinam revocare contendunt, suoque imbelli judicio sive Scripturas ipsas, sive sensum earumdem, sive dogmata quæque subjicere; ut si quæ occurrant, quæ non eis arrideant, jus sibi usurpent ea reprobandi: studium immensum et scopulis plenum, ac ipsis doctissimis impossibile, nec etiamsi mille annis viverent terminandum: præterea divinæ providentiæ prorsus injuriosum, quodque absque Fidei jactura nemo aggredi posset: intolerabili demum arrogantia præsumunt vel ipsi doctiores, ea quæ ab Ecclesia Catholica divina communita auctoritate semel definita sunt, iterum in controversiam revocare.

VI. Revera quis unquam nisi stultus et arrogantissimus fingere sibi potuisset, Christum Dominum, qui est ipsa Sapientia Dei Patris, suam eminentem doctrinam delatam e Cælo uniuscujusque homuncionis judicio et affectui reliquisse discutiendam? Et cum humana quælibet Judices ac Tribunalia postulent ad lites concertationesque dirimendas, divina illa, a quibus tota nostra tranquillitas ac felicitas pendet, sine supremo Custode ac Judice a Christo deserta fuisse, et singulorum arbitratui commissa? Quænam hæc esset societas, quænam Religio in perpetua partium et opinionum dissensione scissa atque divulsa, et quam instituisse quemlibet puderet humanum legum latorem? Nec reponant, quemlibet in Sacris Scripturis meditandis divino Spiritu afflari, quod nec ipsi unquam sibi suadere poterunt, qui optimè norunt id confinxisse ut os rudibus sublinerent. Primo enim non ignorant principium petere,

sive ponere pro principio quod sit ad summum in controversia positum, imo quod sit falsum omninò et absurdum. Quomodo enim staret principium illud in tota Christi Ecclesia per quindecim sæcula inauditum et exinde perpetuò explosum? Sed nova in Ecclesia non modo suspecta, quin et falsa continuò habita sunt. Videant itaque id Novatores, qui Ecclesiam Catholicam de novis inventis criminari sæpe non verentur. Deinde Spiritus Sanctus, Spiritus nempe veritatis, non posset nisi veritatem, quæ una semper est, inspirare. Hi verò in suis dogmatibus venditandis tanta sunt in inconstantia ac dissensione constituti, ut quot capita tot ferme sententias enumeres, et quod heri affirmasse audiveris, hodie reprobent atque abjiciant (Ex C. XVIII. Sect. I.). Quomodo ergo blasphemare audeant, spiritu se veritatis afflari? At de hac in Fide inconstantia, deque contrariis eorumdem opinamentis sufficiat Bossueti Historiam *De Variationibus* percurrisse.

VII. Cæterum si a privato spiritu certò quilibet edoceretur, frustra Ecclesiam et Præsules Christus, ut docerent, instituisset: frustra prædicatores, ut populi crederent, linguarum dono et miraculorum ditasset: frustra unitatem in Fide et in regimine servandam tantoperè commendasset. Tædet absurda hæc, quæ per se cadunt, longiori confutare oratione. Quanquam hæretici rationem dare debuissent, cur, si privatus spiritus docet unumquemque, tanto apparatu tantaque temeritate audeant doctrinas catholicas impugnare, nec eas modo quas doctores privati docent, sed eas etiam quas tota antiquitas et universalia Concilia docuere? An forsan dicturi sunt, hæreticos tantum a Catholica Ecclesia extorres Spiritum veritatis fuisse aucupatos?

Non putamus eo usque insanivisse. Cur ergo eas doctrinas impugnant? Nonne jure merito metuere debent, ne Spiritui Sancto resistant?

VIII. Quod vero ajunt ex Catholica doctrina *indifferentismum* induci, eo quod, si standum sit auctoritati, jam quilibet poterit in sua secta in qua natus est auctoritate majorum tutò conquiescere; hoc, inquam, dicere est planè ineptum, imo et Providentiæ Divinæ injuriosum, quasi Veram Religionem non satis manifestam fecerit; cum potius tot eam signis et characteribus Deus communiverit, ut quisquis eam evidenter agnoscere valeat, et ab humanis commentis, si velit, quam facillime discriminare. Cum ergo Auctoritati standum esse affirmamus, non de quacumque id auctoritate dicimus; at verò de Catholicæ Ecclesiæ Auctoritate id modo propugnamus, quæ tot tantisque argumentis Auctoritatis divinæ stipata est, ut eidem sine piaculo refragari nemini liceat. Quilibet itaque et debet et facile potest evidenter cognoscere Religionis Christianæ veritatem: deinde non minori morali evidentia, quænam inter Christianorum Societates sit legitima et Vera Christi Ecclesia distinguere. Ad hæc enim duo cognoscenda præsto sunt firmissima *Credibilitatis* motiva, ac tali evidentia morali suffulta, ut ea rudes quoque haud difficulter percipere queant. Quæ cum quis agnoverit tuto in Catholica Ecclesia vivere debet, quin ei opus sit, quidquam ulterius expendere.

IX. Hinc elucet, oppidò insanire Adversarios, cum ajunt, hanc *viam auctoritatis* rationem destruere et examinandi adimere potestatem. Quid enim agit ratio cum motiva considerat *Credibilitatis*, et pondus agnoscit Auctoritatis cui credit? Non ne hinc *rationa-*

bile reddit *obsequium* suum? At postquam certò ratio cognoverit, divinam esse doctrinam quæ credenda ei proponitur, eamdem velle ad judicii sui trutinam adigere, an id stultum magis, quàm impium sit et Deo injuriosum, ignoro; idque eo magis, cum de proprietatibus aut de operibus divinis agitur humanæ rationi imperviis, in quibus non melius utimur ratione quàm Deo Fidem dando. Sed et rationi valde consentaneum deprehenditur, Dei providentiam ad turbas, errores, et dissensiones compescendas Judicem controversiarum in Ecclesia constituisse ut pax et unitas servaretur, cui propterea omnes parere deberent, et sine quo nec puritas doctrinæ, neque concordia stare possent. Id verò ingeniorum tyrannidem nominare, idem prorsus est ac vivere sine Lege ulla velle. Cum enim noverimus, dogmata quædam fuisse a Deo revelata, non ne Religio, non ne ipsa ratio exigit, ut eidem intellectum subjiciamus et promptum præstemus obsequium? Quod si Deo placuit ut per Ecclesiæ suæ ministerium ea nobis doctrina fieret manifesta, an ideo tyrannidis erit insimulanda, quod auctoritate divina præceptum eidem credendi nobis imponat?

X. Nec inde timendum, ut hæc via Auctoritatis *fanatismo* faveat; cum potius nihil sit magis fanatismo adversum quam Ecclesiæ Auctoritas, qua jubemur nec nobis ipsis, nec alii cuicumque privato credere, sed universæ Ecclesiæ, cui, ne aberret, Spiritus Sancti assistentia promissa est. Fanatismus autem est, cum quis privatim se divinitus inspiratum credit in iis quæ circa Religionem aut facit aut cogitat, falsò tamen ac sine vero et legitimo argumento ullo. Itaque Ecclesia, ne quis in hoc vitium labatur, fideles admonet Apostoli

verbis: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, utrum ex Deo sint*: Aut illo Sapientis monitu: *Ne sis prudens apud temetipsum*. (sup. Sect. I. C. XI.). At qua fronte queant Protestantes fanatismi catholicos accusare, ignoramus; cum potius omnes fanaticorum sectæ ex illorum absurda opinione ortæ sint et propagentur, unde *Quakerorum*, *Anabaptistarum*, *Inspiratorum* agmina prodiere.

CAPUT II.

QUOD SCRIPTURA SACRA SUPREMUS CONTROVERSIARUM FIDEI JUDEX STATUI NEQUEAT.

I. Dum præsentem adversus Protestantes disputationem aggredimur, attentè animadvertendum est, eos vociferari solere, se Scripturis Sacris tantum præstare Fidem velle, easque solas Ecclesiæ anteferre judicio. Res tamen non ita est; sed privatum suum judicium Universæ Ecclesiæ judicio præferre gestiunt. Eò enim controversia redit: an fideles in Scripturarum interpretatione debeant Ecclesiæ judicio assentiri: an potius repudiata Ecclesiæ et Conciliorum auctoritate debeant peculiari judicio expendere, quinam sit Scripturarum sensus, eundemque amplecti, qui verior sibi videatur. Atque has primas partes privato suo judicio quemlibet tribuere debere Protestantes pro aris et focis tuentur. Pudet eos sanè id apertè fateri; hinc ut tantam emolliant absurditatem, ajunt, Scripturæ intelligentiam non aliunde, quàm ex aliis Scripturæ locis esse petendam, atque hinc eamdem dicunt omnium judicem controversiarum. Verbis tamen ludunt adversarii; supre-

ma enim rejecta Ecclesiæ auctoritate, et ejus loco via examinis invecta, semper verum erit, privato spiritu interpretationem factam esse.

II. Ut igitur ab eo effugio adversarii deturbentur, considerandum venit 1. Quod etiamsi liberaliter eis concedere vellemus, articulos omnes Fidei et morum ad salutem necessarios perspicuè in sacris litteris contineri, multæ adhuc superessent difficultates, quæ a rudibus vinci nullatenus possent, circa Sacrorum Librorum Canonem, circa sinceritatem versionum et variantes lectiones Codicum ac editionum, tum circa apparentes antilogias, et præcipuè quænam loca sint clariora quæ obscurioribus lucem afferre queant. Hæc et alia, quæ non rudes modo, sed etiam doctos et prudentes viros anxios et pavidos facere debent ne de rebus maximi momenti temere judicent, nulla via certo sciri ac definiri possunt, quam infallibili Ecclesiæ auctoritate. Quæ cum ita sint, quomodo ipsamet *Scriptura Sacra, aut simplex ejusdem lectio esse poterit unicuique supremus et falli nescius controversiarum judex?* Non talis esse potest, qui propter suam obscuritatem interprete indiget a se distincto. Sed hæc obscuritas satis superque supra demonstrata est (Sect. II. C. VIII.), eaque manifesta fit ex innumeris Scripturarum interpretibus, et ex hæreticorum etiam agendi ratione, qui ad controversias dirimendas synodos non semel coëgerunt, quibus graviter jubent omnibus standum esse; ac demum ex mira dissensione, qua ipsi discrepant inter se in iis etiam Religionis dogmatibus, quæ jactitant in Scripturis apertissime contineri. Et quidem nemo dixerit, Legem, quam omnes litigantes sibi favere contendunt, claram esse atque perspicuam. Hinc verè aje-

bat Nat. Alexander (*dissert. XVI. in saec. II. n.* 12.) *Obscuram esse Scripturam Sacram res adeo evidens est, ut nullum sit haereticorum commentum isto insanius.* At quid plura? Jam alibi vidimus ex heterodoxis non paucos in rem hanc consentire. Audiatur inter cæteros eruditus Lutheranus Jo. Augustus Ernestus, qui in Opere *de difficultatibus Novi Testamenti rectè interpretandi* scribit (*pag.* 206. *edit. Lugd. B.* 1764.): *Hic non dissimulabo .... ex quo coeperim aliquid in interpretando videre, in dies mihi difficiliorem esse legitimam et justam Noví Testamenti interpretationem, multoque difficiliorem atque impeditiorem quam Homeri, Thucydidis, Polybii, aliorumque Graecorum. etc.* Neque hìc prætereundum, quod Lutherus ipse, qui insigni temeritate in judicem Scripturarum se érexerat contra Catholicæ Ecclesiæ judicium, habet Lib. I. contra Zuingl. et Oecolampadium, inquiens: *si diutius steterit mundus, iterum fore necessarium propter diversas Scripturae interpretationes quae nunc fiunt, ut ad conservandam Fidei unitatem Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.* Liquet igitur argumento etiam, quod ajunt, *ab homine* ad aliquem Supremum Judicem deveniendum esse a Sacra Scriptura distinctum, qui tantas possit componere lites. Habet enim unaquæque lex tres respectus sedulo ab invicem distinguendos, quod nisi fiat lex ipsa evanescit, aut perniciosa evadit: 1. Lex respicit legislatorem. 2. Subditos. 3. Judicem, aut interpretem sive custodem Legis, vel Magistratum a Legislatore constitutum. Ita in Christi Religione Sacra Scriptura est lex a Deo lata: subditi sunt fideles: Judex seu custos et interpres Legis est

Ecclesia docens ac regens, Episcopi nempe legitimè constituti, et in suo ordine a Deo dispositi; nam ad eos ajebat Apostolus Actor. XX. *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Cum ergo protestantes ajunt Scripturam ipsam esse sui interpretem, omnia turbant, et e medio tollunt Judicem sive Ecclesiam regentem ac docentem: et cum volunt, unumquemque esse hujus Legis interpretem, tum Judicem, tum Legislatorem expellunt, cujus jussis stare nolunt; quæ quantum absona et impia sint nemo non videat.

III. Nam id præterea ostenditur ex quo regula muta et silens necessario sit a Judice distinguenda, ut in qualibet bene ordinata Republica aliud sit Lex, aliud magistratus, quæ duo error nititur confundere quem impugnamus. Nam si duo de sensu Legis litigent, quis sedebit judex? An Scriptura? Ita quidem hæretici volunt: verum de illius sensu disputatur, et cum sit muta se ipsam nequit declarare. Necesse igitur est, ut alius sit judex loquens, qui verum assignet Regulæ sensum, litemque componat. Hæc est illa ratio victrix, quam Augustinus affert in Psalmum XXI. dum ait « *Fratres sumus: quare litigamus? Non intestatus mortuus est Pater: Fecit Testamentum et mortuus est. Tandiu contenditur de haereditate mortuorum, quandiu testamentum proferatur in publicum, et cum prolatum fuerit, tacent omnes, ut tabulae aperiantur et recitentur: Judex intentus audit, advocati silent, praecones silentium faciunt ut legantur verba mortui, universus populus suspensus audit*. Hic juxta Augustinum non testamentum seipsum

interpretatur, at verò Judex qui a testamento utique secernitur, quique ex eo sententiam proferre debet, cuinam hæreditas devolvenda sit; a sacris igitur Scripturis Judex Controversiarum est distinguendus.

IV. Rursus, ut habet S. Augustinus Lib. V. de Baptismo C. 23. *Multa sunt, quae universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis praecepta benè creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* At supremus controversiarum judex omnes contentiones ad Fidem pertinentes dirimere debet; ad quod cum solæ Scripturæ non sufficiant, ad Ecclesiæ Tribunal confugiendum est. Hunc autem morem tum Sacra tum Ecclesiastica historia confirmant. Ita Deuteronomii Cap. XVII. non jam ad Scripturam aut ad scriptam Legem dissidentes remittuntur, at verò *ad Sacerdotes Levitici generis et ad judicem qui fuerit illo tempore*, qui non de Ritibus tantùm, sed etiam *de Lege et justificationibus*, nempe de controversiis Fidei sententiam ferre debuerant, ut Lib. II. Paralip. Cap. 19. habetur, atque ut ex punitione inobedientium eruitur, qui lapidibus obruendi erant. Id Josephus quoque testatur Lib. II. contra Apionem inquiens: *Omnium rerum judices constituti sunt Sacerdotes*. Ecclesia verò Catholica id semper adversus hæreticos consuevit; cum nulla hæresis sola Scriptura proscripta sit, nec lis ulla finita sine Ecclesiæ judicio, quæ dissidentes damnavit; idque jure optimo, cum hæc Ecclesia non tantum verborum sonum a Dei Spiritu edocta sit sed præcipuè Scripturarum sensum, quem Ecclesiæ Præsules suos subditos docere debent.

V. Non ergo dicant hæretici, Sriptnras continere singula, quæ scitu necessaria sunt. Nam primo non

semper verborum sensum declarant. 2. etiamsi ea omnia complecterentur, tamen ad petulantia ingenia refrænanda, et ad lites ac malos affectus compescendos necessaria semper esset Ecclesiæ regentis ac docentis auctoritas, ut experientia frequentissimè demonstravit. Verum jam vidimus, plura sine scripto etiam fuisse tradita, inter quæ potissimum Scripturarum sensum, quæ cum in significationes varias trahi possint, ut ex historia hæresum liquet, si nulla foret publica et certa interpretandi Regula, quilibet Cælestem Doctrinam ingenio suo metiens ac interpretans Ecclesiæ discerperet unitatem, contingeretque nihil certi in Ecclesia haberi, atque in tanta opinionum pravitate Evangelica doctrina tota evanesceret, ac portentosa invalesceret opinationum humanarum confusio. Ex quo illud sequeretur absurdum, quod non satis Ecclesiæ suæ Christus Dominus providisset, nec ejusdem prorsus consuluisset incolumitati, qua in hypothesi impossibili ajebat Canus: *si in exploranda Scripturae intelligentia nullus est in Ecclesia certus judex, audeo dicere, rempublicam fuisse nullam stultius constitutam*. Quæ cum absona omninò sint; manifestum est, protestantes, non cum Scripturis tantùm, sed et cum ipsa recta ratione pugnare.

VI. Quid contra hæc facere possunt obscura quædam Scripturarum loca aut in alium sensum prolata, quæ passim protestantes obtrudunt? Ut cum ait Christus Matth. XI. *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis*: Aut cum ait Apostolus (1. Cor. 2.) *Spiritualis homo judicat omnia*: vel cum dicit Christus (Jo. 7. 17.): *si quis voluerit voluntatem Dei facere, cognoscet de doctri-*

na, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar. Ex quibus ajunt, inferendum esse, Scripturas iis quidem qui pravis affectibus agitantur esse obscuras, at claras et apertas omnibus probis ac justis, quasi velint adversarii, hos viros justos non teneri Ecclesiam audire, aut ab ea petere Scripturarum intelligentiam. At 1. de hac re hic ne verbum quidem habetur. 2. Non inde sequeretur, Scripturas dici debere legitimum controversiarum judicem, sed spiritum potius privatum uniuscujusque, quo etiam dato, quis non anceps semper esse deberet, an iis dotibus sit instructus, quæ ad Scripturarum intelligentiam assequendam requiruntur? *Quoniam multi*, ut Augustinus habet (*de Utilit. credendi c. XV.*) *multi Sapientes videri volunt, neque utrum stulti sint dignoscere facile est.* 3. Iis in locis non de Scripturarum intelligentia, at vero de gratia Fidei sermo est, quam Deus humilibus largitur, denegat autem superbis et humana sapientia tumidis. Quos vero spirituales vocat Apostolus sunt qui bene instructi in Fide alios docere possunt aut debent. Christus etiam monet (Jo. VII.) eos qui bonæ sunt voluntatis ac Deo obsequentes Evangelium facile recepturos, qui tamen minimè constituuntur interpretes Scripturarum independenter a magisterio Ecclesiæ. Ait quidem S. Petrus (2. Ep. c. 3.) in Pauli Epistolis quædam esse *difficilia intellectu quae indocti et instabiles depravant sicut et caeteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem;* at non inde inferendum doctis omnia esse intellectu facilia, cum doctissimi quique, Patres etiam eam difficultatem fassi sint pii licet ac in Fide stabiles, ut in multis semper sit Ecclesia consulenda et audienda. Ridiculum tandem est,



quod ajunt, Vetus Testamentum dici Isaiæ C. XXIX. Librum signatum et clausum, Novum autem Testamentum Librum haberi apertum Apocalypsis C. V. ut hinc deducant facile ab omnibus etiam rudibus intelligi posse; illud enim Liber signatus dicitur eo quod prophetias et figuras contineret, quæ in Novo revelandæ erant. Unde hoc apertum factum est, et quasi Veteris Testamenti interpres non privatis tamen sed Ecclesiæ Proceribus quibus Scripturæ Divinæ concreditæ sunt.

CAPUT III.

SYSTEMA SPIRITUS PRIVATI PRO SACRA SCRIPTURA INTERPRETANDA UTI PUTIDUM COMMENTUM REFUTATUR.

I. Commentum modo refutandum est non tantum a Catholicis sed et a pluribus inter Protestantes explosum et manifestis argumentis rejectum. At postquam excusso Catholicæ Ecclesiæ salutifero jugo hæreticorum Sectæ in immensum ultra montes ebullire et multiplicari cœperunt, fieri non poterat quin ex illo pestilentissimo cœno absurda quæque erumperent opinamenta. Inter hæc verò temeritate distinguitur inventum a *Quakeris* excogitatum, quo horum Secta eò audaciæ progressa est, ut privatam sacras Scripturas interpretandi auctoritatem ab aliis timidè invectam procaciter sibi præ reliquis arrogaverit. Hæc Secta circa medium Sæculi XVII. Georgio Foxio auctore in Anglia erupit, eaque *Quakerorum* sive Tremulorum appellata, eo quod toto corpore trepidarent, cum a Spiritu Sancto

afflari censebant. Hujus Sectæ restitutor et propagator fertur Robertus Barclajus, quæ, licet publica auctoritate repressa, non parum excrevit, majorque pars duce Penno in Pensilvaniam demigravit. Præcipua Sectæ doctrina erat, Spiritum Sanctum afflare unumquemque ac verum Scripturæ sensum ostendere, non secus ac prophetæ et Apostoli inspirabantur. Huic affinis erat *Inspiratorum* Secta, de qua inter cæteros historiam texuit Joannes Georg. Walchius (1).

II. Sed antequam hæc et alia similia portenta revincamus, audire libeat S. Hieronymum, qui hos sacrilegos Verbi Dei temeratores quasi pinxisse videtur Epistola LIII. scribens: *Quod medicorum est promittunt medici: tractant fabrilia fabri: sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant (scribimus indocti doctique poemata, passim). Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent antequam discant*. Revera quisnam Scripturarum interpretationem non jam a SS. Patrum lucubrationibus et ab Ecclesiæ Oraculis, sed ex homuncionum aut femellarum cerebro dixerit eruendam?

III. Hos itaque Fanaticos enthusiastas jampridem jugulaverat S. Petrus Apostolorum Princeps dum Epistola II. C. I. ita Fideles graviter adhortabatur: *Hoc primum intelligentes*, inquiens, *quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit; non*

(1) Videndus Bergierius *Dictionnaire de Théologie* Artic. *Quaker*. *Prophetes* etc. de Bruyes: *Histoire du Fanatisme de notre temps:* nec non confutatio hujus stulti ac impii delirii apud D. de la Mannais *dell' indifferenza in materia di Religione* To. 2. C. 18.

enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines. Quæ ita graecè habentur: **Τουτο** πρωτον γινωσκοντες, ὁτι πασα προφητεια γραφης ιδιας επιλυσεως ου γινεται: Ut hunc sensum præseferant. *Hoc primum cognoscentes, quod quaevis explicatio Scripturae privata interpretatione non fit* etc. Ea enim verba, *Prophetia Scripturae* Verbi Divini expositionem significant, ut liquet ex Pauli Epistolis (***ad Rom.*** XII. v. 7. I. ad Corinth. XIII. 8.). Ita vocabulum επιλυσεως frequentius in sensu interpretationis aut expositionis accipitur. Quod etiamsi *Prophetiam Scripturae* eamdem intelligere voluerimus Scripturam Propheticam, sensus erit, *Nullam Scripturam exponendam esse privato ingenio;* qui cum priori sensu prorsus congruit. *Non sunt ergo Scripturae privato spiritu interpretandae*, sed eo exponendæ quo scriptæ sunt, Spiritu nempe divino, quem Ecclesiæ suæ Christus pollicitus est.

IV. Quare qui privatim hunc sibi spiritum arrogant, propriè fanatici habendi sunt; est enim fanatismus, cum quis privatim se divinitus inspiratum credit in iis quæ circa Religionem sunt, falsò tamen et sine ullo argumento legitimo, et præcipue sine judicio Ecclesiæ. De his loquebatur S. Petrus cum post allata verba scribit « *Fuerunt verò pseudoprophetae in populo, et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent Sectas perditionis . . . et multi sequentur eorum luxurias per quos via veritatis blasphemabitur*. (ib. C. 2.) Cum itaque hujusmodi hæretici nullo argumento ostendere queant Dei Spiritu afflari, eorum præsumptio insolentissima insania est.

V. Præterea incertum et ipsis semper esse debet, num spiritus ille privatus sit a Deo. Nam licet interpretationis donum nonnumquam a Deo sit; nullus tamen, ut Augustinus ajebat, proprii spiritus certam habet exploratamque persuasionem, quam qui habere præsumit, insigniter inflatus est ac superbus (Sect. I. C. XI. n. 5.); sunt enim prophetæ qui sequuntur spiritum suum, ut habetur Ezech. XIII. v. 3. *Vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum et nihil vident . . . divinant mendacium dicentes, ait Dominus, cum ego non sim locutus*. Quis ergo eos certos reddat non esse spiritu mendacii deceptos? Nam Apostolus (I. Cor. XII. 28.), non omnibus dari gratiam *interpretationis sermonum* affirmat, quam Christus supremis tantum Ecclesiæ Rectoribus repromisit. Itaque S. Hilarius L. 5. ad Constantium ajebat: *Memento neminem haereticorum esse, qui se nunc non secundum Scripturas praedicare ea, quae blasphemat, mentiatur*. Imo hujus spiritus mendacii, quo hæretici sæpe agitantur, argumenta suis ipsi declamationibus manifestant, ut cum Zuinglius (*in subsidio de Eucharistia*) scribit, quemdam sibi visum in somniis non meminisse, *ater is fuerit, an albus*: vel cum Lutherus) *Libro adv. Regem Angliae*) clamabat, *Nactum se spiritum insignem contemptorem tam fraudis quam furoris papistici*. Lutherus scilicet sibi arrogabat auctoritatem, quam Romanis Pontificibus, et ipsis Generalibus Conciliis denegare audebat. Itaque privatus spiritus fallax ac temerarius rejiciendus est, ab eoque cavendum monebat Joannes Apost. Ep. I. C. 4. inquiens: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint, quo-*

niam multi pseudoprophetae exierunt in mundum. Falsos autem esse prophetas ac spiritu mendacii agitari, absurda et inter se pugnantia, quæ proferunt, clare demonstrant.

VI. Imo etiamsi quis a Divino Spiritu duceretur, non tamen ad fidem faciendam esset idoneus, nisi accedente Ecclesiæ approbatione. Ita Paulus Apostolus qui Evangelium per Revelationem acceperat, illud tamen cum Apostolis contulit, *ne in vanum curreret, aut cucurrisset* ut ipse *ad Gal.* testatur. C. 2. Inde vero hoc argumentum conficitur; Spiritus privatus aut est spiritus mendacii, aut veritatis: si mendacii, rejiciendus: si veritatis, ab Ecclesia Apostolica postulat dijudicari, cum saltem sine eo judicio ineptus sit ad alios instruendos, aut ad fidem faciendam. Cæterum hic spiritus vel est omnibus communis, vel peculiaris aliquibus. Si primum, idem spiritus eamdem doctrinam omnibus inspiraret, quod non contingit; non ergo est omnibus communis: si particularis, quo argumento, qua norma, quis certo scire poterit, an sit divinus, vel humanus; cum experientia constet ex repugnantia dogmatum, plures, qui hunc spiritum jactitant, insigniter fuisse deceptos?

VII. Demum Supremus Controversiarum judex ea polleat auctoritate necessum est, ut partes dissentientes componere queat, alioquin Christus Ecclesiæ non providisset. At nullus privatus hanc habet potestatem ut alii suo steut judicio: neque Christus eum unquam posuisset controversiarum judicem, qui non pacis, sed fomes esset discordiarum, qualem ex hæreticorum historia spiritum privatum fuisse patet, sed Ecclesiam judicem esse voluit. Quare adversarii fru-

stra cum Claudio aut Jurio ad *radium* confugiunt *Spiritus Dei*, vel ad *interiorem gustum* veritatis. Uterque enim prædictis incommodis obnoxius est, erroribusque ac discordiis januam pandit. Fanaticus quisque ut suis placitis auctoritatem conciliet, lucidum Spiritus Dei radium sibi affulgere affirmabit, suumque animum interno gustu veritatis affici contendet. Quo in casu quis fanaticum hunc mendacii coarguere poterit et ad mentem sanam reducere? Nonne hinc omnes ortæ sunt hæreses et nata schismata? Abeant ergo cum suo discordiarum spiritu pseudoreformati, et a turbis quas concitarunt, discant tandem Ecclesiæ obsequi et obtemperare.

VIII. Hinc apparet, nihil contra hæc valere posse quædam testimonia quæ adversarii in Scripturis expiscantur, ut cum ait Joannes (*Ep. I. C.* 2.): *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est .... manete in eo.* Quibus verbis perperam abutuntur, quæ si ut volunt, essent accipienda, inutilem redderent quamcumque Fidei prædicationem; hinc et eorum ministri ut inutiles essent rejiciendi, quod tamen nolunt. Quid pseudoreformati ad hæc? Apostoli ergo mens est, ut Fideles ab audiendis seductoribus deterreat: *Haec scripsi vobis* (ait v. 26.) *de his qui seducunt vos:* ac si diceret: Non opus habetis ut novam aliquis vobis ingerat doctrinam; jam enim veram doctrinam accepistis, quam interna gratia vobis commendat. Hoc itaque documento doctrina Pastorum non excluditur, sed ea supponitur; alioquin nulla Sacra Scriptura necessaria foret, et ipse Apostolus secum pugnaret hanc ad Fideles erudiendos scribens Epistolam, ut in hunc locum Augustinus animadvertit.

IX. Dum hæc itaque et alia similia scribunt Auctores sacri, significant interiorem Dei Gratiam, quæ donet incrementum, comitem esse Evangelicæ prædicationis. Ita cum ait Apostolus (1. ad Thessal. V. 19.) *Spiritum nolite extinguere: prophetias nolite spernere: omnia autem probate: quod bonum est tenete*: docet quidem Apostolus Dei dona non esse contemnenda, at Ecclesiæ judicio monet, ut subjiciantur. Cum verò (I. Cor. 2. 15.) ait: *Spiritualis* homo *judicat omnia, et ipse a nemine judicatur*: loquitur Apostolus de homine perfectè instructo in Fide Ecclesiæ, qui ab inferioribus, a rudibus in doctrina non est judicandus; nam, ut inquit ibidem, *animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei*; non verò intelligit, spiritualem etiam hominem judicio Ecclesiæ non esse subjectum. Quæ cum ita sint, inter stultas blasphemias spiritus privatus amandandus est.

CAPUT IV.

RATIONEM HUMANAM STATUI NON POSSE SACRARUM SCRIPTURARUM INTERPRETEM DEMONSTRATUR.

I. Quamquam hujus thematis resolutio ex iis liquido descendat quæ Capp. I. et sequentibus jam disputata sunt: quænam verò sint humanæ rationis jura in Religionis negotio, in Prolegomenis et Sect. I. Cap. III. fuerit ostensum; tamen cum post nonnullos veteres hæreticos, Sociniani et Deistæ ex iis exorti Scripturas Divinas privato uniuscujusque rationis judicio subjiciendas esse velint, ut quidquid clarum perspectum-

que imbecilli nostræ rationi visum non sit, credere non teneantur, hinc seorsim thesim hanc tractandam ducimus. Quam absurdè hi omnes humanam rationêm statuerint mansuram et judicem supernaturalis Revelationis nemo non videat. Nam adhibenda quidem ratio est dum expenduntur *Credibilitatis* motiva, adhibenda, inquam, est ratio moderatè ac prudenter, et cum consensu optimorum, nec non cum meliori antiquitate conferenda; hoc enim ratio ipsa et divina auctoritas præcipit, ne fallamur; cum eo tantum medio adhibito certi ac tuti de ratione nostra esse queamus. At cum ita semel constiterit et ratio convicta fuerit, Divinam adesse Revelationem, nullus amplius rationi locus est ad illius dogmata examinanda, quæ ipsa ratio docet, firma et reverenti Fide tunc credi oportere, præsertim si ejus naturæ fuerint, quæ mentis nostræ vires excedant. Limites ergo omnes transilivere Novatores, qui in Scripturis interpretandis philosophiæ ac rationi primas partes dandas esse contendunt, quasi divina Sapientia scientiæ humanæ subjicienda sit; qui tamen in hæc absona proruerunt, ut facto ostendunt, ne quidquam aliud crederent, nisi quod ipsis collibitum est.

II. Demonstrandum est igitur, solam *humanam rationem esse non posse interpretem Scripturarum*, nec *judicem Doctrinae divinitus revelatae*. Nam 1. non discussionis via aut examinis voluit Christus Dominus, ut gentes ac populi Scripturas Sacras, et doctrinam revelatam reciperent; sed via auctoritatis legitimæ, quam per signa et prodigia esse divinitus suffultam confirmarunt tum ipse, tum ipsius Apostoli, ut qui non credunt, excusari non possint, ut de Judæis

ajebat ap. Joan. C. XV. *Si Opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* At si doctrina judicio rationis uniuscujusque subjicienda esset, nec opus foret ut Miraculis suaderetur, et qui eam non caperet, aut eam sibi non persuaderet, excusandus esset, nullus incredulus damnari posset; quod est contra Christi verba Marci XVI. 15. *Praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur: signa autem eos qui crediderint, haec sequentur*, etc. Via ergo auctoritatis miraculis roboratæ vult Deus ut Evangelio ejusque doctrinæ credatur. 2. Injuriosa est Deo Socinianorum opinio, ut nolint Deo fidem dare, nisi ipsi intrinsecam doctrinæ veritatem clare et evidenter percipiant; tunc enim non jam Deo, sed proprio suæ rationis judicio assentirentur; Deo vero docenti omnem fidem detrectarent. 3. Vel de iis, quæ per rationem agnoscerent in sacris Literis, haberent scientiam, aut opinionem tantum: si primum, intellectus eisdem cogeretur assentiri: si secundum, ea impune rejicere posset, ut nullus superesset fidei locus, nec merito aut demerito erga Deum. 4. Fieri non poterat, quin divina sapientia homines ad Religionem duceret, nisi via auctoritatis. Nam Religio omnibus jubetur; sed innumeri capaces non sunt, ut examen rationis instituant circa doctrinam Sacrarum Scripturarum. Neque enim possent earundem genuinitatem agnoscere, neque sensum literalem aut figuratum distinguere, multoque minus mores et modos loquendi orientalium populorum. Sed neque scire possent, præsertim rudes, an versiones Bibliorum sinceræ sint, vel

corruptæ, quorum plures neque legere noverunt unquam. 5. Dici nequit hunc rationis usum jussum esse eruditis, non rudibus. Nam eadem via auctoritatis omnibus proposita est, et eadem Religio et doctrina omnibus imperata. Deinde plurimi eruditi videri volunt, qui non sunt: quis inter eos discerneret? præterea omnes etiam scientissimi in plurimis ignorantia laborant, aut in judicio ferendo affectibus agitantur, ut vel proprio ingenio aut partibus faveant: quis ergo judicium incorruptum ab iis expectet? Denique plura sunt et esse debent in vera Religione quæ captum humanum excedant, ut in iis judicandis jus nullum ratio sibi usurpare possit. 6. Tandem experientia omni tempore, et præsertim hoc nostro ævo patefecit, hanc non esse viam a Dei providentia hominibus propositam ut veram doctrinam agnoscant. Si enim via rationis et examinis voluisset Deus, ut homines Revelatam doctrinam agnoscerent et amplecterentur, jam saltem doctiores in eandem doctrinam consentirent. At videmus e contra concordiam hanc et doctrinæ unitatem non haberi nisi in Catholica Ecclesia, quæ Auctoritate regitur ac edocetur: extra verò, præcipuè inter protestantes, qui viam illam examinis et rationis extollunt, omnia in dissensione, et opinionum diversitate versari, ut neque quid credant, neque cui credant, nec qua ratione aut fundamento credant ullo modo scire queant. Hinc inter eos Sectæ Lutheranorum, Calvinistarum, Zuinglianorum, Anabaptistarum, Socinianorum, Remonstrantium, Independentium, Quakerorum, aliorumque obscuriorum, quas omnes referre non vacat, sed quæ tanta sunt in dissensione constitutæ inter se etiam de rebus gravissimis ut quot capita, tot sit repe-

rire sententias. Ita in sola de Eucharistia doctrina octoginta inter eos opiniones circumferuntur. Non ergo hæc via esse poterat a Deo hominibus concessa ut revelatam veritatem agnoscant. Non enim tunc esset Deus pacis et Veritatis, sed perturbationis potius, erroris, atque discordiæ. Ex quibus manifestum fit, oportuisse, ut Deus hos potius philosophos, quam rudes, per auctoritatem in officio et doctrinæ unitate contineret, cum ii sint, qui philosophi haberi volunt, a quibus, dissensiones, ac turbæ circa revelatam doctrinam moventur, cum rudes e contra in magisterio Ecclesiæ conquiescant.

III. Id præterea ostenditur ex doctrina Apostoli (2. Cor. X. 5.) cum docet, Evangelii doctrinam esse per miracula potentissimam, ut destruat *omnem altitudinem* (sive superbiam) *extollentem se adversus Scientiam Dei, et ut in captivitatem redigat omnem intellectum in obsequium Christi*. Hinc ajebat Christus: *confiteor tibi Pater . . . . quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis*. Non ergo in hanc doctrinam quidquam juris habet humana philosophia cum sit supra rationem totaque pendeat a Revelatione et auctoritate divina. Toto ergo cælo aberrant qui ad rationis nostræ amussim exigere eam præsumunt.

IV. Hæc autem Catholica doctrina a veteribus Patribus agnita semper et propugnata est. Itaque Basilius Lib. 9. cont. Eunomium habet. *Nam si cuncta intelligentia nostra mensurare voluerimus, et quod mente non capimus, id nihil omnino esse putaverimus, amittetur profecto Fides, amittetur etiam spei remuneratio*. Chrysostomus vero Homil. XXV. in

Jo. « *Ideo*, inquit, *nos fideles appellamur, ut humànarum cogitationum varietate contempta, ad Fidei altitudinem evadamus* ». Et Gregorius M. Hom. XXVI. in Evang. « *Nec Fides*, inquit, *habet meritum, ubi humana ratio praebet experimentum* ». Audiamus etiam Cyrillum Alex. Libro II. contra Julianum scribentem « *Oportet quae supra nos sunt, Fide venerari, non ratione inquirere; imbecillior quippe mens hominis est, quam ut intelligentia capere illa possit* ». Egregium est etiam illud Augustini dictum Tract. XX. in Jo. *Credimus ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus: Quid est enim Fides, nisi credere quod non vides?*

V. Denique humanam rationem esse ineptam ad Sacras Scripturas in pluribus intelligendas et interpretandas constat ex iis quæ supra (Sect. II. Cap. VIII.) disputata sunt circa earum obscuritatem, quam ipsi heterodoxi confitentur. Constat id præterea ex tot errorum monstris ab heterodoxis invectis dum Scripturas ex proprio ingenio interpretari aggressi sunt, quos errores ipsi novatores sibi invicem exprobrarunt. Sufficiat nonnulla ex Luthero decerpere. Hic itaque contra Zuinglianos a sua Secta exortos scribens ait: (Tomo VII. Operum edit. Witemb. anni 1558. pag. 381.): *Quantum ego possum prospicere nihil in hac re video certius, quam iram Dei, qui diabolo fraenum laxat ad inferendos hujusmodi absurdos errores et crassas tenebras, quo nostra scelerata ingratitudo et summus Evangelii contemptus dignis afficiatur poenis, ut pro eo quod dilectionem veritatis non recepimus, mendaciis credere cogamur, ut Paulus loquitur ad Thess. 2. Nec quidquam hanc haeresim*

3

magis promovet, quam novitas. Nam nos tales homines sumus: ea quae nova sunt affectamus, et avidè arripimus, insani mordicus retinemus; et quo quis nos vehementer reprimit, eo furiosiores reddit. Si vero nemo se nobis opponit, prope diem satietate ac taedio affecti sponte abjicimus, et ad alia nova inhiamus. Haec res diabolo magnam affert occasionem, ut nullum adeo monstrosum somnium aut commentum possit proferre, cujus non inveniat assertores, et hoc quidem eo citius, quo id quod affert, est absurdius et ineptius. Hæc Lutherus declamabat adversus commilitones suos, qui in omnibus ei non adhærebant, quosque propterea appellabat *fanaticos spiritus*, quanquam ex Scripturis sua expromere opinamenta profiterentur. Idem Lutherus Epist. ad Antuerpienses scribit: *Tot inter nos religiones sunt, quot homines; nec asinorum quisquam tam hebes est et vecors, qui insomnia proprii capitis et propriam opinionem pro instinctu Spiritus Sancti et se ipsum prophetam haberi nolit.* De quibus in Sermone *de Hierusalem* addit: *Qui tam secure praedicant, perinde ac si Spiritum Sanctum penitus devoraverint.* Nec molliora convicia in Lutheranos jaculabantur Zuingliani et Calvinistæ. Privata itaque ratio, proprius privatus spiritus per Lutherum ipsum nonnisi fanatismo, nonnisi erroribus latissimam pandit viam, ut hoc absurdum systema a Religione sit penitus eliminandum, et ad legitimæ auctoritatis magisterium sit omnibus redeundum.

VI. Quid ergo adversus tot manifesta argumenta valere possunt, quæ regerunt rationis humanæ patroni; cum ajunt Ecclesiastici XIX. admoneri, ne facile cre-

damus: nam *qui cito credit, levis est corde*. Tum Apostolum velle ad Rom. XII. ut *sit rationabile obsequium nostrum*: aut Petrum hortari 1. Ep. 3. 15.: ut parati simus semper *ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quae in nobis est Fide aut spe*. Incredibile enim est, adversarios harum auctoritatum sensum non fuisse assecutos. Ad 1. enim, non temere nec citò credimus, cum credimus Sacris Literis et Magisterio Ecclesiæ, cujus divinam auctoritatem tot manifestis *Credibilitatis* argumentis certam et exploratam habemus, ut supra tota Sectione I. ostensum est. Ad 2. respondemus, in eo situm esse *rationabile obsequium*, quod non sine perspectis certisque rationibus Dei revelationem credimus; qua semel constituta, ipsa recta et sana ratio docet, ut ejus doctrinæ, etiamsi mentis nostræ aciem superet, sine dubitatione ulla credamus; ut enim rectè habet S. Bernardus (Ep. 170.): *Quid magis contra rationem, quam rationem velle transcendere? Et quid magis contra Fidem, quam credere nolle quidquid non possis ratione attingere?* Eodem sensu sunt demum accipienda Petri verba, qui certe nolebat ut humana ratione Fidem destrueremus, sed ut per eam agnosceremus, æquum esse Deo loquenti assentiri.

VII. Alii verò ut propriæ rationi blandiantur, eo Rousseavii sophismate utuntur prolato in suo Æmilio (T. 3.) ubi hæc habet: Deus, quem adoramus, non est Deus tenebrarum, sed lucis, qui nos non ideo intellectu instruxit ut nihil intelligeremus, aut ratione non uteremur, multoque minus ut adversaremur eidem. Voluit ergo ut a ratione duceremur in rebus intelligendis et admittendis: Sed hæ meræ nugæ sunt,

et impiæ ac ineptissimæ cavillationes. Deus enim quem credimus, non est quidem Deus tenebrarum in se, nam ut Joannes habet (*Epist. I.*), *Deus Lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*, cum sit perfectissimus; verum talis dici potest respectu nostri, quia ut habet Apostolus (1. *Tim.* 6.) *Lucem inhabitat inaccessibilem*, cujus vim nos imbecilles ferre non possumus, *qui enim scrutator est Majestatis, opprimetur a gloria*, ut ait Sapiens (*Proverb.* 25. 27.). Sed cum Rousseavius illa effutiebat, oblitus fuerat, antea docuisse, Deum utpote Ens infinitum adeo rationis nostræ lumen excedere, ut vix aliud cognoscere de eo possimus, quam eum esse.

VIII. Deus autem intellectum nobis, rationisque usum largitus est, non ut omnia intelligeremus atque perfecte cognosceremus (quot enim et quanta sunt, quæ vel in ipso naturæ ordine nos fugiunt!) sed nobis rationem tribuit, ut ex operibus conditorem nostrum ejusdemque voluntatem agnosceremus non reluctantes at vero ejus Revelationi obsequentes. Revera quid magis rationi congruum, quam Deo summæ veritati indubiam præstare Fidem in iis etiam quæ ratio nostra limitibus circumscripta nequit attingere? Non ne injuriosi essent filii in parentes aut in præceptores, qui in iis, quæ nondum capiunt, eis adhibere Fidem nollent? Si cæcus contra rationem ageret, dum viris probis ac veracibus mira de luce et coloribus narrantibus credere detrectaret ea ratione innixus, quod ea per se videre non possit; quanto magis rationi obsisteret, qui Deo fidem denegaret, quod ea manifestet quæ potentiam intellectus nostri excedunt? Et si temerarius ac ineptus idiota haberetur, qui libros mathe-

seos, astronomiæ aut physicæ capere non valens, eos pro ingeniolo suo exponere considerct, ac peritos in artibus dedignaretur audire; quantæ eos audaciæ reos non judicabimus, qui Libros divinitus traditos pro suæ mentis brevitate explicare contenderet, nec audire Ecclesiam vellet ab ipso Deo constitutam ut Sacrorum Librorum doctrinam et intelligentiam doceat?

IX. Nec quidquam concludit sophisma a quodam prolatum, quo ajebat, Scripturam Sacram esse nobis a Deo traditam *mediate*, per homines nempe inspiratos; Rationem vero esse nobis a Deo *immediate* concessam, ut æquum sit, hanc illi præferre. In hac enim argumentatione ea fallacia latet, quæ *aequivocationis* dicitur, et qua sumitur causa pro effectu, ratio nempe seu potentia cognoscendi et ratiocinandi sumitur pro rebus ipsis cognitis et aliis nostræ mentis objectis, quasi hæc objecta immediate in mentem nostram Deus immitteret, non vero ab hujus facultatis usu et exercitio penderent. Ratio itaque est quidem immediate a Deo, non autem ejusdem rationis objecta, quæ mediate a sensibus aut ab exercitio et usu rationis oriuntur. Tam ergo veritates naturales quam revelatas ordinaria via mediate acquirimus; sed utriusque generis notiones in eo quammaxime distant, quod Revelatæ, si eas per medium a Deo statutum, per Ecclesiæ nempe magisterium recipiamus, nulli vel minimo errori esse possint obnoxiæ: quæ vero a sensibus vel a rationis exercitio pendent, a potentiis nimirum finitis ac limitibus coarctatis, non semper ab erroribus sint immunes. Quare cum constiterit, Deum esse locutum, illius voci dumtaxat attendendum est. Nec refert, quod ajunt, rationem evidentia, Revelationem verò auctoritate inniti,

ut plerumque sit obscura, et per rationem explicanda. Observandum est enim, quod licet ratio nostra, si rectè adhibeatur, vera plerumque innitatur evidentia, tamen nonnisi fallaci et apparenti evidentia sæpe contenta est, adeo ut ad omne amovendum erroris periculum consensu optimorum communi eam fulcire, ejusdemque auctoritati credere debeamus. Quare licet ea, quæ naturaliter cognoscimus, evidentia gaudeant naturali, quæ tamen Fide credimus, majori semper certificatione pollent, ut ea quæ non humana tantum, sed potissimum divina gaudent auctoritate. Hinc infertur, Revelationem veræ evidentiæ contrariam nunquam esse posse. Quare ajebat Augustinus (*Epist.* 143. *al* 7.) *Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quantumlibet acuta sit, falli veri similitudine, nam vera esse non potest.* Et. Lib. IV. de Trin. c. 6. *Contra rationem nemo sobrius, contra Scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit.*

X. Nec inde sequitur, ut Novatores vociferari solent, in Fide amplectenda, sola nos auctoritate duci, nulla ratione adhibita. Nam veros Christi Fideles ab utroque vitioso extremo æque distare compertum est; nempe suum rationi locum tribuunt quæ nobis facem præbet tum ad Revelationem, tum ad Ecclesiam Revelationis custodem agnoscendam. Quò cum pervenerit, tunc ratio silet circa Mysteriorum essentiam quam non attingimus, solaque nos ducit auctoritas, cui ratione ipsa suadente tuto assentimur. Quare nec sine evidentibus Credibilitatis motivis leviter credimus, quod esset stupidi, nec Deus id voluit unquam; neque mysteria imbecilli nostræ rationi subjicimus quod esset temera-

rium, et in oppositum vitium urgeret. In divina enim Religione mysteria necesssaria sunt, sine quibus nec de Deo recte sentire, eique debitum honorem præstare possemus; nec ad ultimum finem tendere sicut oportet; ut propterea Augustinus dixerit Lib. V. de Civ. Dei C. X. *Male vivitur, si de Deo non bene creditur.*

CAPUT V.

RATIONEM HUMANAM UNICAM FIDEI REGULAM STATUI NON POSSE ULTERIUS OSTENDITUR, QUOD VIAM STRAVERIT INDIFFERENTISMO, SECTÆ NEMPE OMNIUM TETERRIMÆ AC FLAGITIOSISSIMÆ.

I. Postquam Sæculo XVI. hæretici repudiato Ecclesiæ magisterio licentiam in Religionis negotio sibi arripuere quidquid eis libuisset opinandi, illico in plures sectas divisi quot ferme erant capita, tot religionis systemata condiderunt, ut mirum sit, in quot contrarios et absurdos sensus in gravioribus etiam articulis ipsam Scripturam Sacram pertraxerint. Verum in tanta opinionum errorumque varietate in uno semper concordes erant, ut nempe omnibus machinis ac viribus Catholicam doctrinam dilacerarent, et Ecclesiæ Dei olim eorum Matri ac Magistræ impie ac pertinaci animo adversarentur. Ut illud fœdus inirent, simulque divisionis scandalum tegerent, se invicem tolerare decreverunt, statueruntque, rem esse indifferentem diversa opinari, dummodo in articulis *fundamentalibus*, ut ajebant, concordes essent. Hæc itaque concors

discordia *indifferentismum* seu monstrum illud conglutinavit Polyphemo simillimum vocatum a Poeta (*Aen.* 3. *v.* 558.)

« *Monstrum horrendum informe, ingens, cui lumen ademptum*

Indifferentismi enim vocabulo hic ea secta intelligitur, quæ vult, homines in qualibet religione ac superstitione utut absurdissima æternam felicitatem consequi posse. *Monstrum* sane est hic error. Nam cum veritas una tantum sit, contra naturam est, dogmata divinis etiam attributis et perfectioni adversa, atque errorum turpissimorum cumulum quasi veritatem probare, aut rem nullius momenti et nec in Deum nec in humanam rationem injuriosam habere: *horrendum*, quod omnigenis erroribus, superstitionibus, absurdis fœdatum se horriferum patefaciat: *informe*, cum formam nullam, nullamque speciem, nisi turpem ac deformem induat: *ingens*, cum ad sectas omnes, et ad superstitiones quantumvis aniles ac vesanas se dilatet: denique *cui lumen ademptum*, quod omni veritatis lumine careat, quæ in tanta opinionum discordia et perturbatione stare non potest.

II. Hoc tamen horrendum monstrum a ratione humana, a pravo nempe pseudoreformatorum systemate in ferendo judicio de Sacrarum Scripturarum sensu ac de Ecclesiæ doctrinis procreatum est. At illud non est noviter inventum, sed recentes hæretici a veteribus mutuati sunt, ut neque hujus monstrosæ inventionis gloriolam aucupari queant. Verum incredibile dictu est, quantum his temporibus hoc errorum monstrum pervagatum sit et late pateat, cum, præter incredulos plurimos hunc *indifferentismum* illa omnia occulta conventicula profiteri jure censeantur, quæ

in sinum suum cujusvis cultus homines complectuntur in perniciem Religionis et societatis, ut affirmat summus Pontifex Pius VII. in sua *Constitutione* contra sectas occultas data die XIII. Septemb. 1821. *quo*, inquit, *religioso indifferentismo vix quidquam perniciosius confingi posset*.

III. *Indifferentismus* porro etiam *tolerantismus* sive tolerantia dicitur, quæ, ut claritati consulamus, duplex distinguenda est. Alia enim est tolerantia *politica* sive civilis, qua principes aut magistratus homines variis sectis addictos in suis regionibus tolerare solent; alia *theologica* sive *religiosa* dicitur, qua nempe in religione sectanda lata unicuique libertas datur, ut quæ verior ei sententia visa fuerit vel quam quisque sibi persuaserit, sine ullo æternæ salutis discrimine adoptare possit. Hic indifferentismus iterum in universalem et particularem dividitur. In primo omnes cultus, religiones, sectæ, et superstitiones probantur, ut etiam deismum sive naturalismum complectatur: In particulari verò assumitur Revelatio divina ut religionis fundamentum, sed hæreticorum sectæ variæ tolerantur licet secum invicem pugnantes, cum putent, posse unumquemque in sua secta salutem consequi æternam. Qui universalem profitentur, vocari solent etiam *Latitudinarii*, *Irenici* sive pacifici, et *Moralistae*, quod nullam exigant doctrinarum fidem, sed tantum contenti sint morum honestate; cujus gregis erant Spinosa, Collinsius, Tolandus, Rousseavius, aliique. At qui particularem sectantur indifferentismum in strictiores et laxiores separantur. Illi præter Christianæ Religionis professionem, requirunt etiam, ut quis in articulis quibusdam fun-

damentalibus consentiat: alii nihil aliud credendum esse putant, quam id in quo Christiani omnes conveniunt, reliquis, in quibus dissensio est, pro adiaphoris habitis; quare *adiaphoristae* dicti sunt, ut Sociniani et *Remonstrantes* habentur.

IV. Distinctio hæc a Dordracena synodo originem ducit a Calvinistis coacta anno 1608. adversus Remonstrantes quos ob laxiorem indifferentismum a sua communione expulerunt. Hi vero hoc argumento suam causam tuebantur: Ecclesiæ Catholicæ auctoritate semel rejecta, ajebant, nulla ratione damnandi sunt qui a Calvino aliisque dissentiunt; quo enim jure potuit ille a receptis Ecclesiæ sententiis recedere, eodem potest quilibet dissentire a Calvino: Nam si tota Ecclesia errare potest, cur non Calvinus multo magis, aut alius quilibet doctissimus non erit errori obnoxius? Quæ ratio adeo valida visa est, ut plerique aut ad Catholicæ Ecclesiæ sinum redierint, aut ad laxum indifferentismum declinarint, quin remedium ullum huic malo protestantes afferre possent. Hinc sectæ innumeræ exortæ, quæ mutuo se tolerare coguntur, cum una præ altera potiori non fruatur jure. Ipse Lutherus bujus scandali auctor dum adhuc in vivis ageret hanc opinionum dissensionem vidit, et acriter hunc indifferentismum damnavit: volebat enim ut omnes sibi nullique alii assentirentur. Cum enim Zuinglius in confessione fidei ad Franciscum I. Galliarum Regem scripsisset: *Videndos in caelo egregios et virtuosos omnes, Adamum, primum et secundum, Abel, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Matrem Dei, Petrum, Paulum, Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones*

etc. adeo in ipsum Lutherus indignatus est, ut in parvo suo Catechismo scripserit « *Desperare se de hominis salute, qui non contentus oppugnare Sacramentum, in Gentilismum prolapsus Scipionem Epicureum, Numam daemonis organum Sanctis adnumeraret*. Alibi vero Zuinglium aliosque diversa sentientes a sua communione rejicit, scribens: *Serio illos se habere pro haereticis et alienis ab Ecclesia Dei. Vel ex hoc capite felicem se esse, quod dicere possit: beatus vir qui non abiit in consilio Sacramentariorum, et in via Zuinglianorum non stetit, et in cathedra Tigurinorum non sedit*. Cum autem audivisset Lutherus Calvinianos dixisse parum discrepare ab eo, ut pacem inire possent, pronuntiasse fertur: *Maledicta pax et concordia cum Sacramentariis per omnia saecula saeculorum*: Nam scribit in colloquiis mensalibus; *non alia sperari potest concordia inter nos et sacramentarios, quam quae inter Judam et Christum intercessit*. Graviter itaque Lutherus hunc indifferentismum damnatum voluit.

V. Verum ob pravum exemplum datum nihil Lutherus profecit, ut hanc cloacam errorum impediret: suo enim tempore Anabaptistæ, Synergistæ, et Flaciani orti sunt: tum Osiandristæ, Antinomi, et Syncretistæ, id est Conciliatores, ita dicti, quod vellent, dissidia inter Lutheranos, Calvinistas et Pontificios non spectare articulos fundamentales, ut propterea se mutuo tolerare deberent. Secuti postea sunt Pietistæ, Origenistæ, Chiliastæ, nec non Interimistæ sive Adiaphoristæ, Rethmanistæ, Majoristæ, Ubiquistæ, aliique plures ex Lutheranis propagati, qui nisi se tolerassent,

sectas innumeras constituissent (1). Nec minores a Calvinistis sectæ pullularunt. Nam præter Sacramentarios, Gomaristas et Remonstrantes, norunt omnes Presbyterianos, Episcopales, Independentes et Puritanos in Anglia. Item recensendi Supralapsarii et Infralapsarii, Hypothetici et Absoluti, Coccejani et Voetiani, Pajonistæ, Quakeri aliique; ac in Hollandia Roellistæ, Becheristæ, Verchoristæ, Hattemistæ, et cæteræ Sectæ plures a suis magistris nomen sortitæ quæ nisi toleratæ fuissent, turbas ciere non cessassent; unde vel ipsa experientia patet, viam humanæ rationis in Religionis negotio sibi relictam necessario in tolerantismum sive Indifferentismum recta ducere; seposita enim infallibili Ecclesiæ Auctoritate, cum ratio humana nullo fræno coerceatur, nec ratio unius alteri esse regula queat, necesse est, ut homines aut se dilacerent mutuo, aut cunctis erroribus et absurdis liberum commeatum ac tolerantiam concedant. Hoc in Romana Ecclesia evenire nequit, ubi errores quidem nasci possunt, non autem vigere aut dilatari, cum illico perduelles ab Ecclesia removeantur, ut non possint errorum facem

(1) Hæc nomina partim a doctrinis, partim ab auctoribus desumpta sunt. *Synergistæ* sive cooperantes dicti, quod juxta Melanctonem homines suis viribus gratiæ cooperari dicerent: *Anabaptistæ*, quasi rebaptizantes, quia baptizatos in infantia rursus baptizabant. *Flaciani* a Mathia Flacio Illyrico: *Osiandristæ* ab Osiandro: *Antinomi*, quasi *sine Lege*, quod Christianos a Legum observatione liberarent: *Pietistæ*, quasi pietatem sectarentur: *Origenistæ*, quod Origenis errores renovarent: *Chiliastæ*, sive Millenarii. *Interimistæ*, quod formulæ *Interim* appellatæ adhærerent: *Adiaphoristæ* indifferentes: *Rathmanistæ* ab Hermano Rathmano: *Majoristæ* a Georgio Major: *Ubiquistæ* quod Christi Corpus ubique esse dicerent etc.

nisi extra agitare, Vera Christi Ecclesia pura et immaculata relicta, ut ea quæ sola remedio Auctoritatis polleat, quo errores exterminet, et controversias omnes tutò componat.

VI. Nec heterodoxos distinctio juvat inter articulos *fundamentales, et non fundamentales*, pro quibus secernendis Petrus Jurius has regulas posse statuere putavit. 1. Ut ille sit error fundamentalis habendus, qui Dei gloriam et ultimum hominis finem evertit. 2. Ut error sit ille, qui unanimi, perpetuo, et universali Christianorum consensui opponitur. Sed alii volunt, esse articulos fundamentales, qui ad Christianæ Religionis essentiam pertinent. Quidam in tres classes eos secernunt, ut alii sint necessarii ad Religionem, alii ad salutem, alii ad Ecclesiam. Non pauci tandem sola principia Legis naturalis omnibus nota sufficere posse ad salutem contendunt. Quæ omnia eò redeunt, aut nullos esse articulos fundamentales, cum nullus sit qui ab hæreticis non fuerit impugnatus; aut saltem eorum numerum statui nunquam posse, ut nulli certi limites indifferentismo queant unquam determinari. Catholici vero Articulos *principales* a *minus principalibus* quidem secernunt, sensu tamen a tolerantibus omnino diverso; nam principales eos vocant, quos nemo etiam rudis citra salutis dispendium ignorare possit: Alios vero, qui possint inculpate ignorari, et implicite tantum credantur in Ecclesiæ Fide, ut nullum vel minimum Fidei dogma ab Ecclesia definitum a quoquam scienter negari possit.

VII. Revera Christi Religio unum Spiritum unamque fidem jubet, ut Ephes. 4. *Unum Corpus et unus Spiritus.... unus Dominus, una Fides, unum Ba-*

ptisma. Et 1. Cor. XIV. 33. *Non est dissensionis Deus, sed pàcis, sicut in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo*. Matth. XVIII. *si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, et Cap. XXVIII. *docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*. Ab Ecclesia igitur doctrinam recipere debemus eorum quæ Christus eidem mandavit et tradere voluit. Hinc Apostolus ad Titum C. III. 10. *Haereticum hominem devita etc.* Nam injuriam Christo irrogant, qui nec ejus Ecclesiæ obtemperant, nec omnia credunt et servant, quæ ipse servanda præcepit. Itaque Augustinus Lib. II. *de symbolo ad Catechum*: ex omnium Patrum sententia ajebat: *Non habebit Deum Patrem, qui noluerit Ecclesiam habere Matrem*. In omnibus ergo doctrinis Ecclesiæ fides sectanda est.

VIII. Neque Adversarii reponant, illis in locis agi de Articulis fundamentalibus; Ecclesia enim hæreses quascumque damnavit etiam quæ symboli Articulis non adversabantur. Deinde Christi doctrina et fides non a dissentientibus nec ab hæreticis, sed ab Ecclesia petenda est. Demum illa articulorum distinctio a Jurio invecta commentitia est, in Ecclesia inaudita, et contraria Conciliis et Patribus, a quibus sine discrimine ullo hæreses omnes damnantur; sed in iis definiendis nec ipsi protestantes consentiunt. Tandem cum velint, nullum esse infallibilem doctrinæ judicem præter Scripturam, quam privato judicio quilibet recte intelligere credit, nullus erit quoque privatus sensus, qui juxta eorum principia tolerari non debeat, nullaque errorum monstra, quæ sibi asylum in Ecclesia non vindicent, quæ prorsus absurda sunt.

IX. Verum ea tolerantia pugnat etiam cum protestantium principio, quo statuunt, sacras Literas in Religionis dogmatibus esse omninò perspicuas; ex quo sequeretur, errantes ignorantia invincibili non posse excusari; quare uti contumaces et rebelles Dei verbo nec etiam tolerari possent.

X. Denique accedit, neque Deum hanc tolerantiam probare posse, qui cum veram doctrinam hominibus manifestaverit, eam quoque vult, ut credant. Alias frustranea prorsus fuisset Revelatio, quod est absurdum. Ergo et homines eamdem veram doctrinam tantum probare possunt. Sed veritas uno tantum modo est; nequeunt ergo indifferentes se habere ad contrarias doctrinas, quin veritatem simul et mendacium probent, ac divinæ Revelationis utilitatem evertant. Alioquin tolerari debuissent antiquitus Ariani, Macedoniani, Nestoriani, ac stulte egissent quatuor etiam Generalia Concilia eos damnando, quod neque protestantes dixerint, et modo etiam Sociniani tolerandi essent, quod tamen nolunt.

XI. Atque hinc descendit, potiori jure indifferentismum laxiorem esse damnandum. 1. enim id ostenditur argumentis omnibus, quibus Religio revelata supra demonstrata est. Hæc autem una tantum est, cum Deus seipsum negare non possit, nec sibi contradicere. Sed hæc unica Religio statuit, per eam solam salutem æternam posse obtineri: ita Marci XVI. *Praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* Nec sola moralia præcepta ratione cognita sufficiunt, jubente Christo Matth. XXVIII. *docentes eos servare omnia quaecumque mandavi*

vobis. Itaque ajebat (Lucæ XI. 23.) *Qui non est mecum, contra me est: et qui non colligit mecum, dispergit*. 2. Supponunt indifferentistæ, Deum Cultum nullum ab homine exigere, nullamque eis præcipere Religionem, quod falsum esse tota Sectione I. ostensum est. Falluntur ergo. 3. Hi sunt in Deum maximè injuriosi, qui nihil pensi ducunt, sive Deus habeatur unus, an plures: sive duo sint bonus unus, alter malus: au sit Spiritus perfectissimus, vel magno se corpore misceat. Nihili faciunt sive Deus putetur omnium Creator et provisor, an omnia sint a se et increata. Pro nihilo habent sive Christus adoretur ut Deus, sive reputetur impostor. In eodem censu ponunt blasphemias et benedictiones, contumelias et laudes, verum et falsum, bonum et malum, honestum ac turpe; qui enim hæc longè contraria sibi ut vera ac bona suadent, juxta illos æque æterna præmia consequi valent, sive Muhamedani sint, sive Judæi, sive Apostatæ, sive Pagani; quibus propterea acriter minatur Dominus Isaiæ V. *Vae qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras . . . Vae qui sapientes estis in oculis vestris* ... et quæ sequuntur. Monstruosa igitur Indifferentistarum secta omnium est flagitiosissima.

XII. Non desunt tamen plura etiam in sacris Literis expiscari Indifferentistæ in perditæ suæ causæ patrocinium, ut loca in quibus bona moralia opera commendantur; quasi meritoria esse possint opera sine recto erga Deum obsequio, et sine Fide, cum tamen sine Fide impossibile sit placere Deo. Dum ergo unum commendatur, non excluditur alterum, atque ut ajebat Christus Matth. 23. 23. *Haec oportuit facere, et*

illa non omittere, Opponunt tamen dixisse Apostolum ad Rom. 14. 5. *Unusquisque in suo sensu abundet*; quasi hanc facultatem quidlibet opinandi concesserit omnibus. At non putamus, tantam absurditatem sibi adversarios persuasisse. Noverint enim vel pueri, id ab Apostolo de rebus licitis dictum esse, et nulla lege vetitis, in quibus ant agendi aut opinandi libertas datur. Alioquin cur tot labores sustinuisset ut in fidei unitate Fideles servaret, quibus etiam jubebat « *ab omni specie mala abstinete vos?*

XIII. Instant præterea 1. in nostra potestate non esse easdem de rebus ideas habere, quare si voluisset Deus ut omnes eamdem religionem colerent, easdem quoque ideas de illa, ut de principiis naturalibus, in mentem singulorum immisisset. 2. Tyrannicum videtur, ajunt, immensam hominum damnare multitudinem, quod a vero Dei cultu non cordis pravitate, sed errore intellectus recedat. Sed ut ad primum occurramus; quamquam non semper in nostra sit potestate easdem habere ideas, id tamen non raro possumus: semper verò circa Religionem easdem possumus ideas habere, cum eam Deus nobis exhibet et annuntiare facit, eamque jubet ut amplectamur, tunc enim et lumen et auxilium tribuit, quo id possimus. Quis enim obedientiam et fidem ex Dei auxilio impossibilem dixerit? Blasphemum esset enim dicere, Deum jubere quod in nostra non sit potestate, aut Deum nos non adjuvare cum imperat ut ipsi obtemperemus. Cum vero maximè rationi consentaneum sit, Deo esse obtemperandum, eique mentis obsequium exhibendum, quo felices simus; oportet, ut illud homines obsequium præstent, atque ut sint viribus ad illud præstandum in-

structi affirmandum est. Quare cum Deus verum Cultum ab hominibus sibi exhiberi velit ac jubeat (ex Sect. I. C. 2.), vires quoque omnibus tribuit sufficientes, ut id præstare valeant, et ad statutum sibi felicitatis finem pertingere. Licet autem in Religionis negotio non adsit mathematica evidentia, adest tamen evidentia moralis omnium certissima, cui nullus impunè refragari possit. Ad alterum reponimus, omnes qui veræ defectu Religionis damnantur, in eam perniciem incurrere, non quod invincibili ignorantia laborent, sed ob malitiam voluntatis et inobedientiam pervicacem aut etiam ob desidiam vel ob humanos respectus ob quos sæpe Deo parere detrectant. (1). Itaque blasphemum plane et impium est Deum ipsum crudelitatis ac tyrannidis accusare quod hominis perversitatem punitam velit, qui nisi id vellet nec sanctus esset nec justus. Nam si, quod hominibus placet, id liceret, impiis omnibus ac scelestis indulgere Deus deberet. Hinc Apostolus (ad. Gal. V. 20.) inter opera carnis quæ a Regno Cælorum eliminant, sectas, hæreses ac dissensiones circa Fidem et circa obedientiam Ecclesiæ

(1) De la Mennais: *Essai sur l'indifference en matiere de Religion* hæc sapienter animadvertit « *Ni l'ignorance, ni l'erreur est un crime en soi, l'une et l'autre pouvant être involontaires. Nul n'est donc coupable précisément parce qu'il ignore, ou parce qu'il se trompe: et c'est pour ce là, c'est parce que l'homme ignore naturellement, et se trompe avec une facilité si deplorable, que Dieu n'a pas voulu faire dependre de sa raison mais de sa volonté la connoissance des verités necessaires. Il a tout ménagé, tout disposé, pourqu'elles lui fussent attestées dans tous les temps par un temoignage d'une autorité infinie. Des lors en les rejetant, sa volonté sans excuse se rend coupable d'un crime infini, dont l'orgueil sans borne est le principe,*

præstandam recenset, quas propterea omnes vitare debent, si salvi esse ac felices velint (1).

CAPUT VI.

QUOD SOLA VERA CHRISTI ECCLESIA SIT SUPREMUS JUDEX CONTROVERSIARUM FIDEI, ET LEGITIMUS INTERPRES TUM SACRARUM SCRIPTURARUM TUM DIVINARUM TRADITIONUM.

I. Hæc Propositio ex iis, quæ hucusque disputata sunt, recta descendit. Cum enim Ecclesia sit Dei opus in qua vera traditur Doctrina circa Religionem et circa mores: ea vero nullo modo innotescere certo possit per varia systemata ab heterodoxis conficta, superest ut per Ecclesiæ judicium ea nobis fiat manifesta. Ut enim experientia satis ostendit, sæpe in Ecclesia maximi momenti controversiæ excitantur, quæ universam corrumperent non modo Revelatam sed et ipsam Legem Naturalem, nisi Tribunal aut Judex adesset, a quo dissidia componerentur, et partes discordes ad obedientiam revocarentur. Imo Ecclesia tunc esset societas

(1) De his quæ hucusque disputavimus præter memoratum egregium Opus Ab. *De la Mennais*, videndi Gazzaniga T. I. Par. 2. diss. 2. C. 6. et 7. Tassoni *la Relig.* T. III. C. 30. Ab. Hespelle *La Theolr.* T. I. Chap. XI. Sardagna *Theol.* T. II. Controv. 2. et 6. Fiumi *Schola Verit. Orthod.* T. I. Narratio. I. Bossuet *Histoire des Variat. etc.* Noghera *Riflesa. per discernere la vera Chiesa.* Riflessione I. e II. Berti *de Theol. discipl.* Lib. XXIII. Capp. 2. 3. 4. et 5. etc. Bellarminus *De Ecclesiâ Chr.* Walemburchii Fratres in Tract. generali etc.

omnino informis, quæ nedum videretur Deo digna, sed nec humano legislatore ullo. *Controversiarum igitur, quae circa divinam Doctrinam sive scriptam sive traditam oriuntur, ut etiam circa Ritus et disciplinam Judex supremus legitimus et perpetuus est Ecclesia Catholica*, nempe illius Præsules, Pastores, sive Episcopi vel in Conciliis Oecumenicis legitime congregati vel per orbem diffusi, qui in eamdem sententiam simul cum totius Ecclesiæ Capite Visibili Romano Pontifice moraliter consentiant. Quod his momentis ostenditur, præter ea quæ Sect. II. Cap. IX. N. IV. dicta sunt.

II. Nam 1. soli huic Ecclesiæ jussum est a Christo Domino ut ea omnia doceat, quæ mandavit Apostolis eorundemque successoribus, iisque solis Spiritus Sanctus promissus est, qui maneat cum illis in æternum, qui Joan. 14. inquit: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, qui maneat vobiscum in aeternum, Spiritum Veritatis ... Ille vos docebit omnia etc.* Apud illos igitur est prærogativa judicandi, quibus Spiritus Veritatis promissus est: At is promissus est Apostolis eorundemque successoribus, *ut maneat cum illis in aeternum*. Nam Christus Matth. 28. mandat Apostolis ut doceant omnes gentes suam illis præsentiam spondens usque in finem: *Docete omnes gentes ... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*: qua pollicitatione nemo non videt, Christum spondere Ecclesiæ præsulibus, quod suo nomine semper usque ad mundi finem judicandi potestate gaudebunt. 2. Ipse Christus, ut habet Apost. ad Ephes. C. IV. *Dedit quosdam quidem Apostolos .... alios autem Pa-*

stores et Doctores in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi donec occurramus omnes in unitatem Fidei . . . ut jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Quibus verbis non potuisset Apostolus clarius declarare necessitatem hujus Ecclesiastici Ministerii, nec expressius fraudes et artes pingere hæreticorum, quas destruere ad Pastores spectat, ut semper in Ecclesia factum est. Eodem enim jure quo Episcopi in Concilio Nicæno Arianos damnarunt et Catholicam Fidem docuerunt, eodem prorsus in Concilio Tridentino Patres errores plurimos proscripsere et Fidem Catholicam definivere, atque ita usque ad finem Mundi fiet. Ecclesiæ itaque Proceres sunt Legitimi interpretes sensus Scripturarum, ac doctrinæ divinitus traditæ a Christo Domino constituti ut eam servent ac doceant.

III. Quod ulterius 3. loco ostenditur ex Veteri Testamento, ubi divina potestas in ferendis judiciis Ecclesiæ promittitur Isaiæ C. 59. ibi enim Deus Pater ita Christum allocutus est: *Cum venerit Sion Redemptor . . . hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, et Verba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum*. Hanc prophetiam de Christi Ecclesia factam esse, testatur Apostolus dum illius partem affert ad Rom. XI. 26. Cum ergo Ecclesiæ judicia sint ex ipso Dei spiritu, suprema ac legitima sint necesse est, ut eis omnes parere debeant. Semen enim de cujus ore non recedent Christi verba, sunt Apostoli et eorundem in

ministerio Ecclesiæ successores, quibus omnibus potestatem sibi a Patre traditam Christus sæpius in Evangelio declarat, se in eos transferre, ut Joan. 20. 21. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Hinc ajebat Apost. 2. Cor. V. 21. *Pro Christo ergo Legatione fungimur*. Quis ergo Ecclesiæ Præsulibus denegabit judicandi potestatem?

IV. Denique id constat ex universa Apostolica et Ecclesiastica historia. Incipiendo enim a Controversia Legalium omnes enatæ dissensiones ab Ecclesiæ Tribunali, et a Conciliis semper firmissimè definitæ sunt, et pervicaces ab Ecclesia expulsi. Hæc autem Ecclesiæ potestas si ubique et semper splendet, maxime elucet in Conciliis Oecumenicis legitimè peractis, quorum exemplum fuit illud ab Apostolis collectum Actorum XV. cujus sententia dicitur a Spiritu Sancto prolata ea celebri formula: *Visum est Spiritui Sancto et nobis.* Et quidem si Christus spondet (Matth. 18.) se in medio fidelium futurum, quando privatim duo vel tres ad orandum convenerint; potiori jure id pollicitus est Ecclesiæ Pastoribus, *quos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (Act. XX.), quando in ejus nomine legitimè ex officio conveniunt ad ipsius voluntatem circa Ecclesiæ regimen agnoscendam, aut ad Cælestem Doctrinam fidelibus declarandam. Jure igitur Ecclesia universa, cui Spiritus Veritatis in æternum promissus est, eos semper uti hæreticos et a Christo extorres damnavit, qui Conciliorum definitionibus acquiescere detrectarunt. Tandem quod legitimum Ecclesiæ judicium a Romani Pontificis sententia dissentire non debeat, id suo loco demonstrabitur. Modo sufficiat adnotasse, hanc sem-

per fuisse Ecclesiæ Regulam, ut liquet in controversia de Paschate sub Victore Pontifice, in causa Baptismi hæreticorum sub Stephano, in causa Dionysii Patriarchæ Alexandrini sub Dionysio Papa, atque ita deinceps: semper enim Romani Pontificis sententia emicuit, eandemque cæteri Præsules secuti sunt, ut Miltiadis sententia in causa Donatistarum, Julii Papæ in causa S. Athanasii, ita ut aut Romanorum Pontificum sententia requisita sit, aut per eam causæ omnes ultimo fuerint definitæ. Constat igitur ex perpetua Ecclesiæ praxi de supremo ac legitimo Ecclesiæ Judicio.

V. Ut invicta hæc argumenta aliqua via eludant heterodoxi, commenti sunt, has promissiones Ecclesiæ factas esse conditionatas habendas, si nempe Ecclesia Veritatem sincere inquiret, et secuta fuerit. Commentitium plane effugium; nullibi enim hæ conditiones leguntur; quin potius hæ promissiones sunt absolutæ uti necessariò esse debent: 1. enim factæ sunt non in bonum alicujus particularis, sed est gratia gratis data et singulare Dei beneficium factum in bonum totius universi; quo veritas non ab hominibus sed a Spiritu Sancto per Ecclesiæ ministerium tradatur. 2. Quia Christus pollicitus est, Spiritum veritatis mansurum in Ecclesiæ Pastoribus in æternum, et se ipsum cum iis futurum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi; ex quibus infertur, nunquam veram doctrinam in Ecclesia defuturam; quod si per impossibile deficeret, tunc error non in Ecclesiam, sed in Spiritum Sanctum caderet; quod est absurdum. Hinc ea gratia semper Dei Ecclesia fruitura est; quod etiam clarius

infra ubi de Ecclesiæ indeficientia et perpetuitate patebit (1).

CAPUT VII.

NOTIO VERÆ CHRISTI ECCLESIÆ TRADITUR, ET QUOD EA VISIBILIS ESSE DEBEAT, OSTENDITUR.

I. Postquam circa supremum Judicem Controversiarum fidei hæreticorum paradoxa dispulsa sunt, et hæc prærogativa soli Christi Ecclesiæ vindicata est; modo est inquirendum, quænam sit et ubinam gentium ea Ecclesia vigeat, et quibusnam dotibus et Characteribus distincta esse debeat, ut ab omnibus populis Orbis universi a spuriis Societatibus Christiani nominis facili ac prompto judicio, ut Deus providere debuerat, discernatur. Nam etiamsi omnes qui recto corde vocem Dei audire satagunt, eam facile agnoscant; cum tamen heterodoxorum sectæ singulæ Veræ Ecclesiæ dignitatem immerito sibi usurpare tentaverint, illius proprietates et characteres adeo pervertere et obscurare conati sunt, ut si eos audire volueris, jam nemo queat in terris Veram introspicere Ecclesiam. Operæ igitur pretium est, ut Veræ Ecclesiæ Notæ demonstrentur, quo sta-

(1) V. Noghera: *Riflessioni sull' infallibilità della Vera Chiesa*. Hespelle *La Theotr.* T. 2. C. 31. Melch. Canus *de Locis Th.* Lib. IV. Tournely *De Ecclesia* Quaest. 5. per totum, aliique Auctores supra recensiti, quibus accensendus Ant. Valsechi *La Verità della Chiesa Cattolica: Ragionamento preliminare su la necessità d' un interprete della Rivelazione*.

tuto disputationes omnes cum heterodoxis finitæ erunt, ut nemo errare possit, nisi qui velit.

II. Sed primo quid veniat Ecclesiæ nomine determinandum est. Juxta nominis etymon *Convocationem* seu *coetum* significat a græco verbo καλεω *voco*, ex quo εκκαλεω *advoco*, *convoco* unde Advocatio isthæc. Εκκλησια *Ecclesia* nempe dicta est; qua voce in Scripturis sacris adhibita, Cœtum fidelium intelligimus, prout omnes totius universi fideles unicam Universalem Ecclesiam constituunt, de qua dicimus in Symbolo Apostolorum « *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam*. Hoc autem nomen dupliciter accipitur. 1. Improprie et per synecdochen, pro loco nempe convocationis, ut Judith. C. 6. *Per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt*. 2. Proprie, pro ipsamet convocatione, ut Psal. 149. *Laus ejus in Ecclesia sanctorum*. Rursus Ecclesia proprie dicta vel sumitur latiori sensu, quatenus Triumphantem complectitur in Cælis, patientem in Purgatorio, et militantem in terris, atque ita generatim sumpta definitur: *Coetus Sanctorum sub uno Capite Christo Deo servientium*: Vel sumitur *strictiori sensu* pro cœtu fidelium in terris militantium sive ante sive post Christi Adventum: Vel *strictissimè*, et pro cœtu fidelium baptizatorum, atque hoc postremo sensu varie definita et appellata est, ut *Ecclesia Catholica*, *Catholicorum Collectio*. At pro majori hujus rei perspicuitate ab omnibus ferme adhibetur definitio seu potius descriptio a Bellarmino tradita Lib. 3. de Ecclesia Militante Cap. II. ut nempe sit: *Coetus hominum ejusdem Christianae fidei professione et eorundem Sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum*

Pastorum ac praecipue Unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis.

III. Hæc definitio Scripturis fulcitur, ut infra clarum fiet, ex. g. illo Apostoli testimonio Act. XX. quo Ecclesiæ Pastores alloquebatur: *Attendite vobis; et universo Gregi; in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei*. Sed et roboratur antiquorum dictis; nam S. Ignatius Epist. ad Trallianos C. 3. ait, sine Presbyteris et Episcopis Ecclesiam non vocari: et a S. Cypriano Ep. 96. Ecclesia vocatur *Plebs Sacerdoti adunata, et Pastori suo Grex adhaerens*: Hieronymus vero adversus Luciferianos N. 21, ait: *Ecclesia non est quae non habet Sacerdotes*. Improbant tamen heterodoxi ultimam definitionis partem, quia subjectionem ergo Romanum Pontificem ablatam vellent. At immerito, Ambrosius enim in Psal. XL. N. 30. habet » *Ubi est Petrus* (sive illius successores), *ibi Ecclesia*. Quod suo loco demonstrabitur. Tradita itaque definitio nonnisi Ecclesiam in terris militantem designat, de qua modo cum protestantibus a nobis controversia agitatur; sed Catechismus Romanus observat P. I. de IX. Symb. Art. N. 5. duo in militante Ecclesia esse hominum genera, bonorum nempe atque improborum; et improbi quidem eorundem Sacramentorum participes eamdem cum bonis fidem profitentur vita et moribus dissimiles: Boni vero in Ecclesia dicuntur ii, qui non solum fidei professione et communione Sacramentorum, sed etiam spiritu Gratiæ et caritatis vinculo inter se conjuncti sunt et colligati. Hinc interna sanctitas ad veram Christi Ecclesiam pertinet, imo ejusdem est quasi Anima et Spiritus, sed mentio de ea facta non est, ut omnibus

Ecclesiæ membris aptari definitio posset, quæ propterea non totam Ecclesiæ essentiam complectitur, sed eam partem quæ visibilis est, de qua solliciti esse debemus ubi de Ecclesiæ auctoritate agitur, cui obtemperare tenemur (1).

IV. Itaque, juxta Scripturas, Ecclesia consideranda est instar Corporis humani animati, ut spiritus et corpus in ea sint distinguenda, ut Corpus sit Cœtus hominum eamdem fidem sub legitimis Pastoribus profitentium: Spiritus verò sint gratia sanctificans et spiritualia dona, virtutes nempe Fidei, Spei, et Caritatis, quibus veluti spiritu Ecclesia a Deo per Spiritum Sanctum animata et directa est. Quare quinque modis possunt homines ad hanc pertinere Ecclesiam. 1. Quidam pertinent non ad Corpus tantum sed etiam ad ejus Spiritum, et sunt justi gratia sanctificante exornati, qui non exterius tantum fidem profitentur, sed etiam interius per Fidem, Spem et Caritatem eidem, ut vita Ec-

(1) Hanc veram Ecclesiæ militantis notionem declinare ausa est pseudosynodus Pistor. cum in Append. N. 28. de corpore Ecclesiæ agens, *statuit eam esse considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite et Fidelibus qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate.* Per quæ magnifica verba ad fucum faciendum consarcinata non considerantur nisi Ecclesiæ spiritus ejusque spiritualia dona, ejusdem verò visibilitas sub legitimis Pastoribus in orbe necessaria omnino excluditur. Quare hæc doctrina ut *haeretica* damnata est a Pio VI. in Bulla *Auctorem Fidei*, *eo nempe sensu intellecta ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate*. Nam sic accepta ea doctrina concordat adamussim cum errore protestantium, qui eam dant definitionem ut Ecclesiam invisibilem faciant, ut mox visuri sumus.

clesiæ membra, conjunguntur. 2. Quidam pertinent ad ejus spiritum, non vero ad corpus, qui nempe sanctificati per gratiam exterius cum cæteris fidelibus non communicant, ut quidam Catechumeni caritate flagrantes, quidam injustè excommunicati, et hæreticorum schismaticorumque infantes rite Baptismate initiati, et ex his alii qui nondum peccarunt, nec in hæreseos suspicionem venerunt, qui omnes de Spiritu Ecclesiæ participant non de corpore illius. 3. Pertinent quidam ad corpus, non ad spiritum, ut sunt peccatores, excommunicati occulti, hæretici, atque etiam increduli Baptismate insigniti, qui externe morantur legitimis Pastoribus subjecti, qui tamen uti membra Ecclesiæ mortua considerantur, quique rursus in binas classes dividi possunt; ut 4. modo sint in Ecclesia peccatores qui fidem retinent, cum hi non exterius tantum, sed interius etiam eidem aliqua ratione uniantur. 5. autem modo hæretici, increduli, et schismatici occulti, qui exterius dumtaxat Ecclesiæ adhærent, cum interius nullo vinculo eidem copulentur.

V. Hujus autem Militantis Christi Ecclesiæ tres proprietates recensentur, Characteres vero sive Notæ quatuor; ut proprietates ejus sint, quod *Visibilis* esse debeat, *perpetua* in terris, et *indefectibilis*, sive quod deficere in fide nunquam possit: Characteres autem ex quibus ab omnibus ut Vera Christi Ecclesia dignosci queat, sint quibus eam in Symbolo insignitam profitemur, cum eam dicimus *Unam*, *Sanctam*, *Catholicam* et *Apostolicam*; de quibus omnibus est singulatim agendum. Sed hic est considerandum, quod cum visibilis Ecclesia ostenditur, non de materiali tantum ejus sensibili aspectu id est intelligendum, sicut quæ-

çumque conspiciuntur hominum societates; quod parum aut nihil conferret ad Ecclesiæ gloriam et majestatem atque ad universi bonum; sed ea ita visibilis propugnanda est, ut hæc prærogativa rectè contemplantibus præterea manifestet, eam esse hominum societatem speciali Dei providentia constitutam ad veram profitendam Religionem, verumque cultum ipsi Deo placitum eidem exhibendum. Hanc autem Ecclesiæ prærogativam cum primum hæretici agnoscerent, postea tamen convicti, suas societates ante eorum antesignanos visas in terris nullibi fuisse, dixerunt fuisse occultas, et in interiori tantum animarum sanctitate veram Ecclesiam consistere, ut hoc effugio se veram esse Ecclesiam imperitis suadere possent. Hic autem error sequentibus momentis excluditur.

VI. Et 1. quod *Christi Ecclesia visibilis esse debeat*, ex Scripturis palam fit, ubi variis figuris designatur; ut Isaiæ C. II. similitudine Montis in vertice montium, ut fiat omnibus conspicua: *Et erit praeparatus Mons domus Domini in vertice montium ... et fluent ad eum omnes gentes etc.* Tum Matth. V. significatur nomine civitatis supra montem positæ, quæ latere non possit. Psal. autem 18: comparatur soli, ut non sit, *qui se abscondat a calore ejus.* Atque ita aliis symbolis, quæ non modo visibilem, sed splendidam ac toto orbe notissimam eam designent. Sed ulterius Christum Dominum Ecclesiam visibilem constituis se apertum est, cum se hominem fecerit, Collegium Apostolicum sibi conjunxerit pluresque discipulos. Sed et ipse Apostolos eorundemque successores *posuit Episcopos regere Ecclesiam* suam, ut habet Paulus Act. 20.: Mandat Matth. 17. adeundam esse

Ecclesiam: jubet Petro ut pascat gregem suum, Jo. 21. Quæ et alia nisi Ecclesia esset visibilis præstari non possent. Præterea perpetuum ministrorum ordinem in Ecclesia Christum instituisse testatur Apost. ad Eph. 4. *Ipse dedit quosdam Apostolos ... alios Pastores et doctores in opus ministerii.* Hoc autem ministerium quomodo a Pastoribus exercebitur, si Ecclesia sit inconspicua?

VII. Hanc veritatem evincunt rationes plurimæ. Nam Ecclesia est Cœtus hominum qui in suam societatem admittere, vel excludere ab ea potest. 2. Illius Pastores Evangelium omnibus prædicare tenentur. 3. Ad eam omnes quibus fides annuntiata est, se debent adjungere, dicente Christo; *qui non est mecum contra me est*: quæ omnia essent impossibilia, nisi Ecclesia facile conspiceretur. Quare Patres omnes hac in re concordissimi sunt. Augustinus adv. Donatistas Ep. 105. ajebat: *Ipsa est Ecclesia in sole posita, hoc est in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terrae.* Et Chrysost. in Isaiam Hom. 4. *Facilius est solem extingui, quam Ecclesiam deleri....*

VIII. Falsum ergo est, quod ajunt heterodoxi, sufficere unionem internam ut quis sit in Ecclesia. Nam externa fidei confessio certe necessaria est, dicente Apost. Rom. X. *Ore autem confessio fit ad salutem.* Necessaria est etiam Sacramentorum participatio, et legitimis Pastoribus subjectio, ut internum illud vinculum nemo Baptizatus inter hæreticos servare possit, nisi qui absque culpa ulla ignorat, intra Veræ Ecclesiæ fines non morari. Nec quidquam refert, quod ajunt *Sanctam Ecclesiam* esse fidei articulum, ut eam in Symbolo profitemur; Objectum autem fidei invisibile

esse debere; simul enim a nobis videtur Ecclesia, et simul creditur, diversa tamen ratione. Nam ut homo visibilis dicitur, etiamsi nobilior ejus pars, spiritus scilicet, non videatur; ita et Ecclesia conspicitur in corpore Pastorum eam regentium, in administratione Sacramentorum, in Cultu publico et in Conciliis convocata, atque auditur in doctrina quam profitemur; At simul eam credimus a Jesu Christo fundatam, a Spiritu Sancto directam, et innumeris spiritualium donorum largitionibus locupletatam. Ita Baptismum credimus, quamquam administrari videamus; et Apostoli Christum viderunt, et simul quantum ad divinitatem crediderunt.

IX. Nullius ergo ponderis objecta illa sunt habenda a Scripturis petita, ut cum dicitur Jerem. 31. *Nova lex scripta in cordibus*: Aut cum Hebr. XII. 18. fideles dicuntur *Non accessisse ad tractabilem montem et accensibilem ignem*: vel cum 1. Pet. 2. vocantur fideles *domus spiritualis*: aut Jo. 4. cum habet Christus, quod *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate*. Nam his in locis agitur de donis Gratiæ, deque Spiritu Fidei, Spei, et Caritatis, quo ducuntur veri Dei cultores qui ad Cælestem Patriam aspirant. Nova autem Lex de qua Jer. 31. non est ipsa Ecclesia militans, cum hæc sit illa hominum convocatio, qui Legem Novam profitentur. Quare ibi abundantiora interioris Gratiæ dona designantur, quæ in Christi Ecclesia tribuenda erant. Ad Hebræos XII. autem non sermo est de Militante Ecclesia, at vero de triumphante, quare subditur, *sed accessistis ad Sion Montem, et Civitatem Dei viventis, Jerusalem Caelestem etc.*

X. Opponunt alii, quod si Ecclesia apertis notis distingueretur, nemo bona Fide extra Ecclesiam degeret, ad eamque omnes convolarent, quod non contingit, ut invisibilis dicenda sit. Hæc tamen illatio recta non est. Licet enim Ecclesia maxime conspicua sit, illius tamen characteres non ita per se innotescunt, ut consideratione aliqua non indigeant. Deinde evenire potest, ut quamquam manifesta sit ejus cognitio, multi tamen præjudiciis et cupiditatibus præpediti ab amplectenda veritate deterreantur; quod heterodoxi optime noverunt. Argumentum ergo nimis probaret. Quod si aliquando Christus Dominus interrogantibus Judæis, quando venturum esset Dei regnum, respondit, Lucæ 17. *Non veniet Regnum Dei cum observatione, neque dicent, ecce hic, aut ecce illic: Ecce enim Regnum Dei intra vos est*. Non ibi certè de Ecclesia sermo est, verum de Messiæ adventu, quem non cum pompa et majestate terrena venturum affirmat, ut eum præstolabantur carnales Judæi. Addit vero, *Regnum Dei intra vos est*; quia jam ipse advenerat, et Ecclesiam per Apostolos et discipulos ædificare incipiebat.

XI. Quæ autem adversarii ad perditam causam sustentandam expiscantur in Operibus Patrum, nihil eos juvant; cum nullibi affirment, Ecclesiam ullo tempore inconspicuam fieri, sed tantum eam aliquando minus gloriosam dicant ob multitudinem scandalorum, minusque fulgentem, ita tamen, ut Augustinus ait, quod *tunc etiam in suis firmissimis emineat*. Quod si contigerit ut exortis in Ecclesia controversiis et concertationibus, ignorare Fideles possint, quænam dissidentium pars veritatem tueatur; nullum inde fidelibus detrimentum eveniet, si illis in circumstantiis

Ecclesiæ judicium, ut eos facere oportet, expectabunt, eique plene et ex animo assentientur, quæ in cæteris proprietatibus omnibus semper visibilis erit, et indubiis signis divinæ protectionis fulgebit (1).

CAPUT VIII.

QUOD VERA ECCLESIA PERPETUITATE DONATA SIT UT NUNQUAM DEFICERE IN TERRIS POSSIT, EVINCITUR.

I. Quamquam heterodoxi, inter quos Basnagius, clamitent, disputationes de Ecclesiæ visibilitate, ac indeficientia inter logomachias, seu controversias de nomine, esse amandandas; non tamen sunt audiendi, quin potius quilibet Catholicus strenue dimicare debet pro his divinis proprietatibus Ecclesiæ vindicandis, quibus cum certe careant spuriæ quæcumque societates sive hæreticorum Sectæ, agnoscere jamdudum debuissent, a vera Ecclesia matre defecisse. Hæ itaque proprietates non modo latibula adversariis obstruunt et effugia intercipiunt, ne queant evadere; sed etiam intime conjunctæ sunt cum thesi summopere necessaria de ejusdem Ecclesiæ *asphalia*, *sive infallibilitate* in Fide ac doctrina tradenda, sine qua ut hæretici ita et Catholici essent, ut ait Apostolus, *veluti parvuli fluctuantes et circumlati omni vento doctrinae in astutiam hominum ad circumventionem erroris.*

(1) Bellarm. *De Ecclesia Milit.* Tournely *De Ecclesia* Quæst. I. Gazzaniga T. I. P. II. Diss. 3. Valsecchi: *La verità della Chiesa Cattolica* Cap. VII. Noghera: *Riflessioni per discernere la vera Chiesa. Rifless. III.*

II. Et quidem sæpius adversarii confessi fuerant, Ecclesiam semper fore visibilem. Exinde vero cum perpetuo a Catholicis premerentur, ut ostenderent ubinam eorum ecclesia delitesceret ante pseudoreformationem, non pauci docere cœperunt, eam fuisse invisibilem, ac in solis justis sive electis perseverasse. Quod de visibilitate, idem de perpetuitate confingunt, in quo veterum Donatistarum vestigia pressere, quos ob eandem causam acriter S. Augustinus redarguit. At cum perpetua Ecclesiæ duratio tot claris momentis innixa sit, hinc pauci inter hæreticos inveniuntur, qui apertis eam verbis inficiari audeant, etiamsi hanc perpetuitatem de quadam invisibili Ecclesia esse intelligendam velint. Cum enim Ecclesiam in visibilem dividant et in invisibilem, hanc secundam nunquam deficere posse ajunt atque de ea sola promissiones de illius perennitate factas fuisse contendunt. Visibilem autem alteram ita aliquando obnubilari posse autumant, ut neque ubi sit, neque an sit facile quis agnoscat. Tunc vero, ajebat Claudius, veram Fidem remanere superstitem in nonnullis fidelibus occultis soli Deo cognitis, qui propterea veri appellentur fideles, quosque opinatur per plura sæcula in Romana Ecclesia latuisse, qui subinde in Sectas Wiclefistarum, Hussitarum, Lutheranorum, et præcipue Calvinistarum eruperint. En boni fideles! At Catholici e contra etiamsi non renuant, Dei Ecclesiam aliquando minus fulgere, negant tamen ita obscurari posse, ut nullibi conspicua appareat, eoque magis totam extingui posse inficiantur, licet Ecclesiæ particulares nonnullæ extinctioni subjectæ sint, ut deploranda ostendit experientia. Quod ex humana perversitate atque arrogantia evenire Evangelium declarat Jo. VI.

67. Si enim Jesu Christo in terris prædicante et Ecclesiam colligente, *multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant;* quid mirum, si etiam postea ab ejus Ecclesia plures discesserunt? Cæterum hanc perpetuitatem et indeficientiam non habet Ecclesia ex propria sua essentia, at verò ex promissione divina, quæ non singulis ejus partibus, sed Ecclesiæ ab Apostolis propagatæ, unitate doctrinæ conjunctæ, ac legitimis Pastoribus subjectæ facta est. Itaque *Christi Ecclesiam perpetuo in terris usque ad mundi finem duraturam, sive nunquam defecturam fore*, modo est demonstrandum.

III. Et 1. admirationem parit, protestantes qui Evangelio credere profitentur id non videre, quod semper universa Ecclesia novit a Christo sibi promissum ut ad bonum commune totius Orbis Ecclesia in terris visibilis et indeficiens foret permansura. Ita Matth. 16. hæc Petro pollicitus est: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Matth. vero 28. habet: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos. . . . et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*. Nam utramque promissionem hanc ad visibilem spectare Ecclesiam, quæ erat ex Episcopis colligenda, qui docerent, baptizarent, regerent, et ex plebe quæ erat erudienda et gubernanda, nemo non viderit; eam vero non solos spectasse Apostolos et ex Christi verbis, et ex actis Apostolorum qui successores ordinabant et instituebant, atque ex eventu patet; cum per decem et octo sæcula ea Ecclesia in universo floruerit, eique adhæserint quotquot adhærere voluerunt. Futilis est

itaque quorundam cavillatio, Christum scilicet non promisisse adfuturum Apostolis nisi ad finem usque sæculi, quo ipsi vivebant, nec eorundem successores respexisse: quo cavillulo nihil ineptius, stultius et Christo Redemptori injuriosius a protestantibus confingi poterat. Vana quoque est altera illorum exceptio, qua volunt has promissiones esse conditionate accipiendas, si nempe Ecclesia sancta fuerit et immaculata, cum dicat Apostolus Ephes. V. 27. Christum seipsum tradidisse, *ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam*. Ibi enim non sermo est de militante Ecclesia, quæ ut ajebat Augustinus, oportet ut semper oret ac dicat: *Dimitte nobis debita nostra*; at vero de triumphante Ecclesia ibi Apostolus loquitur, ut clarum est; alioquin Ecclesia jam a tempore Apostolorum desiisset, imo non incepisset unquam, cum tamen doceat idem Apostolus ib. C. 4. *Christum dedisse Ecclesiae quosdam Apostolos . . . alios autem Pastores et Doctores ad comsummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi*: (nempe mystici Corporis id est Ecclesiæ suæ) id vero quousque? Scilicet: *donec occurramus omnes in unitatem Fidei et agnitionis Filii Dei*. Videant ergo quoto tempore Ecclesia in terris perseveratura sit.

IV. Deinde Ecclesiæ perennitas Prophetarum testimoniis roborari posset; de ea enim habetur Isaiæ 61. *Foedus perpetuum feriam eis, et scient in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus*. Quæ verba cum connexa sint cum iis quæ de Christi missio-

ne referuntur Lucæ 4. jam de Ecclesia intelligenda sunt, eaque affirmant tum illius perpetuitatem, tum visibilitatem, *omnes enim qui viderint eos cognoscent illos*. Danielis autem C. II. 44. illustre legitur vaticinium de Christi Regno in terris, sive de illius Ecclesia semper duratura, et quæ tempore monarchiæ Romanorum erat suscitanda: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus Caeli Regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et Regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem et consumet universa regna haec, et ipsum stabit in aeternum*. Quod hæc Prophetia respexerit Messiæ Regnum consentiunt omnes; eam vero omnes etiam, velint nolint, impletam vident. Indeficiens ergo Ecclesia futura est, atque hæc est una vox SS. Patrum, ut apud Tournely (De Eccl. Quaest. 2.) et apud alios videri potest. Unum tamen aut alterum audiamus. Alexander Patriarcha Alex. in Epist. a Theodorato relata Lib. I. Hist. Ecc. C. I. hæc habet: *Profiteor unam ac solam Catholicam Ecclesiam, quae semper quidem inexpugnabilis est, licet universus orbis eam oppugnet: victrix autem est omnis impiae factionis haereticorum, qui adversus eam consurgunt*. Ea scribebat sub initium Sæculi IV. et circa illius finem S. Jo. Chrysostomus in *Orat. antequam iret in exilium*: *Nihil*, inquiebat, *Ecclesia potentius . . . si Ecclesiam oppugnes, vincere nequis; omnibus quippe fortior est Deus: Ecclesia est ipso caelo fortior: caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt, ait Dominus . . . Si non credis verbo, rebus crede. Quot tyranni Ecclesiam opprimere tentarunt? . . . Nihil profe-*

cerunt. Ubinam sunt hostes illi? Silentio et oblivioni traditi sunt. Ubinam Ecclesia? Plusquam sol splendescit etc. Et Hom. 4. in Isaiam: *Ecclesia firmioribus quam ipsum caelum radicibus defixa haeret . . . facilius est solem extingui, quam Ecclesiam deleri*. Pulchre Augustinus quoque in Donatistas hæc inter alia habet Enarr. 2. in Psal. CI: *Sed illa Ecclesia quae fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es? Vide ne tu ideo non sis: nam illa erit, etsi tu non sis. Hanc vocem abominabilem, detestabilem, praesumptionis et falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, praecipitem, perniciosam praevidit Spiritus Sanctus . . . . . Quare dictum est: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*. Hoc vero ex facto ipso ut diximus constat, ut hoc opus esse divinæ Omnipotentiæ ambigere nemo possit. Signum hoc dabat in exordio ipso Ecclesiæ Gamaliel Judæorum synedrium alloquens Act. V. 38. *si enim est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud*.

V. Nihil autem hic difficultates morabimur, quæ proferri solent circa veterem Judæorum synagogam, quam aliquando adversarii defecisse contendunt, ut cum Elias 3. Reg. C. XIX. ajebat: *Et derelictus sum ego solus*. Nam licet semper fuerint Veri Dei Cultores, nos proprie loquimur de Christi Ecclesia a die Pentecostes in terris fundata, quam nunquam interituram ipse pollicitus est. Quanquam Elias loquebatur de Regno

Israel, quod totum ferme in apostasiam defecerat; non autem de Regno Juda, ubi veri Dei Cultus florebat. Quin Elias ea protulit in falsa suppositione, quod in Israel omnes in idololatriam ruissent, cui tamen Dominus respondit: *Reliqui mihi septem millia virorum in Israel, quorum genua non sunt incurvata ante Baäl.*

VI. Ajunt tamen, Apostolum 2. Thess. 2. affirmasse; non venturum Judicii diem, *nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati;* ubi generalis apostasia designatur; præcipue cum dixerit Christus Lucæ 18. *Veruntamen Filius hominis veniens, putas inveniet Fidem in terra?* At respondemus, nos manifestis auctoritatibus Ecclesiæ perpetuitatem demonstrasse, quæ per obscuras oppugnari non potest, ut est Apostoli textus, in quo neque de sensu illius discessionis constat, neque an universalis vel particularis ea defectio futura sit. Videtur tamen, apostasiam illam futuram esse a trunco separationem; truncus igitur superstes erit. Christus verò non universalem Fidei interitum, sed paucitatem credentium eo tempore futuram significat, hinc ait, *propter electos breviandos esse dies illos;* alioquin non de visibili modo, sed et de invisibili protestantium ecclesia tunc actum foret.

VII. Ecclesiasticam præterea historiam adversarii percurrunt, et exempla quædam defectionis Ecclesiæ invenisse ajunt Arianorum tempore, sæviente Constantii persecutione, quando Hilarius Lib. cont. Auxentium scribebat: *Se potius latentem Ecclesiam credere, quam videre;* et quando Hieronymus L. contr. Luciferianos protulit decantatum illud epiphonema: *Inge-*

muit totus orbis, et se Arianum esse miratus est. Opponunt quoque, Concilium Constantiense decrevisse, ne dissolveretur, *quousque Ecclesia esset reformata in Fide et in moribus*. Ex quibus esse inferendum volunt, Fidem tunc Ecclesiam amisisse. At frustra: Nam licet demus, valde his temporibus Ecclesiam fuisse vexatam, absit tamen ut dicamus aut periisse, aut factam fuisse invisibilem; ut enim respondebat Augustinus Vincentio Donatistæ hunc S. Hilarii locum objicienti: *Ecclesia obnubilatur aliquando multitudine scandalorum, sed etiam tunc in suis fortissimis eminet .... tale erat tempus de quo scripsit Hilarius, unde putasti insidiandum contra testimonia tot divina, tanquam perierit Ecclesia de orbe terrarum*. Emphaticè quoque et per hyperbolem ea habet Hieronymus, ut apparenter non autem realiter id contigisse affirmet. Compertum enim est, Ariminenses Patres incautè subscripsisse formulæ ab Arianis oblatæ, quæ hæresim non exprimebat, et Patres præterea omnes Fidei Nicænæ adhærebant. Non itaque totus orbis verè Arianus evasit, sed ingemuit, quod subscripta formula Fidei Catholicæ, qua abutebantur Ariani, ipse ferme totus orbis quasi arianus appareret: alioquin propter hunc dolum sibi ab Arianis factum non ingemuisset. Cæterum nec Liberius Papa Ariminensi formulæ subscripserat ut omnes consentiunt, nec Episcopi alii plures qui Liberio adhærebant ut S. Hilarius, S. Athanasius, S. Eusebius Vercellensis et alii non pauci ob id in exilium acti, cæterique per orbem diffusi, ut paucissimi respectu totius Ecclesiæ Ariminum convenerint juxta Athanasium in sua ad Jovinianum Epistola an. 363. Quare ajebat

Basilius ea de re Epist. 251. *State in Fide: circumspicite orbem terrarum, et videte exiguam esse hanc partem, quae morbo laborat: reliquam autem Ecclesiam quae a terminis usque ad terminos Evangelium suscepit, in hac sana versari et incorrupta doctrina.* Sed et Concilium Ariminense in pseudo-concilium evasisse, omnes tunc noverant, cum omnia per vim et Constantii potentiam ibi acta essent, ut nemo ex eo decipi posset. Quantum vero attinet ad Constantiense Concilium, constat, ea verba esse ad errores referenda Jo. Wicleffi, Jo. Hus, et Hier. Pragensis, a quibus Ecclesiam purgare satagebat membra infecta et putrida resecando. Nam de Ecclesiæ incolumitate hæc habet Sess. VIII. *Sancta Ecclesia catholica in Fidei Veritate superni Numinis radiis illustrata, Domino providente, et Sanctorum patrocinio opem ferente, semper immaculata permanens, errorum tenebris, veluti hostibus profligatis, gloriosissime triumphavit.*

CAPUT IX.

VERAM CHRISTI ECCLESIAM DECIPI NON POSSE, SIVE INFALLIBILITATE ESSE DONATAM IN FIDEI ET MORUM CONTROVERSIIS DIRIMENDIS DEMONSTRATUR.

I. Quæ hactenus de Ecclesiæ Visibilitate atque perennitate disseruimus, planam apertamque viam straverunt non modo ad supremam ipsi auctoritatem vindicandam in Fidei et Morum quæstionibus definiendis, sed etiam ad agnoscendam prærogativam eidem nulla-

tam de iis judicium ferendi ab omni errore immune. Eò enim Christi promissiones de Ecclesiæ suæ perpetua visibilitate collimant, eò tendit potestas Ecclesiam regendi, et controversias legitimo judicio dirimendi, quæ ipsi tributa est, sicut proximo Cap. VI. vidimus, ut illa veram semper doctrinam servet, eamque puram et immaculatam sicuti a Christo accepit, ita judicio errori haud obnoxio fidelibus tradat.

II. Hanc vero judicandi potestatem in Episcopis dumtaxat reperiri affirmat Apostolus Act. XX. 28. quibus ajebat: *Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; idque universa Ecclesiæ praxis confirmat (Ex eodem Cap. VI.). Hæc autem potissima Ecclesiæ pars est illa *Ecclesia docens* a Christo Domino instituta quæ etiam *Lux mundi* et *sal terrae* ab eo appellatur, quam cæteri omnes audire eique subjecti esse debent. Hæc docens Ecclesia simul collecta, vel etiamsi disjuncta eandem doctrinam tradens privilegio non errandi gaudet, quo destituuntur Episcopi seorsim considerati. Sed Ecclesiam generatim sumptam in suis Episcopis, vel in Conciliis generalibus legitime congregatam, vel etiam divisam et in eandem doctrinam conspirantem *ab errore immunem*, *et infallibilem esse habendam*, sequentia ostendunt.

III. Et 1. id comprobant argumenta omnia, quibus Cap. VI. demonstratum est, collatam fuisse Ecclesiæ divinitus potestatem controversias omnes definiendi, et cui jubetur Matth. 17. ut omnes obtemperent, dicente Christo, *si quis Ecclesiam non audierit*, *sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, id est, inter fideles non numeretur. Cum enim illa potestas sit a Spiritu Sancto, a spiritu nempe veritatis, qui mansurus est in

æternum cum sua Ecclesia, et cum proficiscatur a præsentia Christi, qui est *via*, *veritas*, *et vita* dicente ipso Matth. 28. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*: Omnino necessum est ut hæc Ecclesia, quæ organum est ipsius Christi, non nisi vera doceat ac sapiat; alioquin error in ipsum Spiritum Christi refunderetur, quod est impossibile. Id vero ita ostendit Melch. Canus. Lib. 4. *de Locis* Cap. 4. Nam Ecclesia militans est Corpus Christi mysticum, ut habetur Ephes. V. v. 23. *Christus Caput est Ecclesiae*, *ipse Salvator corporis ejus* . . . *Ecclesia subjecta est Christo*: Et v. 29. *Christus Ecclesiam nutrit ac fovet*: Ecclesia igitur a suo capite movetur ac regitur, ut corpus nostrum a capite nostro: præterea Christus est Ecclesiæ Spiritus eam vivificans ac regens; ergo error Ecclesiæ ad Christum referretur, ut brachii et pedis error ad caput et animam; quod fieri nequit, cum sit Christus hujus societatis talis Princeps qui nec falli potest nec fallere: quam Ecclesiæ cum suo Capite Christo copulationem pereleganter describit rursus idem Apost. 1. Cor. 12. ubi his verbis fideles alloquitur: *Vos estis Corpus Christi et membra de membro; et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia*, *primum Apostolos*, *secundo Prophetas*, *tertio doctores* . . . Et Rom. 12. ait: *sicut in uno corpore multa membra habemus*, *omnia autem membra non eundem actum habent*, *ita multi unum Corpus sumus in Christo* . . . Quæ omnia cum aperte testentur de Ecclesia militante hic agi, cujus Caput sit Christus, certe evincunt eam nec errare nec fallere unquam posse.

IV. Id conficitur 2. ex celebri testimonio Aposto-

li I. ad Tim. 3. ubi ait: ***Haec tibi scribo, ut scias, quomodo oporteat te in Domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei Vivi, columna et firmamentum veritatis***. Cujus testimonii vim ut Adversarii eluderent futilia plurima commenti sunt, ut alii ad invisibilem Ecclesiam retulerint, alii vero verborum etiam syntaxin immutaverint. At quomodo possunt de Ecclesia invisibili ea verba accipi, quibus Apostolus Timotheum hortatur qua ratione eum deceat ut inter fideles se gerat, et conversetur? videlicet: *ἱνα ειδῃς, πως δει εν οικῳ Θεου αναστρεφεσθαι, ἡτις εστιν εκκλησια Θεου ζωντος, στυλος και ἑδραιωμα της αληθειας*: ubi *αναστρεφεσθαι*, nihil aliud quam *conversari* inter homines significare potest, ut de visibili Ecclesia intelligi debeat, quæ cum *columna* vocetur *ac firmamentum veritatis*, falli non posse manifestum est. Qui vero syntaxin pervertunt, ut postrema hæc verba cum sequenti periodo conjungere velint, non modo sensum perturbant, sed et in gravem temeritatis notam incurrunt, textum aliter disponentes quam a majoribus lectus semper et explicatus est. Ita ex. g. Augustinus Serm. I. in Psal. 103. hunc textum exponens ait: *Ipsa Ecclesia est praedestinata columna et Firmamentum veritatis*. Quare Grotius Comm. in hunc locum ajebat: *Mirum quam laborent, ut haec verba sequenti periodo connectant!* ut ea scilicet non ad Ecclesiam, sed ad Christum referant. Desipit autem Calvinus, dum ait, Ecclesiam hic vocari *columnam veritatis*, eo quod sit custos Sacrorum Codicum; tunc enim Arca potius appellanda fuerat, cujus est conservare, columnæ vero sustentare proprium sit. Sed etiam inepte insanit, dum argumentum in nos retorquere contendit, effutiens, quod si Ecclesia

Columna sit Veritatis, apud nos Ecclesiam non esse, *ubi non modo sepulta jacet veritas, sed horrendum in modum diruta et eversa pedibus calcatur*. Quasi id impudenter asserere et sæpius repetere satis sit, quin ad ipsum demonstrare id incumbat. Non videbat Calvinus, quod perpetuò principium peteret? Sed, an ne in blasphemam suam synagogam dicendum erit veritatem confugisse, quæ Deum crudelem et iniquum facit, ut jure scripserit Possevinus, *qui velint esse athei, calvinismum profiteri oportere?* Alii tandem de eo testimonio alia dixere; ut inter tot tamque varias hæreticorum interpretationes illud Irenæi Lib. IV. C. 35. de Gnosticis dici posset: *cum inter eos convenerit de iis quae in Scripturis sunt praedicta, tunc a nobis confutabuntur*.

V. Tertium momentum eruitur ex Christi verbis Matth. 16, ubi ait: *Aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*; id est mors et error eam nunquam præoccupabunt: At si errorem aliquando docere posset; prævalerent inferorum portæ: in quo enim alio vincerent? Semper ergo Ecclesia verax erit. Hinc jubet Christus Matth. 17. suam audiri Ecclesiam, ut quisquis eam non audierit *sit habendus ut ethnicus et publicanus*, id est ab Ecclesia extorris et ejectus. Erit ergo semper visibilis, indeficiens et erroris expers ac jubendi potestate donata. Alioquin quomodo adiri posset, audiri, aut qui eam non audierit condemnari? Videtur autem Christus, confirmare hîc voluisse Legem latam a Domino Deuter. 17. 8. *si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris . . . venies ad Sacerdotes Levitici generis et ad judicem qui fuerit illo tempore, quae-*

resque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem; et facies quodcumque dixerint, qui praesunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta Legem ejus, sequerisque sententiam eorum . . . Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille et auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. Hanc Legem confirmasse Christum in sua Ecclesia manifestum est, commutata mortis pœna in expulsionem ab ea. An dicemus, Christum minus providisse Ecclesiæ, quam fuerit provisum synagogæ Judæorum? Cum potius affirmet Apostolus omnia quæ in Veteri Lege acta sunt figuram fuisse eorum quæ perfectius erant in Nova Lege adimplenda: *Omnia enim in figuris contingebant illis.* Revera nisi hæc Ecclesia prærogativa gauderet divinam doctrinam cum potestate ac tuto et sine erroris periculo enunciandi, hæc Societas non modo esset Synagoga inferior, sed et a nulla alia humana societate differret, a nulla secta philosophica discriminaretur, nullo peculiari frueretur Dei favore et præsentia, nec quisquam teneretur ejus doctrinæ ex corde assentiri; quæ omnia impia prorsus et absona sunt, eaque maximum hoc divinæ providentiæ opus in nihilum prorsus redigerent, ac tot manifestas Dei promissiones mendaces facerent, nec non Christi comminationi adversarentur Matth. 28. ubi sub pœna æternæ damnationis docenti Ecclesiæ credendum esse pronuntiat: *Praedicate Evangelium omni creaturae . . . qui vero non crediderit condemnabitur*: quæ docet ergo divina, certaque sunt et ab errore omnino remota.

VI. Ecclesiæ itaque infallibilitas ab ipsa ratione comprobata est. Ut quid enim Christus Dominus tanto opere suam Religionem instituisset, eamque Traditione et Scripturis per orbem universum propagari voluisset, si nullum esset tutissimum medium, quo ejus doctrinam possemus certo cognoscere? Jam vero seposita Ecclesiæ Auctoritate, quam inficiantur heterodoxi, nullum esset, aut esse posset medium divinam doctrinam tuto cognoscendi, cum media quælibet ab ipsis jactata erroribus sint obnoxia, ut vidimus. Cum itaque in Ecclesia esse debeat certa Evangelicæ Veritatis regula, et judex certus: cum illius Pastores Revelatam doctrinam docere debeant, et cavere ne depravetur; inde sequitur Catholicæ Ecclesiæ Pastores ejusdem Revelationi scriptæ ac traditæ esse doctores, interpretes, ac testes; nam cum hæ doctrinæ facile possint in diversos sensus trahi, et Christus non sonum tantum verborum revelaverit, sed sensum potissimum, si nulla esset publica et certa interpretandi regula, nullus certus controversiarum judex, quilibet doctrinam modulo suo metiens et ingenio interpretans, omnia nutarent, atque in tanta opinionum perturbatione ac pravitate Evangelica doctrina tota evanesceret. Tunc ergo Ecclesiæ suæ Christus non satis providisset, nec quid in illa fieret prorsus curaret; in qua impossibili hypotesi ajebat Melch. Canus de Locis L. XII. C. 6.: *si in exploranda Scripturae intelligentia nullus est Ecclesiae certus judex, audeo dicere rempublicam fuisse nullam stultius constitutam*. Ipsi ergo rationi reluctantur, qui Ecclesiam aberrationis expertem negant.

VII. Totam antiquitatem denique doctrinam de Ecclesiæ infallibilitate docuisse superfluum est demon-

strare. Id enim ex praxi constat quam semper tenuit peremptoria judicia adversus Hæreticos edendi, quibus auditis Ecclesiæ Matris Oraculis, qui fideles erant illico paruerunt, et qui parere detrectarunt tremendo anathemate percussi ut rebelles ejecti sunt, quæ fidelium ejectio crudelis et injusta fuisset si Ecclesia summa non polleret judicandi et infallibili potestate. Itaque ajebat Irenæus Lib. III. C. 4. *Non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime contulerint omnia, quae sunt veritatis*. Tertullianus totus est in hac veritate ostendenda in Libro *De Praescriptionibus*. Augustinus vero Lib. I. *de Symb.* ad Catechumenos inquiebat: *Ipsa est Ecclesia Sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica contra omnes haereses pugnans. Pugnare potest, expugnari non potest: Haereses omnes de illa exierunt tanquam sarmenta inutilia de vite praecisa. Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua: portae inferorum non vincent eam*. Et contra Epist. Fundamenti ait: *Ego Evangelio non crederem nisi Ecclesiae Catholicae me commoveret auctoritas. Quibus ergo obtemperavi dicentibus, crede Evangelio; cur non obtemperem dicentibus mihi, noli credere manichaeis?*

VIII. Hæc demum Ecclesiæ *asphalia* sive infallibilitas iis omnibus osteuditur argumentis, quibus Cap. VI. jam demonstratum est, eam supremum esse Controversiarum Judicem in rebus fidei et morum. Talis autem est agnoscenda non ex sui natura et essentia quatenus ex hominibus constat, sed ex promissione divina, atque ex perpetuo Christi Domini auxilio præsentia et

Spiritu, cum sit Caput illius invisibile a quo inspiratur et regitur. Est itaque infallibilis Ecclesia 1. Cum est in Conciliis Generalibus ac legitimis congregata. 2. Omnes particulares Ecclesiæ etiam per Orbem diffusæ quotiescumque cum Corpore Ecclesiæ ac potissimum cum *Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum Matre ac Magistra a Christo Domino constituta* conveniunt; Tunc enim in Fidei dogmatibus et in morum regulis edocendis Ecclesia est omnis erroris expers, cum sit *Columna et firmamentum veritatis.* Hinc singuli fideles via plana et facili certi redduntur de doctrinæ Veritate sibi ab Ecclesia propositæ; cum nempe conspiciunt, particularem aliquam docentem Ecclesiam esse cum Centro Catholicæ Communionis conjunctam, nempe cum Romana Ecclesia; quod facillime quilibet fidelis etiam rudis et novit et cognoscere potest: Est enim Ecclesia docens Cœtus Pastorum in Fide cum Romana Ecclesia conjunctus (1).

(1) Incredibile videbatur post tot momenta Ecclesiæ indeficientiam et inerrantiam testantia diœcesanam quandam ridiculam synodum in ipso Italiæ sinu coactam dictatorio plebiscito pronuntiare potuisse, Ecclesiam jamdudum ab his excidisse prærogativis. Ita enim prop. I. inter damnatas in Bulla *Auctorem fidei* hanc hæreticam doctrinam effutiit asserendo, *postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti spectantes ad religionem et quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Jesu Christi.* Ita ne vero? At illa informis congregatio animadvertere debuerat, sui juris non fuisse, de rebus fidei judicium ferre, multoque minus contra Ecclesiæ universalis Primatem et Caput vexillum attollere. Quod si tantum ausa est, non mirum quod turpiter lapsa sit. At quænam erat hæc generalis obscuratio veritatum, quæ sunt basis fidei et morum? Nempe erat rejectio et damnatio errorum a Romana Ecclesia decreta Baii, Jansenii, Quesnellii eorumque asseclarum, quos si vel leviter re-

IX. Verum cum nulla sit Catholica Veritas quam heterodoxi majori cum animorum æstu agitaverint, ut illa est quam tuemur, qua semel admissa a causa excidissent, et illegitime ac impie ab Ecclesia discessisse, fateri cogerentur; hinc nemo miretur, si, cum id facere nolint, nervos omnes intendunt, ut eidem refragentur. Ajunt itaque, promissiones illas de inerrantia Ecclesiæ a conditione pendere, quod Episcopi sancti sint et justi, ut sæpe in Prophetis legitur, et affirmat Apostolus ad Rom. XI. 20. nec non Patres, inter quos Hieronymus, non raro innuunt. At certum est, hanc auctoritatem absque errore doctrinam docendi non ex intrinseca Episcoporum virtute, scientia et sanctitate proficisci, quas dotes nemo videre aut scire potest, sed ex extrinsecâ Spiritus Sancti ope descendere, quam Ecclesiæ nunquam defuturam repetitæ promissiones nulli conditioni alligatæ nos tutos reddunt. Imo docet Apost. I. Cor. 13. donum id esse gratis datum ad aliorum utilitatem, ut etiam peccatoribus in bonum Ecclesiæ tribui possit. Alioquin Deus Ecclesiæ minimè satis providisset, quod absit; nec fideles ullo medio de sua fide certi esse possent, qui tamen credere ac tuto credere a Deo jubentur. Hinc est quod de ipsis pharisæis ajebat Christus Matth. 18. *Quodcumque dixerint vobis servate et facite*, se-

cepisset, de sua infallibilitate actum esset. Non ne hic audire est, non modo Quesnellum in sua XCV. damnata prop. sed potius aut Lutheranum quendam aut perditum Calvinistam contra Ecclesiam Catholicam debacchantes? Sed consulatur opus Card. Hyacinthi Gerdilii: *Esame de' motivi dell' opposizione fatta da Mons. Vescovo di Noli alla Bolla* Auctorem Fidei *Roma* 1800. T. 2. in 8.

cundum autem opera eorum nolite facere. Conditionatæ itaque promissiones, si quæ sunt, de Pastoribus singulatim sumptis erunt intelligendæ, cum hoc privilegium singulis non sit promissum, et qui nisi Corpori Ecclesiæ adhæreant, a Fide queunt excidere; non vero de omnibus prout Ecclesiam constituunt ac repræsentant; atque ita intelligen di sunt Patres et ipse Hieronymus ut ex eorum contextu liquet. Promissiones verò conditionatæ a Prophetis Synagogæ factæ ad illud tempus sunt referendæ quo Christus erat venturus. Atque Apostolum quoque de singulis loqui non de omnibus patet ex ejus verbis: *Tu autem Fide stas: noli altum sapere, sed time*. Quare cum Christus ait Jo. 8. *si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis et cognoscetis veritatem:* de particularibus Judæis est intelligendum quos tunc alloquebatur, non de Ecclesia universa. Ita et alia Jo. 15. *Vos amici mei estis si feceritis quae praecipio vobis*: particulares respiciunt, ut patet; sed particula *si* videtur hic interpretanda pro *quia*, ut sit hebraismus. Cæterum hanc Ecclesiæ infallibilitatem apertis testimoniis demonstravimus, quæ ex obscuris infirmari non potest. Alioquin quid magni Ecclesiæ Christus spopondisset? Non ne idem fuisset ac dicere, eam non aberraturam quousque non aberrasset? Quæ inepta sane fuisset promissio; quod absit.

X. Sed regerunt: Cum singuli Episcopi falli possint, inde conficitur, quod etiam simul sumpti obnoxii erroribus sint habendi. Quod est fallax argumentandi genus. Hæc enim difficultas procedit a sensu distributivo ad collectivum, ut vocant, qui est vitiosus arguendi modus præsertim cum de rerum natura non

agitur. At in casu nostro non jam individuis Ecclesiæ Pastoribus seorsim sumptis infallibilitas promissa est; sed Corpori Ecclesiæ Capiti suo Romano Pontifici copulato. Quare allatum sophisma nullius roboris est. Ajunt etiam, errasse Judæorum Ecclesiam, cum Christum rejecit, licet esset tunc vera Ecclesia; ut etiam vera Christi Ecclesia errare possit. Verum nos de Ecclesia Judæorum non disputamus; quare argumentum laboraret ea fallacia, quæ dicitur *ignoratio elenchi*, sive controversiæ. Dicimus tamen errasse tunc synagogam, quia cessaverat esse Vera Dei Ecclesia, quæ jam in Christo aperte manifestabatur, qui divinam suam missionem et Prophetarum Oraculis et miris prodigiis palam fecerat, ut esset inexcusabilis qui eam non agnosceret. Verum Synagoga errante infallibilis auctoritas erat in ipso Christo visibili tunc Ecclesiæ suæ Capite, cui soli usque ad mundi finem ipse infallibilem spopondit auctoritatem.

XI. Cum vero ex solutione difficultatum quas heterodoxi struunt adversus Catholicam hanc veritatem major semper eidem lux et robur accedat, non pigeat diutius eos audire. Opponunt itaque: si Ecclesia Veritatem Fidei proponeret infallibiliter, jam Ecclesia esset supra fidem; quod est absurdum. Præterea tunc Pastores dominium exercerent supra Fidem credentium, quod vetitum est, dicente Apost. 2. Cor. I. 23. *Non quia dominamur Fidei vestrae*. Quod, inquiunt, tyrannidem sapit. Quæ prorsus vana sunt. Nam dum Ecclesia revelatam Veritatem proponit, est quidem supra Fideles, at non supra Fidem. Est enim Ecclesia non Fidei arbiter, sed illius testis ac Divinæ Revelationis custos, eaque judicat secundum Fidem.

Sicut Judex dum lites dirimit non est Legis conditor nec supra Legem, sed tantum est litigantibus superior quos judicat secundum legem cujus sensum declarat ac interpretatur; ita Ecclesia est dumtaxat supra Fideles quos juxta revelatam doctrinam, ejusdemque sibi traditum sensum docet dirigit ac erudit. Ad alterum dicendum, proprie non Pastores dominari ob traditam Fidem supra Fideles, at verò dominari Spiritum Sanctum qui doctrinam revelavit, jussitque ut ei crederetur. Ita Judices cum judicant, non ipsi dominantur subditis, sed Princeps Legis Conditor, Apostolus itaque loquitur de temporali dominatu, quem ait usurpare sibi nolle supra Corinthios ob annuntiatam ipsis Fidem. Quod clarius fit ex Græco textu, quem heterodoxi sequi volunt. Nam ut veteres Patres nonnulli exposuere et ut eruditi observant cum Erasmo, ea Apostoli verba ita sunt intelligenda: *Non quia dominamur vobis causa Fidei*, idest ob prædicatam Fidem: cum ita se habeant: ουχ ὅτι κυριευομεν ὑμων της πιστεως, nempe ἑνεκα της πιστεως: alias si Vertendum esset *Fidei vestrae*, ut habet Vulgata, in textu Græco legeretur της ὑμων πιστεως, quo tamen modo non legitur. Hæc itaque Pauli sententia eundem plane sensum præsefert ac illa Petri I. C. V. 3. *Neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo*.

XII. Putant etiam ineluctabilem nobis objicere difficultatem cum ajunt, Catholicos vitioso circulo defendere Ecclesiæ infallibilitatem; nam, inquiunt, ex Sacris Literis eam demonstrant: deinde quænam sint Sacræ Literæ, et quinam earum sensus per Ecclesiæ auctoritatem probant; quod est, idem probare per idem. Præterea hanc sibi Ecclesia vindi-

cans auctoritatem infallibiliter definit se esse infallibilem; quæ mera sit petitio principii. Verum heterodoxi Catholicis imperitè imponunt, cum eos hujus fallaciæ insimulant. Nam *principium petere* est pro argumento sumere, quod in quæstione positum est. At nulla dissensio est inter Catholicos et heterodoxos circa auctoritatem Sacræ Scripturæ qua utuntur ut eam infallibilitatis prærogativam demonstrent, cum omnes eos libros uti divinos agnoscant. At qui principio utuntur utrique contendentium parti commune, minime principium petunt, aut vitiosum circulum faciunt, sive idem non probant per idem, sed principio utuntur solido, nec in inquisitione posito sed ab ipsis adversariis plene concesso. Rursus cum in eam rem quædam proferunt testimonia, non probant contra Adversarios ita esse intelligenda, eo quod Ecclesia ita definiverit, sed ex contextu et ex aliis hermeneuticæ regulis ostendunt, aliter non posse intelligi. Hæc itaque argumentandi methodus vocanda potius est *regressus demonstrativus*, quia procedit ex veris datis ab ipsis etiam adversariis admissis, adeoque optimum est argumentandi genus. Sed hanc difficultatem potiori jure in adversarios retorquere possumus; qui privato suo spiritu demonstrare conantur potestatem, quam sibi usurpant, Divinas Scripturas interpretandi: quænam vero sint hæ Scripturæ eodem suo privato spiritu discernere posse autumant. Ad spiritum igitur privatum perpetuo nos circulo provocant, qui propterea est verus vitiosus circulus, cum principium precarium assumant, quod minime nos admittimus et quod invicte ex Sacris Literis refutamus. Sed hanc supremam Ecclesiæ auctoritatem aliis etiam argumentis, ut vidimus, Catholici

evincunt, potissimum vero ex constanti omnium sæculorum usu; nam ab ipso Apostolorum ævo, quisquis Ecclesiæ definitiones non audivit, ut infidelis habitus est et ab Ecclesia ejectus.

XIII. Neque Ecclesia ea potestate utens, id sibi arrogat, de quo disputatur, sed potius in ea possessione manet in qua fuit semper: nec a possessione decedere debet, quia nonnulli rebelles filii obtemperare ei detrectant. Non etiam ad eam confirmandam auctoritatem decreto aut definitione aliqua opus erat, cum ab antiquo semper agnita sit, ut pro certo habuit Tridentina Synodus Sessione IV. de Ecclesiæ auctoritate affirmans: *Cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum*. Ridendum autem se præbet Pet. Jurius cum negat Ecclesiam aliquid definire aut judicare, quia non populus universus sed ipsius tantum Pastores id faciunt. Quasi potestas Ecclesiam regendi ac docendi doctrinam penes Pastores non sit, *quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, quique propterea Ecclesiam docentem constituunt, quibus tamen consensus populi accedit, dum credit, quod ei proponit Ecclesia docens. Nec dicant, quod si hæc auctoritas olim fuisset agnita, nullæ hæreses, nulla schismata in Ecclesia exorta essent, neque modo orirentur. Argumentum enim nimis probaret; nam sequeretur, quod agnita semel veritate omnes etiam in actu eam sequerentur, quod continuæ experientiæ adversatur; quia ad illud solus sufficit intellectus, ad hoc vero requiritur insuper electio voluntatis, quod plures facere negligunt, ut omnes noverunt. Puerile itaque est sophisma, quod probaret, nullam quoque fuisse ipsius Christi et Apostolorum

auctoritatem cui plurimi restiterunt. Quod si eorum auctoritas ob refractarios non fuit eversa, stabit et Ecclesiæ potestas.

CAPUT X.

EX TRIBUS DEMONSTRATIS PROPRIETATIBUS, QUIBUS GAUDERE DEBET VERA ECCLESIA, OSTENDITUR, SECTAS, QUÆ AB ECCLESIA ROMANA CATHOLICA DESCIVERUNT, EXTRA CHRISTI ECCLESIAM FACTAS ESSE, EASQUE PROPRIETATES HUIC SOLI ROMANO-CATHOLICÆ CONVENIRE.

I. Cum vera Christi Ecclesia semper Visibilis sit oporteat (Ex C. VII.); inde manifestum fit, Ecclesiam Romano-Catholicam solam esse veram; quippe quæ non visibilis tantum, sed et plane splendida gloriosaque semper visa est tum in perpetua Romanorum Pontificum successione in quibus illius caput visibile fulget, tum in plurium Generalium Conciliorum celebratione, et in proscriptione omnium hæreseon quæ identidem prodiere; nec non in viris plurimis doctrina virtutibus ac sanctimonia conspicuis, quibus maxime facta est illustris et clara. Hæc præterea sola est, quæ de antiquitate sua, deque integritate Doctrinæ Apostolicæ gloriari queat; et quidem meritò, cum nullius unquam erroris sive in doctrina Fidei sive morum redargui jure potuerit. Nam licet abusus quandoque in eam irrepserint, hi circa disciplinam versabantur, quos tamen semper reprobavit ac emendare sategit tum per Romanorum Pontificum decreta, tum per generalia et particularia Concilia: at in doctrina constans et intemerata singulari Dei providentia servata est.

II. *His praerogativis non utique gaudent heterodoxorum societates*, quæ suam potius recentem novitatem agnoscere, et in doctrina defectum fateri coguntur. Quare Catholici jure merito eos urgere possunt illis Tertulliani verbis de Præscript. C. XXXII. *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem*. Agnoscebat itaque Tertullianus Ecclesiam non modo visibilem sed perennem in terris per successionem Episcoporum. Hinc nos quoque hæreticos cum ipso (C. XXXVI. XXXVII.) interrogemus: *Cupio ostendant nobis qua ex auctoritate prodierunt ... Probent se novos apostolos esse ... ad quos meritò dicendum est: qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis non mei? Quo denique jure Marcion, Sylvam meam caedis? qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoves? quid hic caeteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis?* Eadem ratione et nos protestantibus dicimus universis: Probate vos novos esse apostolos: ostendite, qui sitis, quando et unde veneritis: afferant aliquid Lutherani quod non aeque afferant Calvinistæ? Verum Lutherus in casu quem sibi fingit necessitatis, vult ut fideles omnes sint sacerdotes, atque ita ad ejus exemplum Sociniani et Arminiani missionis repudiant necessitatem, nec ad Ecclesiam reformandam ordinaria aut extraordinaria missione opus esse contendunt; quæ sane in Ecclesia prorsus novitia

sunt atque absurda. Exinde enim perfecta in Religionis negotio anarchia oriretur, et latissima fanaticis et impostoribus panderetur janua ad quidquid collibitum esset in Religionem invehendum, quod non minus esset Divinæ Providentiæ adversum quam Rerumpublicarum quieti et securitati; nam magna inde excitaretur perturbatio et confusio. Quare Christus D. missionem instituit et Apostolis jus dedit alios mittendi. Hinc eis dixit: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos: Euntes in mundum universum praedicate etc.* Itaque Apostolus Rom. X. *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?* Scilicet: quanam auctoritate id facient? Et ad Hebr. V. docet: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Ita Ap. Paulus Titum instituit et Cretæ reliquit, *ut ea* inquit (ad Tit. I.) *quae desunt corrigas, et constituas per Civitates Presbyteros sicut et ego disposui tibi.* Ipse Paulus ordinatur et missus est ab Ecclesia Antiochena, ubi Spiritus Sanctus dixit Actor. 13. *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos: et ipsi quidem missi a Spiritu Sancto abierunt Seleuciam et praedicabant Verbum Dei.* Hisce non obstantibus hæretici nostrorum temporum nulla eis missione opus esse ut Evangelium pro lubito prædicent, affirmare non verentur, inter quos Huttenus Arminianus a Reformatis transfuga aperte effutiret: *Rotunde dico, nos non indigere missione, nec venditare missionem . . . .* Ergo nec Huttenus nec quisquam alius missione hac destitutus ad Christi Ecclesiam docentem et prædicantem ullo modo pertinere poterit; cum ipsimet Apostoli ut

rite docerent ac prædicarent missione indiguerint, *ne in vanum currerent aut cucurrissent* (ut ait Apost. ad Gal. 2.).

III. Hic itaque ad incitas redacti Protestantes quot effugia commenti sint ut hoc telum validissimum in eos intortum declinarent non facile enarrari posset, inter quos Turrettinus, Piceninus aliique inepta plura et absurda protulerunt. Ajunt ex. gr. Protestantium societatem in ipsa Romana Ecclesia quantum ad substantiam semper permansisse in iis qui eidem in pluribus capitibus refragabantur; sed eam fuisse *ambulatoriam*, et Pastorum successione destitutam, eamque vident etiam in Waldensibus, in Albigensibus, Manichæis aliisque. Quæ infeliciter dicta sunt. Nam 1. quid est illa substantia doctrinæ? Quis eam limitabit? Substantia Christianæ fidei est, ut omnia credantur quæ Christus credenda et agenda jussit: *docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*; ajebat Apostolis Matth. 28. Qui unam excipit partem jam infidelis est, ut enim Jacobus ait C. II. *Qui offendit in uno, factus est omnium reus*. Fictitii sunt autem illi, quos ajunt in Catholica Ecclesia immunes ab erroribus prævalentibus perstitisse; omnes enim eundem externum cultum profitebantur et Eucharistiam adorabant. Ridiculum porro est, quod addunt de conficta illa Ecclesia vaga et ambulatoria, semper enim conspicuam debere esse Ecclesiam et omnibus notam jam vidimus. Sed nec id occurrit difficultati: semper enim quæri posset, ubinam Ecclesia illa fuerit, quinam illius Pastores, quænam doctrina, qui ritus? Non mirum igitur si his nugis non contenti ad antiquiores hæreticos provocant quos magna cum gloria suos prædecessores

faciunt. Vana tamen spe. Nam Wicleffitæ et Hussitæ quamvis in aliquibus cum Protestantibus cohærerent, at in multis, ut in Cultu Eucharistiæ, ab eis dissidebant, erantque Catholicis consentientes. Berengarius, quem suum Calvinus facit, præsentiæ tantum realis dogma in Eucharistia inficiabatur, quem etiam errorem non semel abjuravit. Aërius Altaris Sacrificium pro defunctis rejiciebat, at Arianismum profitebatur; et Vigilantius præter Sanctorum cultum Catholicis in reliquis adhærebat. Frustra quoque ad Waldenses appellant, qui cum Sæculo XII. eruperint, quæri et ab eis poterat, ubi nam gentium ante Petrum Waldum extarent; nam futilia sunt quæ de majori antiquitate jactant. Sed et notum est, Bucerum et Oecolampadium, cum an. 1530. Waldenses ut secum fœdus inirent, sollicitaverint, invenisse eorum placita a suis valde remota, ut Beza fatetur (L. I. Hist.) qui tamen cum anno 1630. errores plurimos abjurassent, in communionem a ministris Calvinianis recepti sunt. Tandem non eos pudet ad Manichæos confugere, quorum quidem Secta vetusta est, sed ejus capitale commentum ab ethnicis acceptum erat duplex rerum principium, bonum unum, alterum malum: deinde Vetus Testamentum rejecit, et Incarnationis Mysterium valde corrupit, abjecitque matrimonium et necessitatem Baptismi, et alia docuit absurda, quæ protestantes vehementer damnant. Idem dicendum de Albigensibus Manichæorum sobole, qui postea Cathari, Petrobrusiani aliisque nominibus appellati sunt. Quare stulte prorsus et impiè ab his pestiferis et damnatis sectis suæ causæ protestantes patrocinium mendicare student, quarum pudere eos perpetuo debuisset, cum videant, velle potius omnibus er-

roribus, blasphemiis et absurditatibus nomen dare, quam ad veræ Ecclesiæ sinum reverti. Quod profecto manifestæ reprobationis signum est. Nec, dum eos Catholici accusant, illarum sectarum errores suscitasse, ideo fatentur eos antiquitus extitisse; cum Protestantium societas ab iis valde diversa sit, et omnes semper novitatis fuerint accusatæ; alioquin Sociniani quoque et Anabaptistæ cum a Protestantibus Arianismi accusantur, antiquitus extitisse, idem respondere possent. Quid ipsi ad hæc?

IV. Ex his autem apertè descendit, heterodoxorum societates nec perpetuitatem sibi tribuere posse, nec infallibilitatem; primum quia non semper extiterunt, alterum quia sæpenumero in doctrina inconstantes et varii fuere, sive cum ab Ecclesia matre defecerunt, sive postquam in eam rebellarunt, ut ex multis eorum Fidei formulis constat, et ex historia, ut invicte demonstravit Clariss. Bossuetus in Historia Variationum Ecclesiarum protestantium. Ex adverso Ecclesia Catholico-Romana eandem semper Fidem et docuit et professa est, ut constat ex celebratione Conciliorum Generalium, inter quæ maximam esse concordiam, et inter hæc et totam veterum Patrum doctrinam et Ecclesiæ praxim centies demonstratum est. Præterea sola Christi Ecclesia infallibilis est; sed sola Catholico-Romana est vera Christi Ecclesia, cui soli competit ut sit Una Sancta Catholica et Apostolica, ut modo demonstraturi sumus; ergo hæc sola est infallibilis.

V. His ut aliquid heterodoxi objiciant, opponunt, quod si Catholica Ecclesia in docendo errare non posset, frustra Concilia congregaret, nec quæ credenda forent examini et discussioni subjiceret. Addunt, quod

nemo possit esse judex in causa propria, unde neque Ecclesia de iis quæ credit sententiam ferre; nam neque ipse Christus sui judex esse voluit Jo. V. inquiens: *si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum: alius est qui testimonium perhibet de me*. Sed quod ad 1. spectat: quid aliud sunt Concilia legitime collecta et approbata nisi Ecclesia ipsa cum suo Capite visibili conjuncta? Ideo vero convocantur ut clarius totius Ecclesiæ doctrina cognoscatur, et solemnius publicetur. Cum vero Ecclesia nulla nova dogmata condat, sed tantum traditam sibi divinitus doctrinam declaret cujus testis est; hinc ut ostendat ea dogmata in Verbo Dei scripto et tradito contineri, examen de eo instituit, quod absque discussione aliqua fieri non posset. Præstat etiam ut eo se modo gerat, tum ut dissentientium errores ex divina doctrina detegat, tum ut eorundem hæreticorum pervicaciam emolliat, quos doctrina et persuasione melius est ad Ecclesiæ gremium adducere, quam solo imperio debellare. Ad alterum: sententiam illam dicimus de privatis personis esse intelligendam, non vero de supremo Judice, ut est Ecclesia, quæ Spiritu Christi regitur, et quam nemo in terris judicare potest. Ita Ecclesia semper in hæreticos sententiam dixit, et hæreticorum nullus nisi per summam impudentiam et impietatem Ecclesiæ aut Concilio vel Romano Pontifici refragari ausus est (1).

(1) De his controversiis consulendi potissimum Petrus et Adrianus fratres Walemburgici in *Tractatu Generali* ubi invictè protestantes revincunt. Præclara quoque habet Bossuetus Operum T. I. in disputationibus contra Jurium et Claudium, Bellarminus *De Ecclesia*, Liberius a Jesu in *Disputationibus*, Sardagna

CAPUT XI.

NOTÆ SIVE CHARACTERES VERÆ ECCLESIÆ STATUUNTUR.

I. Cum ea quæ de Veræ Ecclesiæ Proprietatibus disseruimus, non omnibus eam semper notam faciant, quam tamen noscere, ut vidimus, est ad æternam felicitatem obtinendam necessarium; hinc signa quædam et characteres adesse debent, ex quibus eam Deus omnibus conspicuam et a cæteris societatibus quæ Christi nomine falsò gloriantur, distinctam fecerit. Ut enim animadvertit Canus de Locis Lib. IV. sub initium: *Haereticis omnibus hoc gentile est, simul ac se se Ecclesiae auctoritate urgeri vident, aut illam spernere, aut Ecclesiae rem ad se nomenque transferre, et eam in illis esse negare, in quibus revera est.* Hinc Tertullianus ajebat Lib. IV. c. Marc. C. V. *Faciunt favos et vespae, faciunt Ecclesias et Marcionitae.* Et S. Cyprianus Novatianum simiis assimilabat, quæ hominum gestus imitantur. Cum vero Dominus fideles commonefecerit, ut caverent sedulò a falsis prophetis, solamque suæ Ecclesiæ vocem audire jusserit; in re itaque tanti momenti diligens danda est opera, ut hæ notæ definiantur quæ illi soli conveniant, et ad eam singulis indicandam sint aptæ atque accomodatæ: faciles quoque sint et sensibiles, ut cuilibet advertenti ultro occurrant. Debent quoque ipsa Ecclesia

Tractatu III. *de Ecclesia,* Ludovicus Habert *in Prolegomenis Theologiae etc.* Cap. VIII. aliique jam recensiti.

esse clariores, cum ignotum per notius dignoscatur: Soli etiam veræ Ecclesiæ convenire debent saltem simul sumptæ, ut evidenter pateat; evidentia nempe morali, eam esse Dei Ecclesiam quam non tantum docti sed et rudes a spuriis societatibus mediocri consideratione secernant. Non tamen necesse est ut hæ notæ intrinsecam definiant rei naturam, sed tantum ut extrinsecè notam faciant, et ubinam sit ea Ecclesia declarent, cujusmodi tota antiquitas eas esse cognovit, quas Synodus Constantinopolitana I. Ecclesiæ attribuit, cum in Symbolo eam confitetur *Unam*, *Sanctam*, *Catholicam et Apostolicam*.

II. Plures alii Characteres designari possent, præsertim qui Veram Ecclesiam infidelibus notam faciunt, quos supra Sect. I. *Motiva Credibilitatis* nominavimus et exposuimus; sed hæ quatuor Notæ Ecclesiam Catholicam peculiari modo ab hæreticorum sectis distinguunt; quare non sunt audiendi heterodoxi cum hanc tractationem supervacaneam dicunt, qui ut *indifferentismo* faveant aut Ecclesiæ invisibili, ita sentire videntur. Qui verò necessariam eam agnoscunt, duas notas ut plurimum esse Ecclesiæ proprias volunt, puram nempe Verbi Dei prædicationem, et legitimam Sacramentorum Baptismi et Eucharistiæ administrationem: imo nonnulli primam tantum necessariam statuunt, alias accidentales esse contendunt. At quanquam hæc in Vera Ecclesia semper fieri debeant, atque ad ejus essentiam pertineant, quam modo non inquirimus, signa ea non sunt ex quibus dignosci facile possit. Opus enim esset accurato examine doctrinæ et munerum, ac difficultates essent dissolvendæ, et alia præstanda ipsis doctissimis difficilia, rudibus verò impossibilia omni-

no. At Ecclesia, cum sit Ostium per quod patet aditus ad æternam vitam, eam quilibet facile invenire debet; ut aliis signis clarioribus opus sit. Nam cum protestantes ad examen doctrinæ perducere homines conantur, in syrtes eos impellunt unde exitum non sit invenire, ut supra ostensum est, et perpetua experientia docet. Quomodo ex pura Verbi Dei prædicatione quis Ecclesiam veram internoscere valeat, cum protestantes de crimine temerati Verbi Dei Catholicos accusare audeant, de quo isti invicte ipsos protestantes damnant? cum sectæ acatholicæ se invicem redarguant, Dei Verbum insigniter corrupisse, et lites instruxerint interminabiles, ut prudentiores inter ipsos jamdudum agnoverint ad auctoritatem Ecclesiæ Matris esse redeundum, nisi errare perpetuò velint?

III. Hinc Patres doctrinam esse ab Ecclesia petendam docuerunt, non a doctrina Ecclesiam esse agnoscendam; ita Ireuæus L. I. C. II. *Quid enim*, ait, *si de aliqua modica quaestione disceptatio orta fuisset, non ne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, et ab iis sumere de praesenti quaestione quod certum et liquidum est?* Tertullianus etiam scribit de Præscr. C. XXI. *Quid praedicaverint Apostoli, id est quid illis Christus revelaverit, non aliter probari debet nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt*. Et Augustinus L. I. cont. Cresconium hanc regulam statuit: *Quisquis falli metuit hujus obscuritate quaestionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura demonstrat*. Si vero Chrysostomus Hom. 33. in Act. Apost. gentilem ut veram Ecclesiam agnoscat ad Scripturas adducit, iis tamen addit præcipue

ipsius Catholicitatem et originem Apostolicam ex quibus signis quilibet rudis illam tutò internoscere queat, hinc subdit: *Ut vero clarius loquar, illi haeretici quosdam habent a quibus appellentur, haeresiarchae certè nomen, sic singulae haereses: nobis vir nullus nomen indidit, sed ipsa Fides, nempe Catholica*. Nec adversariis suffragatur, quod legitur in Opere imperfecto in Matth. *Nunc nullo modo cognoscitur quae sit vera Christi Ecclesia nisi tantummodo per Scripturas*: Critici enim norunt, illud non esse genuinum Chrysostomi opus, sed ignobili potius et Ariano Scriptori esse tribuendum, cujus intererat ad Scripturas confugere, ut desperatæ suæ hæresi suppetias ferret.

IV. Cum ergo ex Scripturis Adversarii opponunt, dici a Christo Jo. X. *Oves meae vocem meam audiunt*: Ecclesiæ officium esse prædicare Evangelium et baptizare, ut Matth. 28.; Non inde inferri potest, puram Verbi Dei prædicationem, aut Sacramentorum usum signa esse conspicua quibus vera Ecclesia a malignantium ecclesiis secernatur. Monuimus enim, ut aliquid sit Ecclesiæ Nota, non sufficere, quod in vera Ecclesia inveniatur, aut ad ejus essentiam pertineat, aut demum per illud a satanæ synagogis distinguatur, sed exposcitur præcipue, ut ita oculos omnium percellat, ut ejus ope quilibet valeat hanc veram internoscere Ecclesiam. Aliàs sectæ omnes puram doctrinam jactabunt, et legitimam sibi tribuent Sacramentorum administrationem; in ea vero babylonica dissensione quis doctus, quis agrestis certum et indubium judicium proferat? Non ne et hodie videmus, eruditos etiam viros inter heterodoxos ob relicta Veræ Ecclesiæ signa

inter se de Ecclesiæ possessione contendere, et in vera agnoscenda graviter hallucinari? Hinc Patres etiamsi doctrinæ puritatem et præstantiam deprædicent, Ecclesiam tamen non ab ea solum, sed a Notis quas posuimus, et potissimum ab illius Catholicitate dignoscendam docent. Quod si alii alias Notas addunt, parum refert, cum ex his quatuor manifestam reddi consentiant. Animadvertendum tamen ex his Notis non demonstrari *directè* veritatem dogmatum quæ Ecclesia profitetur, sed *indirecte* tantummodo, vera nempe ea esse quæ ab ipsa proponuntur propter infallibilem ipsi collatam judicandi potestatem. Hinc flocci ea facienda cavillatio, qua dicunt, has Notas si rem tantum credibilem faciunt, suspectas esse habendas, quia multa sint credibilia, quæ vera non sunt: non enim hic de simplici loquimur credibilitate, quam suadere possint etiam nonnulla quæ reipsa vera non sint; at vero de *credibilitate evidenti* sermo est, quæ nempe *certitudinem moralem* pariat, qua in rebus etiam gravissimis viri prudentes regi solent, et cui nemo cordatus et ratione pollens ei sine crimine refragari posset.

V. Quatuor itaque recensiti characteres ita breviter ostenduntur. Nam illæ sunt genuinæ Ecclesiæ Notæ, quæ cum vera Ecclesia necessariò conjunctæ sunt. Verum tales hae demonstrantur, nam in confesso est apud omnes 1. Voluisse Christum gentes omnes in unitatem fidei et veritatis convenire, ex quo *unitas* exurgit. 2. Eo fine Ecclesiam suam in hanc unitatem congregasse, ut veros adoratores haberet ac pietatis studiosos, unde elucet *Sanctitas*. 3. Voluisse, ut ea omnibus orbis terræ gentibus pateret, ut per eam salutem æternam consequerentur, ex quo *Catholicam* esse institutam

apparet. 4. Tandem voluisse, ut per Apostolorum, eorundemque successorum ministerium hanc sibi efformaret Ecclesiam, unde *Apostolica* constituta est. Ex his vero facillimè Vera Ecclesia innotescit. Non enim valde adlaborandum, ut quis inter hæreticos degens agnoscat, quænam Christiana societas antiquiorem cultum sectetur, et ab omnibus orbis partibus in eundem conspiret sub regimine eorundem Pastorum inter se communicantium, et præcipue sub eodem totius Ecclesiæ Capite visibili Romano Pontifice: deinde quænam præ cæteris habeat manifesta sanctitatis signa: 3. Quænam sit nunc etiam ubique diffusa ut totum fere impleat orbem. 4. Quænam denique Christiana societas perpetua Pastorum successione ab Apostolis ad nos usque descenderit. Atque hæc veram Ecclesiam dignoscendi facilitas ipsa experientia constat. Nullus enim hæreticorum invenire est, qui, si recto spiritu veritatem quærat ac tutò suæ saluti æternæ cupiat consuluisse, ad aliam quandam hæreticam sectam confugiat, sed Catholico-Romanam quærit, eique nomen dando, non decipi certo novit. Imo nemo est inter Judæos aut Turcas, qui ignoret Ecclesiam Catholico-Romanam esse amplectendam, cum nullo pravo fine ductus suis superstitionibus valedicit; atque id quidem quotidie contingit. Notæ ergo positæ veram Ecclesiam ostendunt, de quibus tamen particulatim modo agendum est (1).

(1) De his Ecclesiæ Notis egregiè pertractant Gazzaniga T. I. P. II. Diss. III. Bellarm. *de Ecclesia Mil.* Walemburgici Fratres T. I. Bossuetus *Prejuges Legitimes*. Melch. Canus *in Locis*. Valsecchi *Vera Chiesa di Cristo*. Tournely *De Ecclesia* Quæst. II. Bailly Theol. T. II. Collet Inst. Theol. T. II. *De Ecclesia*. Habert. in Prolegom. etc.

CAPUT XII.

UNITAS UTI NOTA VERÆ ECCLESIÆ STATUITUR ET VINDICATUR: EAMQUE SOLI CATHOLICO-ROMANÆ ECCLESIÆ CONVENIRE DEMONSTRATUR.

I. Nemo hic miretur, quod in re adeo clara per se et manifesta diutius immoremur. Tot enim ac tanta sunt, quæ contra positas Ecclesiæ Notas heterodoxi struunt, ut ne iis pondus dare videamur ea nobis expendenda et exsufflanda sint. Viderunt enim eas suis synagogis aptare non posse; hinc ne Catholicis causam desertam faciant, modis omnibus ea signa obnubilare conantur. Frustraneo tamen nisu; primo enim *Nota Unitatis ita Ecclesiae propria in Scripturis designatur, ut nulla clarius significetur*: Ea vero et in Doctrina et in Regimine constituta est: itaque 1. Hæc unitas figuris variis exprimitur, nam comparatur *Ovili* cujus unus sit Pastor, *Viti* quæ una est cum suis palmitibus Jo. X. *Corpori* humano cujus sunt multa membra sub uno Capite Rom. XII. Cor. XII. Iterum ab Apostolo ad Ephes. 2. Ecclesia dicitur *una Domus, una aedificatio*. 2. Eam unitatem in eadem doctrina profitenda præcipue sitam esse declarat idem Apost. ad Eph. 4. Fideles admonens, ut *solliciti sint servare unitatem Fidei in vinculo pacis*: nam, addit, *unum corpus et unus spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae: Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*. Et ad Philipp. 2. *Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem cari-*

tatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes. Et I. Cor. 14. *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis.* Atque ita passim ut ib. C. I. sed clarius ad Rom. 16. v. 17. *Rogo vos fratres ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam, quam didicistis, faciunt, et declinate ab illis.* Itaque de unitate doctrinæ nullus est relictus ambigendi locus.

II. Nec minori perspicuitate ac vi Ecclesiæ unitas in regimine statuitur atque jubetur. Nam Apost. I. Cor. X. *Unus panis*, inquit, *unum corpus multi sumus qui omnes de uno pane participamus.* Sed hoc regimen sub legitimis Pastoribus et præcipue sub uno Capite visibili, quod Ecclesiam regat sub invisibili Capite Christo Jesu, apertè ipse testabatur Jo. X. inquiens: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus Pastor.* Cum autem Ecclesia visibilis esse in terris debeat, hinc sui loco Pastorem visibilem constituit Petrum ejusdemque successores, cum eidem ait Jo. XXI. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Et Matth. 16. *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam .... et Tibi dabo Claves regni Caelorum.* Quibus in verbis Patres omnes Cyprianus, Optatus, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus cæterique regiminis unitatem in Petri et successorum Cathedra fundatam concorditer agnoverunt, semperque servarunt; noverant enim Ecclesiam in Novo Testamento ferè semper singulari nomine designari, præsertim cum de Universali Ecclesia sermo est. Illud autem regimen describit Apost. Eph. 4. inquiens: Christum *dedisse quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, a-*

lios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores . . . in aedificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem Fidei etc. Quæ si regiminis unitatem non ostendunt, non videmus quid expressius dici posset.

III. SS. Patres in hanc doctrinam omnes conspirant: sufficiat legisse Cyprianum, qui ex professo hoc argumentum pertractat in libro quem inscripsit Sæculo III. *De Unitate Ecclesiae*: tum Augustinum, qui librum edidit sub eodem titulo *De Unitate Ecclesiae*. Et Cyprianus quidem multa præclara habet de totius Ecclesiæ unitate cum Cathedra Romani Pontificis, ut infra visuri sumus ubi de ejus Primatu agendum est. Sed pro cunctis satis erit S. Optati Milev. testimonium retulisse Lib. II. *de Schis. Donatist.* ubi ita Parmenianum alloquitur: *Negare non potes, scire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus . . . . in qua una Ecclesiae unitas ab omnibus servaretur . . . ut jam Schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.* Quæ quidem omnia manifesta ratione fulciuntur. Deus enim qui verax est, et pacis, concordiæ, obedientiæ ac unitatis amator non potuit Ecclesiam condere nisi quæ easdem veritates perpetuo doceret, et regimine subjectionis unitatem, concordiam, pacemque servaret. Deus itaque cum sibi contradicere non possit, nec seipsum negare, ut ait Apost. (2. ad Tim. 2. 13. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*:) cumque sit ordinis amator, nec varias sibique pugnantes sectas unquam probare potuit, nec auctor esse confusionis et

perturbationis, Ecclesiam suam ita certe constituit ut neque in doctrina dissideret, neque in regimine turbaretur sed una esset ac utrimque ordinata.

IV. Hanc porro Ecclesiam solam esse Romano-Catholicam 1. ipsi heterodoxi fatentur qui eam papisticam appellant, quod tam in regimine quam in doctrina ab oraculo Papæ Romanæ Ecclesiæ Pontificis pendeat, qui a Catholicis omnibus ut visibilis Ecclesiæ Caput agnoscitur. 2. Quia revera universa Ecclesia Catholica in eandem Fidei doctrinam consentit, eandemque doctrinam amplectitur tum quæ ab Oecumenicis Conciliis hucusque definita est, tum quæ a summo Pontifice credenda proponitur. Utraque vero ea unitate heterodoxos destitui res ipsa ostendit. Nam omnes eorum societates sunt particulatim disjunctæ, nec una alteri subjicitur, sed omnes sibi jus æquale attribuunt; de qua effræni sentiendi et agendi licentia famigeratæ sunt novatorum querelæ, ut Philippus Melanchton cuperet Episcopalem auctoritatem et ipsius Romani Pontificis potestatem restitui. De doctrinarum autem inconstantia et levitate celebres sunt ipsius Lutheri antilogiæ, quas ut ejus asseclæ excusent, ajunt id ei accidisse, quod paulatim cælesti lumine collustratus sit. Quæ meræ sunt nugæ. Spiritus enim veritatis nunquam sibi contradicere potest, nec pronuntiare absurda. Noti præterea sunt errores quos diversæ Novatorum sectæ sibi invicem exprobrabant: nota conciliabula ad pacem inter se ineundam in quibus de eadem doctrina convenire nunquam potuere. Et quomodo convenissent cum unicuique potestas dabatur proprio arbitratu Scripturas interpretandi? (Sect. III. C. IV. n. 5.). In sola ergo Catholico-Romana Ecclesia hæc unitas Fidei

et Regiminis invenitur, quæ Veram Christi Ecclesiam eam ostendit.

V. Quid ad hæc heterodoxi? Ajunt scilicet, Ecclesiæ unitatem vel esse in doctrina pura locandam, vel in unione quacumque: si hoc secundnm, conveniet illa unitas sectis omnibus et ipsis Judæis et Gentilibus: si primum ea Nota conveniet cum sententia protestantium, qui doctrinæ puritatem prædicant. Sed jam monuimus hanc unitatem in professione ejusdem Fidei, et in subjectione iisdem legitimis Pastoribus sitam esse, quæ per eorundem Sacramentorum participationem manifestatur. Puritas doctrinæ a Vera Ecclesia utique sejungi nequit, sed per eam Vera Ecclesia non dignosceretur, nisi accederet externa Fidei professio, eorundem Sacramentorum participatio, et unitas regiminis sub legitimis Pastoribus a quibus doctrina pura petenda est. Catholici ergo a Protestantibus in eo distant, quod hi veram doctrinam privato examine cognosci volunt, quod indoctis non est possibile, nec sapientibus tutum: Catholici vero in infallibili potestate judicandi Ecclesiæ tributa veræ doctrinæ unitatem reponimus: Hæc autem maximè splendet, et a quolibet cognosci facile potest, ex unitate regiminis, ex quo quilibet etiam rudis veram internoscere Ecclesiam valet. Quod vero addunt Ecclesiæ Patres non rarò inter se discordes fuisse, et in errores etiam fuisse lapsos; hæc privatorum acta sunt, quæ universæ Ecclesiæ doctrinam non labefactant; aut errores docuerunt antequam Ecclesiæ judicio definirentur, cujus auctoritati, ejusque Capiti Visibili maximam semper venerationem professi sunt. Ridiculum autem est quod proferunt de variis Scholis et opinionibus Catholicorum, quasi ve-

lint adversarii, ut Catholici non modo in Fide, sed etiam in opinionibus humanis, in philosophicis aut in controversiis nondum ab Ecclesia definitis concordes sint, quod sine continuo Dei prodigio contingere non posset, et de quibus Apostolus ait Rom. 14. *unusquisque in suo sensu abundet*. Unitas ergo doctrinæ inter Catholicos in eo sita est, ut præsto sit efficax medium et Tribunal infallibile ad omnes dirimendas controversias Fidei, et ad rebelles e suo sinu amovendos.

VI. Gratis vero adversarii affirmant, prioribus sæculis nullam viguisse regiminis unitatem et Sedi Romanæ subjectionem. Quomodo enim illud regimen non viguisset, quod a Christo Domino fuisse institutum vidimus? Sed ex pluribus monumentis quæ supersunt et Conciliis et ipsi Romano Pontifici obedientiæ obsequium Catholicos omnes præstasse primis etiam Ecclesiæ Sæculis suo loco demonstrabitur. Et quidem Irenæus Sæculo II. scribebat, ipsas præcipuas Ecclesias Romanæ fuisse subjectas *ad quam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles*: Lib. III. C. III. Et Cyprianus *de Unitate Eccl.* C. III. ita Sæculo III. ait. *Primatus Petro datur ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur*. Sed et animadvertendum est, Primatum Summi Pontificis in Ecclesiam universam fuisse doctrinam ad arcani disciplinam pertinentem, quæ nondum evulganda erat sub principibus infidelibus, ne scilicet ipsis ob hunc sacrum principatum daretur suspicio, qui ob alias minoris ponderis suspiciones Ecclesiam crudeliter divexabant; praxis ergo satis erat, nec mirandum quod parcè de ea Patres locuti fuerint. Eidem causæ tribuendum

est si tribus prioribus Sæculis Concilia Generalia celebrata non sunt; quod etiam circumstantiarum difficultati adscribendum est. Quanquam ex recenti Apostolorum traditione, et Episcoporum auctoritate quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam, facile abusus impediebantur. Ecclesiam tandem malignè calumniantur cum ajunt eam ab antiquis dogmatibus variasse; quod repetunt sæpe quin unquam vel leviter probaverint. Dicant quandonam aliqua nova doctrina inceperit? Sed et ostenditur cum de singulis doctrinis agitur, nedum novum dogma in Ecclesia nunquam invaluisse, sed neque invalescere potuisse.

VII. Superest Schisma diluendum Orientalis Ecclesiæ ab Occidentali, quarum quælibet veram et Catholicam se Ecclesiam dicit; quod Ecclesiæ unitatem abrumpit. Quin et in ipsa Occidentali Ecclesia non raró schismata viguerunt, quæ diversis Romanis Pontificibus obedientiam præstabant; quomodo ergo, inquiunt, Unitas Ecclesiæ Nota statui posset? Quibus facile respondetur. Et ad 1. In Conciliis Generalibus legitime celebratis, in quibus Ecclesiæ Unitas maxime splendet, schismata nunquam facta sunt, sed in iis speciali Dei Providentia moralis unanimitas semper viguit. Hac via quicumque Ecclesiæ decretis non paruerunt Schismatici aut hæretici habiti sunt et extra ipsam facti. Cum ergo in duobus Oecumenicis Conciliis, in Lugdunensi anno 1274. congregato, et in Florentino habito anno 1438. convenientibus tam Græcis quam Latinis communi concordia omnes controversiæ compositæ fuerint, ac definitæ, meritò orientales, qui his decretis non obtemperant, Schismatici facti sunt et ab Ecclesiæ Catholicæ sinu expulsi, ut injuria prorsus ca-

tholicorum nomen sibi tribuant. Hi ergo qui per undecim sæcula cum Romanis Pontificibus communicabant, eidemque in causis majoribus subiecti erant, temerè et impiè contra Romanos Pontifices rebellionis vexillum erexere (*Sup. Sect. I. C. XVIII. n.* 9.). Hinc justissimo Dei judicio evenit, ut Græcorum Ecclesia quæ Latinæ adhærens valde florebat, post funestissimum schisma in partes varias miserè discerperetur, ut nulla in ea unitas amplius dignosci queat: nam Rutheni seu Moschi, Armeni, Aethiopes, Syri, aliique suos singuli habent Patriarchas, suas Synodos, suasque hæreses, Nestorianismum, Eutychianismum, Monothelismum, aut Photianum seu potius Cerularii Schisma, nulloque amplius vinculo regiminis inter se copulantur; dum interim Ecclesia Romano-Catholica ubique diffusa simulque unita semper splendescit, eidemque non paucos Dei Providentia per totum Orientem adhærentes servat. Quod attinet ad Occidentalia Schismata, eadem non circa Fidem versabantur, sed circa legitimum regimen, eaque non *errore juris* laborabant, sed *errore facti*, nec diu durarunt. Nam omnes concorditer profitebantur Romanum Pontificem uti visibile Ecclesiæ Caput esse venerandum; atque in dubium tantum revocabatur, quisnam legitimus esset Pontifex, cujus agnita canonica electione, qui obedientiam ei denegassent, Schismatici et extra Ecclesiam habebantur. Nihil solidi ergo contra dotem Unitatis Ecclesiæ Catholico-Romanæ propriam heterodoxi commenti sunt.

VIII. Cum itaque Ecclesiæ unitas præter unitatem regiminis consistat in universali Fidei ac doctrinæ consensione, hinc ab ea excluduntur aliæ quæcumque

sectariorum societates, quarum Fides diversa est et erronea in quovis articulo non solum principali, sed etiam in iis qui minus principales dicuntur; cum omnes in Fide Ecclesiæ sive explicite sive implicite credi debeant (ex C. V. N. 6. 7.); nec Ecclesia commentitiam illam distinctionem articulorum *fundamentalium a non fundamentalibus* in sensu protestantium agnoverit unquam, nec potuerit agnoscere. Quare doctrina hæc de Unitate Ecclesiæ est scitu maxime necessaria, cum extra unam hanc veram Ecclesiam sufficienter cognitam salutem nemo consequi valeat: unde Hieronymus: *quicumque extra hanc Domum Agnum comederit, profanus est.*

CAPUT XIII.

SOLA ECCLESIA ROMANO-CATHOLICA SANCTA ESSE OSTENDITUR.

I. Veram Ecclesiam sanctam esse non modo in utroque Symbolo confitemur, sed et id Scripturæ aperte testantur; ut ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Quare S. Petrus ita Fideles alloquitur 1. Epist. C. II. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Pluribus autem de causis Ecclesia dicitur *Sancta;* et 1. generatim sancta dicta est tota Ecclesia, quia separata est et seclusa ab omni profano et impio cultu, et ad rectum Veri Dei cultum vocata atque electa, hoc enim sensu in Sacris Scripturis *sanctitas et sanctifi-*

catio sæpe adhibentur; quare Ecclesia ob hanc separationem a superstitiosis cultibus, et ob specialem vocationem ad vitæ sanctitatem et innocentiam sancta dicta est: hinc ad Eph. 1. habetur: *Elegit Deus nos in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in caritate.* 2. Peculiari sensu dicitur sancta ex invisibili ejus Capite Christo Domino, qui est Sanctus Sanctorum, et fons omnis sanctitatis. 3. Ex fine ad quem Ecclesia formata est, scilicet ad Gloriam Dei, nostramque sanctitatem et beatitudinem. Ex aliis etiam capitibus unde Ecclesia conspicua redditur sancta dicta est, eaque sunt Sanctitas doctrinæ, plurium fidelium sancta opera, et gloria ac sanctitas miraculorum, ut observant SS. Patres. Licet ergo Sanctitas significare soleat aliquid intrinsecum in anima et latens, nihil prohibet quin et ex effectibus dignoscatur, ut ex illa fidelium segregatione a tabernaculis infidelium et ex suo proprio externo ac peculiari Dei Cultu, nec non ex bonis exemplis, virtutumque operibus ac miraculis peculiari Dei potentia et favore distinctis. Ita et anima quæ invisibilis est, ex suis operationibus fit conspicua: nec etiam certa signa desunt ex quibus vera Sanctitas a ficta et simulata facili ratione discernatur. Itaque *Ecclesia Catholico-Romana sancta evincitur ex ipsius seclusione a superstitiosis cultibus, ex sanctitate doctrinae et morum, et ex miraculorum gloria, qua est a Deo exornata.*

II. Et quidem ab ipso Ecclesiæ exordio sive Judæi sive Gentiles eam semper viderunt a seipsis disjunctam et segregatam, ut eam quasi ipsis adversam persequerentur: Noverant Gentiles idolorum cultum re-

spuisse: noverant Judæi non modo Jesum Christum uti verum Messiam recepisse, sed et illius cultores magnis virtutibus eminere et in Christi nomine plurima et stupenda miracula operari, ut multa Judæorum millia hunc cultum amplecterentur, ac deinde Gentilium incredibilis multitudo. Erat ergo ex hac parte valde conspicua. Demonstratum est autem supra, hanc Ecclesiam a Christo fundatam in terris nunquam defecisse, eandemque semper doctrinam servasse quam Apostoli prædicarunt, idque ei divinitus promissum fuisse. Præterea Ecclesiæ doctrina omnibus nota et conspicua omnibus facta est in publicis Martyrum Confessionibus, in prædicatione publica, in publicis Festis et ritibus, in solemnibus Ecclesiæ regulis, in Conciliorum Decretis, in symbolis, et publicis Fidei Professionibus, in Catechismo Romano et in multis libris a Romana Ecclesia laudatis et commendatis, præter quotidianam et publicam Rerum Fidei et Morum consuetudinem et prædicationem. Eandem verò doctrinæ Sanctitatem ab heterodoxis non teneri præsenti tempore ex eorum fidei professionibus patet, in quibus docent, aut Mandata Dei esse observatu prorsus impossibilia: aut homines sola fide qua credant esse justificatos, justificationem obtinere: aut peccata quæcumque hanc fidem habentibus, non imputari: vel fidem semel habitam nunquam amitti: vel homines bonis operibus nihil promereri: aut Deum esse peccati auctorem etiam quantum ad ejus deformitatem, quæ et alia impia prorsus et absona sunt, omnemque pietatis sensum extingnunt. Mittimus hîc plurima capita sustulisse sanctitati fovendæ aptissima, omnemque laxitatem in suas sectas introduxisse. Ita Sacramentalem

Confessionem, jejunia in Evangelio commendata, cælibatum in Clericis et Consilia Evangelica proscripserunt; ac prætextu reformationis Templa, Claustra monachorum, Monasteria Virginum diripuerunt, totumque externum cultum ac sacrificium omne, ipsamque Missæ SS. Oblationem a Christo Domino institutam et Apostolis præceptam abrogarunt; nam Lutherus, ut ipse fatetur in L. *de Missà angulari*, hoc solemne Sacrificium ipso diabolo doctore ac magistro sustulerat. Quænam igitur sanctitas in doctrina et in conventiculis pseudoreformatorum esse unquam posset?

III. Altera pars, quod in hac Ecclesia semper floruerit Sanctitas morum ex historicis monumentis constat. Neque in animo est veteres recensere qui singulis Ecclesiæ Sæculis claruerunt, quos Martyrologia sanctorumque Fasti innumeros propemodum ad sæculum usque XVI. dinumerarunt: sed eos sufficiat considerasse qui post exortas nuperas hæreses floruere, quos populi et urbes eximia sanctitate ornatos prædicarunt, ac diligentissimo instituto examine de heroicis eorundem virtutibus, deque miraculis eorum intercessione a Deo patratis certo certius constare compertum est, inter quos eminent Cajetanus Tyæneus, Andreas Avellinus, Franciscus Xaverius, Carolus Borromeus, Franciscus Regis, Franciscus Salesius, Fidelis a Sigmaringa, Aloisius Gonzaga, Philippus Nerius, Pius Quintus, Vincentius a Paulo, aliique quorum ingens est numerus, quosque divina Providentia nostris temporibus reservasse videtur tum ut gloriæ et sanctitati Ecclesiæ suæ consuleret, tum ut ubi abundavit delictum, ostenderet superabundasse et gratiam. Laudant quidem Sectarii et ipsi quosdam suos pietate ac virtutis

specie distinctos de quibus tamen si examen fuisset institutum, uti de recensitis factum est, ac fuissent in statera appensi, facile minus habentes inventi essent. Revera ut animadvertebat Cyprianus de Unit. Ecc. N. 21. *Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia unanimes noluerunt .... occidi talis potest, coronari non potest.* Hoc de Donatistis ajebat, qui magnam præseferebant sanctitatis speciem. Certè si aliqui essent inter protestantes viri sanctitate ornati, ii esse debuerant primi pseudoreformationis auctores Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Oecolampadius, Carlostadius cæterique. Congruum enim videbatur, ut Deus viros pietate ac moribus spectatos ad opus mitteret; non perditos, furiosos, ambitiosos, elatos, sacrilegos, mulierosos. At si horum gesta percurrantur vel a suis asseclis conscripta, mirandum erit, homines hujus furfuris potuisse recipi a populis uti a Deo missos ad Ecclesiam illuminandam et corrigendam.

IV. Non est opus externis testibus ad pravitatem horum seductorum patefaciendam: iidem ipsi in genuinis suis scriptis blasphemos, depravatos, arrogantes, superbia tumidos seipsos produnt. Sit in exemplo Lutherus, de quo blasphemiæ a se prolatæ aut scriptæ a nonnullis collectæ sunt. De sua arrogantia non ferenda exemplum sit liber contra Henricum Angliæ Regem scriptus (1) ubi hæc leguntur: *Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, sophistis et om-*

(1) Henricus VIII. Angliæ Rex antequam schisma faceret a Catholica Ecclesia librum scripserat *de Septem Ecclesiae Sacramentis* contra Lutherum in quem hic citatam invectivam edidit.

nibus portis inferi, nedum dictis hominum quantumlibet sanctorum, aut consuetudini fallaci. Dei Verbum est super omnia; Divina majestas mecum facit, ut nihil curem si mille Augustini, mille Cypriani etc. contra me starent. Invictus sane argumentandi modus per continuam petitionem principii! Et operum T. I. scribit: *Ego doctor doctorum sum et Domini N. J. C. indignus Evangelista.* At quo jure, quo titulo? *Quis es tu, et unde venisti?* Nempe ipse dixit, et impudentissime dixit. Egregius utique Evangelista qui totum Evangelium susque deque pervertit, qui a diabolo suas blasphemias hausisse affirmat, quem frequentissime in ore et in scriptis habebat: qui cum diabolo ajebat plures salis modios comedisse, eumque secum pluries dormivisse quam suam Catharinam. Quid memorem hujus lubricam vitam et stupra sacrilega? Nota sunt quæ de Luthero, Oecolampadio cæterisque eorum commilitonibus habet Erasmus etsi ab eorum novitatibus non longe distaret (1). Idem de Zuinglio, Calvino, Theodoro Beza, Martino Bucero, Pet. Vermilio aliisque dicatur, quorum probra ac turpes libidines nec ipsi sectarii reticuere. Hæc vero prava exempla incredibilem apud suos corruptelam invexisse iidem ipsi affirmant hujus novi evangelii buccinatores (2),

(1) Erasmus Epist. ad Adrianum Rivulum in hos turpes Ecclesiæ corruptores jocans scribit: *Nuper Oecolampadius duxit uxorem, puellam non inelegantem. Vult, opinor, affligere carnem. Quidam appellant Lutheranam tragoediam: mihi videtur esse comoedia; semper enim in nuptias exeunt tumultus.*

(2) Lutherus ipse Postilla dominicæ I. Adventus scribit: *Videmus quod hoc tempore homines sint multo pejores, truculentio-*

V. Neque miraculorum gloria Veræ Ecclesiæ deesse potest, cum Christus D. miracula in sua Ecclesia semper futura esse promiserit, ut Jo. XIV. 12. Marci XVI. 17. Licet autem Miracula sint Gratiæ gratis datæ, tamen juxta communem divinæ Providentiæ ordinem per viros tantum eximiæ sanctitatis ea Deus efficere solet, præsertim cum in confirmationem veritatis eduntur. Hinc validissimum præbent argumentum ad Ecclesiæ sanctitatem in qua fiunt agnoscendam; repugnat enim ut Deus per ea falsitati suffragium præstet. Miracula vero in Ecclesia Catholico-Romana semper facta esse et modo etiam fieri ex innumeris constat monumentis fide dignissimis et ex accurato examine quod de plurimis institutum est, ut iis velle fidem denegare summæ esset temeritatis nota. Quorum veritati nihil detrahi posset ob nonnullorum pertinaciam, ut nihil derogabat veritati Miraculorum Christi et Apostolorum incredulitas et pertinacia Judæorum atque Gentilium.

VI. At si Catholicæ Ecclesiæ miracula nulla ratione impugnari possunt, ex adverso inter Protestantes in suæ Sectæ confirmationem aliqua miracula facta esse nulla ratione potest sustineri; cum tamen miraculis maximè opus esset ad eorum extraordinariam missionem novamque doctrinam comprobandam. Revera

res, tenaciores, libidinosiores, quam antea unquam in Papatu fuerunt. Plura et vehementiora etiam ab aliis sectariis dicta afferri possent. Verum audiatur Erasmus Epist. ad Fratres inferioris Germaniæ, ubi ait: *quos antea sub Papatu noveram puros, candidos, et fuci ignaros, eosdem vidi, ubi se sectæ evangelicæ dedissent, loqui coepisse de puellis, aleis lusisse, abjecisse preces, impatientissimos omnis injuriæ vindices, vanos, viperinos in moribus, ac prorsus hominem exuisse: expertus loquor».* Hæc pauca sufficiant.

Lutherus et Calvinus principio miracula doctrinæ veritatem demonstrare affirmabant; ut et ipsi miracula patrare tentaverint (1); sed cum eis res male cessisset, eorumque fraudes fuissent detectæ, mutato consilio, miracula nihil probare voluerunt; quæ impia est opinio ac toti Evangelio contraria, et inde exorta, quod inter eos miracula non conspiciantur, ut propterea miracula spernant, et eorum non pauci nulla inter ipsos miracula edita esse ultro fateantur. Hinc Erasmus ipse *in Collat. de Lib. Arbitrio* in sectariorum contemptum scribit: *Nullus eorum adhuc extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit*.

(1) Jo. Cochlaeus in *Lutheranæ Reformationis Hist.* aliique scribunt, Lutherum omni arte tentasse, quemdam Nesenum nomine aquis suffocatum irrito conatu suscitare. Staphilus etiam refert, Lutherum e corpore obsessi fugare dæmonem tentasse, et contigit ut dæmoniacus in exorcistam irruens, eum male mulctaverit (ita in *Resp. cont. Jac. Smidelinum*). Bolserus autem refert in Vita Calvini C. III. ipsum seduxisse misellum quemdam Bruleum nomine, quem mercede conduxit, ut se mortuum fingeret feretroque componeret, quem ille suscitare simularet, adstantesque deluderet. At qui se mortuum finxerat, extinctus reipsa repente inventus est. Cujus rei testis de visu ipse Bolserus erat, qui idcirco Sectam Calvini, quam imprudens professus fuerat, ejuravit, et ad Catholicam Ecclesiam rediit. Cætera quæ jactarunt miracula aut ridicula sunt, aut nullo idoneo teste fulciuntur. At Catholicæ Ecclesiæ miracula non modo autenticis documentis probantur, sed eadem non raro ipsi hæretici testati sunt, ut nonnulla quæ de S. Francisco Salesio referuntur. Miracula etiam S. Francisci Xaverii fatetur Rich. Hakluit minister Anglicanus cum scribit « *Historiæ modernæ Indiæ plenæ sunt præstantium virtutum et operum vim omnem naturæ excedentium, quae vir ille sanctus patravit*. V. Vita S. Franc. Xav. a Dom. Bohours Lib. VI.

VII. Unum quod cum Luthero nonnulli proferunt miraculum, est hujus sectæ propagatio, quam prodigiosam fuisse ac supra humanas vires volunt. Sed contra id plura militant: Nam 1. prodigiosa fuisset etiam Calvinismi propagatio, imo et Socinianismi, aliarumque Sectarum, quod Lutherani tamen non facile dabunt. 2. Eo magis probaret prodigiosam fuisse Muhammedismi propagationem, quæ superstitio multo latius disseminata est. 3. Non mirum, sectam fuisse diffusam pravis affectibus blandientem, quæ vitiis frænum laxabat, præsumptionem ac superbiam fovebat, usurpationibus et deprædationibus ansam dabat. 4. Qui infelicis illius ævi historiam novit, et artes quibus Novatores utebantur, nullum certe prodigium conspiciet in illius incendii propagatione, sed lugebit potius humanæ malitiæ profundum (1). Ajunt alii, has sectas novam doctrinam non docuisse, quæ miraculis confirmari indigeret, sed veriorem et antiquiorem. Quod cum dicunt, miserè hallucinantur; qui non modo difficultatem non solvunt, at sophisticè principium petunt, cum ad summum id esset in controversia positum. Verum ut doctrinam abdicarent in qua alti fuerant et educati, cui facinori universa Catholica Ecclesia adversata est; atque ut extraordinariam quam venditabant missionem ostenderent, non ne miraculis opus erat? quibus sublatis inexcusabiles omnino se prodere qui eis adhærent, nemo non videat. Alioquin cuique

(1) Legendus de his Jo. B. de Gasparis: *De Protestantium Germanorum in Catholicos gestis historica narratio*: Tum Bossuetus, Bellarminus, Varillas etc.

impostori et pseudoprophetæ adhærere licitum foret, quod esse absurdum omnes dabunt.

VIII. Cum autem nequeant perditæ suæ causæ suppetias ferre, Catholicam Ecclesiam vicissim accusant, quod homines in ea sint hypocritæ, scelesti, et impii, unde nec sancta sit. Qua expostulatione utique nimis probant. Probarent enim nec Judæorum Ecclesiam olim sanctam fuisse aut veram, quia plures improbos complectebatur: nec Civitatem Jerusalem tempore mortis Christi sanctam appellari potuisse, quæ tamen Sancta dicitur Matth. 27. et plebs Judæorum sancta sæpe in Scripturis nominatur. Sed jam dictum est, qua ratione Ecclesia Sancta nuncupanda sit. Non itaque quod omnia illius membra sanctitate intrinseca donentur, sed a nobiliori ejus parte hoc sibi nomen Ecclesia sumit. Cæterum zizania in Agro Dominico futura id est improbos et male agentes prædixerat Dominus Matth. 13. ubi Ecclesia comparatur etiam sagenæ missæ in mare omnia genera piscium congreganti, et areae in qua sunt triticum et paleæ. Scandala demum tempore etiam Apostolorum in ea fuisse ex Pauli Epistolis scire licet: at quis dixerit tunc Ecclesiam sanctam non fuisse? *Nunc enim*, inquiebat Augustinus, *propter quasdam infirmitates membrorum suorum habet unde quotidie dicat: dimitte nobis debita nostra.* Quod si Romana Ecclesia identidem reformatione indiguit, id respiciebat disciplinam quæ sæpius in non paucis languescit: At nunquam indiguit reformatione in Fidei et morum regulis quas profitetur, in quibus immutabilis semper est.

CAPUT XIV.

CHARACTER VERÆ ECCLESIÆ QUO CATHOLICA ESSE DEBET, SOLIUS ECCLESIÆ CATHOLICO-ROMANÆ PROPRIUS EST.

I. Ut ab hujus vocis etymologia exordiamur, notum est a duabus græcis desumptam esse *κατα per*, et *ὅλος universus*, ex quibus fit adverbium *καθόλου*, scilicet *in universum*, ut Ecclesia Catholica idem significet ac *Universalis*. Vetustissimum est hoc nomen Ecclesiæ tributum ut ex Symbolis elucet; quod si aliquando eo nomine peculiares nonnullæ Ecclesiæ antiquitus distinctæ leguntur, id factum est ad earum cum Ecclesia Universali communionem designandam. Hæc autem Nota Veræ Ecclesiæ multiplici de causa tribuitur. 1. Quia universam doctrinam a Christo traditam tuetur et servat, ut qui vel unum errorem pertinaciter teneat, sit ab Ecclesia Catholica extorris. Hinc Hieronymus Lib. III. C. Ruffin: *Propter unum verbum aut duo quae contraria Fidei sunt, multae haereses abjectae sunt ab Ecclesia*. Et August. Ep. LV. C. XIX. *Ecclesia quae sunt contra Fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit*. Hanc autem prærogativam vindicavimus cum de Ecclesiæ indeficientia, unitate, ac sanctitate jam egimus. 2. Non tantum ratione doctrinæ, sed et ratione temporis Ecclesia Universalis habenda est, quod universa tempora usque ad mundi finem per legitimam successionem complecti debeat. Atque hæc altera prærogativa sequenti Capite demonstrabitur. Quare sunt hæretici hac

etiam Nota destituti; nam, ut ajebat Irenæus Lib. III. C. IV. *ante Valentinum non fuerunt qui sunt a Valentino, neque ante Marcionem erant, qui sunt a Marcione*: atque ita de cæteris. 3. Ecclesia est Catholica etiam ratione loci, cum sit divinitus instituta, ut per totum orbem diffusa sit, aut diffundi debeat morali nempe non physica diffusione; est enim ea Religio divinitus revelata per quam solam homines felicitatem consequi æternam possint, ut ex Dei providentia ubique terrarum nota facta sit. Atque hoc tertio respectu Ecclesia modo Catholica est propugnanda.

II. Quod itaque Vera Ecclesia dicta sit Catholica ut ajebat S. Optatus L. II. C. Parmen. 10. eo *quod sit ubiquediffusa*, evincitur 1. ex promissionibus in Vet. Testamento factis, quod Christi Ecclesia totum esset orbem occupatura. Abrahæ enim dictum est Gen. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae*. Et Psal. 2. *Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae*. Et Psal. 21. *Convertentur ad Dominum universi fines terrae*. Atque ita sæpe. Quæ quidem Oracula sibi Christus vindicavit, cum discipulis jussit Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in Caelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes etc.* Et Act. 1. *Eritis mihi testes in Jerusalem . . . et usque ad ultimum terrae*. Matth. vero 24. hanc universalem prædicationem prædicens, ait: *Et praedicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio*. Ex his aliisque Patres omnes Christi Ecclesiam ubique terrarum diffusam et cognitam propugnarunt. Hanc verò dotem quis non propriam videt solius Catholico-

Romanæ Ecclesiæ? Hæc enim 1. ab initio hucusque sola est quæ Evangelicos nuntios in universam terram miserit, sicut ei præceptum fuerat a Christo Domino, ut ejus nomen *portaret coram regibus et gentibus et filiis Israel*. In his itaque sacris Missionibus perennis facta est primæva Ecclesiæ forma et institutio, in qua servanda cum Christi mandatis obtemperet, et Apostolorum exemplum sequatur, jam se et Catholicam esse et veram esse Ecclesiam ostendit. Hæc vero nulla est alia præter eam quæ cum Ecclesia Romana veluti cum centro et capite conjuncta est, nempe, ut Cyprianus ait Ep. 55. *cum Petri Cathedra et Ecclesia principali, unde Unitas Sacerdotalis exorta est*. Nam S. Petrus Patriarchatus Antiochenum et Alexandrinum constituit, quibus potestatem contulit Episcopatus erigendi per Asiam et Africam et Ecclesiam dilatandi, qui tamen cum Romana Cathedra doctrinæ et regiminis unitatem servarent ab eaque in rebus gravioris momenti penderent, ut semper factum est. Hinc Romani Antistites præcipue nihil habuere præstantius, quam omnem curam impendere ut et Doctrina ab Apostolis accepta immaculata contra hæreticos servaretur, et ut Religio Sancta per omnes Orbis regiones diffunderetur; sicut historiæ monumenta testantur. Quare Pontificum Romanorum cura primum per Italiam totam, per Illyricum, Sirmium et Daciam propagata est, nec non per Occidentem totum et in Angliam usque: deinde a S. Cælestino I. per S. Patritium est in Hiberniam illata, a S. Gregorio M. per S. Augustinum Monachum ad Anglo-saxones, a Gregorio II. in Germaniam per S. Bonifacium, a Conone per S. Kilianum in Franconiam; atque alii Pontifices Bulgaros, Polonos, Lithua-

nos, Danos, Moravos aliosque populos Catholicæ Ecclesiæ per Ministros Evangelicos addiderunt. Ita Gregorius IV. Hungariam et Regem Stephanum ad Christi Fidem convertit, Eugenius III. Daniam et Norvegiam, et Innocentius III. Græcos plurimos a Schismate revocare curavit. Nec ea sollicitudo sequentibus temporibus remissa est, qua plures Evangelii præcones in Scythiam, in Tauridem, ad Indos, Sinenses et Japonenses, in utramque Americam, in Africam universam delegati sunt, qui fideles innumeros Ecclesiæ sanctæ aggregarunt, cujus Operis et Apostolici laboris testis est præterea Congregatio ad Fidem propagandam Romæ tantum instituta, cujus gesta præclara etiam post ultima Schismata et apostasias a communione hujus Ecclesiæ, nemo non novit. Ex quibus constat hanc Romanam et Catholicam Ecclesiam eam esse cui promissum est Psal. 71. *Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum* (1).

III. Id vero ulterius 2. demonstratur. Nam ut in Symbolis profitemur, et ut Patres semper docuere, una tantum esse potest vera Catholica Ecclesia; sed hæc ab

(1) Huic invictissimæ demonstrationi opponere solent protestantes, etiam ab hæreticis Gentiles fuisse conversos, ut Gothi ab Arianis, Bulgari, et Moscovitæ a Græcis schismaticis, ex quo inferunt non esse hanc solius Ecclesiæ Romanæ prærogativam. Verum falso id asseritur. Constat enim Gothos ante Synodum Nicænam I. magna ex parte Catholicos fuisse, cum eorum Episcopus Theophilus eidem Concilio interfuerit, licet postea ab Ulphila eorum episcopo ad Arianorum partes pertracti essent. Bulgari vero et alii populi finitimi a S. Cyrillo et aliis Christiani facti sunt, et Moscovitæ ac Russi a Græcis presbyteris missis a S. Ignatio Cpolitano Antistite Ecclesiæ Rom. conjunctissimo.

omnibus et semper ea agnita est, quæ cum Romana Ecclesia communionem et unitatem servat; nam a secundo sæculo Irenæus de hujus Ecclesiæ successione disserens *a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae*, ejus præeminentiam ita declarat: *ad hanc enim Ecclesiam*, inquiens, *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea, quae est ab Apostolis, Traditio*. Atque de hac unitate servanda pertractat Augustinus *De Vera Religione* C. VII. cum ait: *Tenenda est nobis Christiana Religio, et ejus Ecclesiae communicatio, quae Catholica est et Catholica nominatur non solum a suis verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim ipsi quoque haeretici et Schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur*. Id etiam hodie hæretici facere coguntur, quamquam Catholicos affectent Papistas nuncupare, qua quidem voce quid aliud significare possunt præter eam Ecclesiam, quæ cum Romana unitatem servat, *ad quam necesse est omnem convenire Ecclesiam*, ut Irenæus testatur. Itaque Papistæ et Catholici synonima prorsus habenda sunt. Cum tamen illud nomen sit novum in Ecclesia, et fortasse plus significare possit quam communiter intelligitur, hinc non nisi per invidiam a quibusdam adversariis adhiberi solet.

IV. Id quoque 3. evincitur, ex quo nulla Christianorum alia societas a Romana Ecclesia disjuncta il-

lud ministerium exequatur, nullique earum curæ sit ut infideles ad Veri Dei Cultum adducat, quasi cognoscant eis non fuisse dictum: *Euntes docete omnes gentes*. Revera quid aliud hae sectæ moliuntur, quam ab antiqua et germana Fide Catholicos abducere suisque inficere erroribus in ipso Ecclesiæ sinu in quo rebelles homines educati fuerant; similes iis vermibus, ut Lactantius ait, qui lignum corrumpunt in quo nati sunt? Quosnam infideles populos per baptismum regenerarunt? Nullum plane. Quod si id aliquando in America tentarunt aut apud Indos, quò curiositatis causa vel lucri aut dominii se conferunt, incassum laborare experti sunt, seque ingenue confitentur ad hoc divinum ministerium ineptos (1). At quocumque Verbi

(1) De hoc Missionum opere non sibi ergo blandiantur hæretici ob versiones Bibliorum innumeras, quas quaquaversum societas Biblica Londinensis diffundere gestit. Non enim ratio hæc est a Divina Providentia instituta, qua Religio sancta per orbem propagaretur. Hinc licet Aegyptii græca Bibliorum versione potiti essent Ptolemæorum tempore, non veram proinde Religionem amplexi sunt. Scitè igitur Comes *Le Maistre* in suo Opere *Du Pape* Lib. III. C. I. animadvertebat juxta Italam versionem: « *Tutte le Chiese separate dal Papa si dirigono tra loro come la sentono*; *ma è nullo il poter loro rispetto alla propagazione dei Lumi evangelici*. *Non farà mai per loro mezzo progresso alcuno l'opera del Cristianesimo*. *Giustamente sterili dopo il loro divorzio gli eretici*, *soltanto col riunirsi al loro sposo riprenderanno la primiera fecondità*. *A chi appartiene l'opera delle Missioni? Al Papa ed a' suoi Ministri*. *Vedete quella famosa* Società Biblica, *emula debole e pericolosa delle nostre missioni*. *Ci fa conoscere ogni anno quanti esemplari della Bibbia ha gittato nel mondo*; *ma si dimentica sempre per altra parte di farci sapere quanti nuovi cristiani ha partoriti*. *Se si passasse nelle mani del Papa*, *onde impiegarlo nelle spese delle missioni*, *il denaro che questa società*

Dei præcones a Catholica Ecclesia mittantur, fideles innumeros eidem illos accensere semper probavit eventus. Quod ostendit, hanc esse illam Ecclesiam cui Christus pollicitus est Lucæ 21. 15. *Dabo enim vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri*. Ita post etiam protestantium apostasiam, unum Franciscum Xaverium cum sociis paucis videmus in vastissimas Indorum regiones Christi Fidem intulisse, easque adeo implevisse sui nominis celebritate, ut Phil. Baldeus Calvinista in *Hist. Indica* scripserit: *si Xaverius fuisset nostrae religionis, etiam apud nos ut alter Paulus esset aestimandus et colendus velut alter Sanctus Paulus etc.* Atque ita alii numerari possent.

V. Demonstratur id 4. loco ex quo Catholici per ipsas hæreticorum regiones plurimum vigeant, sicut et per infidelium regna. Nam in Anglia, licet barbaræ leges contra eos latæ sint, ingens Catholicorum numerus floret, ut Londini plusquam centum millia numerentur. In Scotia quoque plures abundant: et major Hiberniæ pars catholica est. In Rhætia et Helvetia uberior est Catholicorum numerus quam protestantium, nec parvus est in Borussiæ regnis. In Hollandia Catholici cum hæreticis æquiparantur. In Americanis Anglo-

spende nelle Bibbie, avrebbe fatto a quest' ora un numero di cristiani eccedente le pagine di tante Bibbie. Diversi sforzi di questo genere hanno fatto questi pretesi operaj evangelici. Separati dal Capo della Chiesa somiglian quegli animali nell' arte addestrati a camminare su due piedi e a contraffare alcuni atteggiamenti dell' uomo. Posson riuscirvi fino a un certo punto . . . Si scorge nulladimeno che tutto è fatto a forza, e ch' essi non ad altro mirano, che a ricadere su i loro quattro piedi ». Videatur locus totus.

rum Coloniis ita exuberant, ut plures Episcopatus recenter ibi fuerint erecti. Notum est autem quantum per finitimas eis provincias, per Luisianam præsertim Catholici propagentur, ne de vastissimis Hispanorum, Gallorum, Lusitanorumque Americanis regionibus loquamur. Nemo quoque ignorat in Russiæ Imperio innumerabiles Catholicos commorari, ut non tantum in Polonia tota sed et Petroburgi publicè cultum exerceant. Quis denique tot percensere posset in Indiis universis degentes ubi Episcopatus plures habentur, in Regno Malabarico, in Perside, in toto imperio Turcico, in quo myriades plures numerantur, in Arabia, Syria, Aegypto, et Africa; ut de hujus Ecclesiæ incrementis reticeamus, quæ hodie fiunt in vasto Regno Tibetano, in Scythia, in Taurica, et in Asia penitiori? Quid ergo sibi vult ignotus scriptor Quæstionum philosophicarum (*Recherches philosophiques sur le Christianisme*) cum ait, Catholicam Ecclesiam non plus quam sexaginta milliones hominum suo sinu complecti? Sed, opinor, ut imperitis illudat, numerat tantum eos, qui in Catholicorum Principum ditionibus degunt, qui tamen soli eum numerum longe exsuperant: At qui in dominiis infidelium et hæreticorum morantur an inter Catholicos non sunt accensendi? Quid ergo dicemus de primis tribus Ecclesiæ sæculis cum nullus catholicus princeps extabat? Verum illud magis mirandum, quod in infidelium regionibus Fideles innumerabiles reperiantur; ut pateat, non hominum favore, at vero divina virtute hanc propagari et florere Ecclesiam. Quid si ubique principes catholici dominarentur, nec tot hostes infensissimos ubique terrarum nacta esset?

VI. Hæc itaque Nota solius Ecclesiæ Romano-Catholicæ propria est, quæ sectis omnibus ab ea divulsis amplior et diffusior agnoscitur. Sectæ enim Lutherana et Calviniana quæ cæteris sunt numerosiores a tribus sæculis suis angustis finibus retinentur, et minuuntur in dies; (1) ac si in Europam tantum oculos conjiciamus nondum in Hispaniam, Lusitaniam, Græciam, Italiam, Hungariam aliasque regiones penetrarunt. Si alias inspiciamus orbis partes, nondum pervenerunt in Asiam, Africam, Aegyptum, multoque minus ad Indos sive Orientales sive Occidentales, nisi forte ut mercatores et gentium dominatores, quas tamen regiones Romanæ Ecclesiæ Fides longe lateque pervasit. Idem de Græcis Schismaticis dicendum; qui parvam sane occupant orbis partem, quique in quatuor saltem Patriarchatus nulla inter eos subjectione servata, divisi sunt. Quare hos omnes iis provocare possemus Augustini verbis de Unit. Eccl. C. VI. *Date nobis hanc Ecclesiam si apud vos est: ostendite vos communicare omnibus gentibus*.

VII. Regerunt tamen adversarii ut hanc Ecclesiæ Notam labefactent, multas esse Provincias in quibus Romana Ecclesia non viget, vel etiam in quibus Christiana Religio ignoratur. Verum etiamsi Ecclesia hæc

(1) Ex historia constat, post primos rebellionis impetus, quibus nonnulli Germaniæ principes Lutherum secuti a Catholica Ecclesia defecerunt, nullum alium deinceps eidem adhæsisse, sed e contra plures ejurata hæresi ad Fidei unitatem fuisse reversos. Imo integræ Provinciæ ad Ecclesiæ gremium rediere, præter plurimos viros doctos, et principes etiam qui eidem reconciliati sunt, et quotidie ad eam revertuntur, qui omnes eidem Ecclesiæ luculentissimum perhibent testimonium.

eo sensu totum non occupet orbem, ut ubique sola sit, tamen est ubique eo sensu diffusa, ut nulla sit mundi pars, nulla natio, in qua suos non habeat Pastores, fideique nuntios qui plures ad Ecclesiæ sinum quotidie adducunt. Et quamvis in nonnullas regiones nondum pervasisset, hæc tamen ea est Religio a Deo instituta quæ per Orbem totum est diffundenda, licet actu non fuerit semper ubique. Itaque etiam Irenæi tempore, imo et Apostolorum, ut docti viri sentiunt, Catholicæ nomen eidem tributum est, quanquam minorem quam nunc Orbis tractum occuparet. Quinimo adeo celeriter Evangelium propagatum est, ut Apostolus ad Rom. I. 8. scribere non dubitaverit: *Gratias ago Deo meo... quia Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Hinc S. Ignatius M. *Catholicam* vocat *Ecclesiam* ad Smyrnenses scribens, atque hi apud Eusebium Lib. IV. H. E. C. XV. scribebant: *Omnibus ubicumque terrarum Sanctae et Catholicae Ecclesiae populis*. Et jure quidem cum de ea prædixerit Deus per Malachiam C. I. *A solis ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco offertur nomini meo oblatio munda*. Addendum, ad hanc Ecclesiam pertinere quoque baptizatos hæreticorum infantes, et qui inter eos invincibili ignorantia laborant; quicumque enim baptizant, Catholicæ Ecclesiæ nomine illud conferunt Sacramentum. Hæc itaque Ecclesiæ Catholicitas distingui solet in *successivam* et *simultaneam*; et *successiva* quidem est Evangelii prædicatio successu temporis in toto mundo, atque hanc hæretici hodie concedunt: *simultanea* verò est moralis per orbem terrarum Ecclesiæ diffusio, atque hanc quoque Ecclesiæ convenire tenendum est, ut se-

mel ac eam proprietatem acquisiverit, acquisivit autem ab ipso ferme exordio, ut vidimus, nunquam eam amittere possit, eaque sit Ecclesiæ essentialis (1). Nam allati Scripturarum textus cum sint absque exceptione ulla generatim prolati, id prorsus evincunt. Id præterea ostendunt argumenta omnia, quibus supra demonstratum est, hanc Ecclesiam visibilem perpetuò futuram, et cognitam ubique terrarum; quo argumento utebatur Augustinus L. II. cont. Petilian. C. CIV. *Ecclesia*, inquiens, *nota est omnibus*, *pars autem Donati ignota est pluribus gentibus*. Ecclesia itaque, ad quam gentes omnes vocantur, necesse est ut sit ubique sufficienter nota et ideo Catholica et visibilis cunctis.

VIII. Contra quam veritatem omnibus manifestam et a divinis promissis pendentem, nihili facienda est difficultas a Scripturis petita, ubi Ecclesia in paucis conclusa dicitur, aut appellatur pusillus grex, vel sub figura Arcæ Noe exhibetur; his enim in locis non jam Ecclesia significatur, quæ ubique qua late patet orbis diffunditur, quæque ex bonis malisque conflatur; at hæc vel de Collegio Apostolorum dicta sunt, vel significantur electi qui respectu reproborum pauci consi-

(1) Hæc Nota, cum dicitur Ecclesiæ essentialis, intelligendum est de Ecclesia jam adulta, quam Christus comparabat grano sinapis Matth. XIII. 31. Cum etiam dicitur Ecclesia ubique *moraliter* diffusa, intelligendum est in multas et potiores orbis partes esse propagatam. Nam de metaphysica diffusione non esse Scripturarum Oracula interpretanda, omnes facile dabunt, et ipse declaravit eventus. Imo non pauca Scripturarum loca testantur, infideles plurimos nonnisi in novissimo dierum fore convertendos, ut Osee 3. Simultanea itaque Ecclesiæ Catholicitas ita est accipienda, ut ea sit quacumque secta heterodoxa notior ac diffusior, ut revera ita esse compertum est.

derantur, quamvis in se pauci non sint, dicente Christo Matth. 8. 11. *Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent . . . in Regno Caelorum*. Et Jo. in Apoc. V. *Post haec vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus etc.* En Ecclesia Catholica ex omni natione quæ sub cælo est collecta et in Dei Regno triumphans, quæ proculdubio de hæreticorum sectis nunquam dici poterunt. Nec quidquam detrahit huic Ecclesiæ universitati quarundam gentium apostasia; nam præterquam quod sunt hæc in Scripturis prænuntiata (ad Thess. II. in Apoc. XIII. et seq.); ubi vera Fides ab aliqua gente terribili sed justo Dei judicio aufertur, datur alteri, juxta illud Christi Oraculum: *Auferetur a vobis Regnum Dei et dabitur genti facienti fructus ejus*. Quando igitur Ariani ab Ecclesia descivere, ipsi adhæserunt Æthiopes, Arabes, Iberi: cum Græci contra Catholicos rebellarunt, tunc Dani, Sueci, Norvegii, et Pannoni Romanæ Ecclesiæ sese adjunxere: cum vero Protestantes adversus Ecclesiam Matrem insurrexere, tum ei potissimum adjuncti sunt Indi, Afri, Mexicani, Peruviani, Brasilienses aliique Novi Orbis populi innumeri. Quod si modo videmus non paucos teterrima omnium apostasia et incredulitate ab ipsa Fide Christiana deficere, non ne intuemur Scythas, Tibetanos, Pensilvanos, Luisianos aliosque populos ingenti numero ad Catholicæ Ecclesiæ sinum confugere? Hinc Nuntii Evangelii pacis missi ab Ecclesia Catholica jure exclamare possent:

Hic tandem stetimus nobis ubi defuit orbis (1).

(1) An ne tantundem possent sectæ affirmare a Catholica

Cæterum mala quæ aliquando Ecclesia patitur, manifestam Omnipotentis Dei protectionem confirmant; cum impossibile ei fuisset tot adversas tempestates vincere, nisi divino foret auxilio suffulta.

IX. Nihili demum facienda est difficultas, quam petunt a diffusione Muhammedanismi, aut Paganismi, ex quo inferunt maximam diffusionem Notam esse non posse veræ Ecclesiæ, cum etiam errorum propria sit. Quæ utique ad rem non facit. Nam 1. Ecclesiam Catholicam nos cum sectis acatholicis comparavimus, quibus omnibus etiam simul sumptis certe illa major longe est atque diffusior, ut Buffierius affirmat (*Exposition des preuves les plus sensibles de la veritable Religion* 3. Par. C. IV.). 2. Hæc Nota Ecclesiæ in Christi promissis fundatur, quæ hanc ei amplitudinem prædixerunt, quo admirando vaticinio a falsis cultibus valde secernitur. 3. Christi Ecclesia a recensitis superstitionibus innumeris argumentis ac divinis

Ecclesia divulsæ? Conati quidem sunt protestantes in locis nonnullis missiones quasdam erigere, nempe *faciunt favos et vespae* ut ait Tertullianus, atque hinc *Propagandam* nescio quam instituere aggressi sunt, ut Angli in parva Taitarum insula Oceani Pacifici ubi imperium sibi arripuere. At infausto eventu; cum missiones istæ informes in scandala ac turpitudines, ut metuendum erat, versæ sint. Et quidem quomodo eam fidem suadere possent, qua sunt destituti? Quamnam missionem dare aut accipere, quam non habent? Hinc infideles plures quibus dominantur et ad protestantismum adducunt, in infidelitatem facile relabuntur. Sed quid sperandum ab Anglis, qui viginti legiones militum in Indiis nutriunt omni prorsus religionis et ministrorum subsidio destitutos, et ubi Gubernatores nullum Christianis præsidium præstant? Hæc mala et alia plura testantur ipsimet angli scriptores, ut Claud. Buchananus in suo *Christianismo* Indiarum Londini vulgato a. 1812. etc.

characteribus distinguitur ut cum iis neque confundi, neque comparari possit. 4. Hæc semper constans et immobilis in suis dogmatibus perseverat et usque in finem est duratura, cum Gentium superstitio varia semper et inconstans fuerit, et pro locorum diversitate dissimilis, ac maxima ex parte cessavit exorta Evangelii luce. 5. Muhammedanismus tandem in quatuor est sectas divisus, quarum unaquæque parvam occupat orbis partem, nec ibi solus regnat, ut eum velle cum Catholica Ecclesia conferre sit prorsus desipere et absurda loqui. Concludendum itaque Augustini verbis Serm. IV. Cap. XIII. De Symbolo, ubi hæc habet de Sponsa Christi Ecclesia: *Totum possidet quod a Viro suo accepit in dotem. Lego: tabulas matrimoniales ejus recitabo. Audite haeretici quid scriptum sit: Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis, et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes. Omnes gentes totus mundus est. Ecclesia totum possidet, quod a viro suo accepit in dotem. Quaecumque congregatio cujuslibet haeresis in angulis sedet: concubina est, non Matrona . . . Cognoscatur una sancta et vera Regina Catholica, cui regnum Christus tale dedit, quod eam per totum orbem diffundens, ab omni macula et ruga mundans, totam pulchram suo adventu praeparavit.*

CAPUT XV.

SOLA ECCLESIA CATHOLICO-ROMANA APOSTOLICA VINDICATUR.

I. Dogma est ab omnibus Societatibus, quæ Christi nomine gloriantur, concessum, illius Ecclesiam esse Apostolicam oportere, ut nempe, et Apostolorum doctrinam teneat, et ut eorum auctoritatis hæres in terris sit constituta. Id quippe testatur Apostolus Ephes. II. 20. ubi fideles admonet, quod sint *superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu*: super Prophetas scilicet, qui Christi adventum ejusque Ecclesiam prædixere, et super Apostolos, qui illius mandato Ecclesiam propagarunt eidemque divinam doctrinam tradiderunt, suosque successores Episcopos ad eam regendam et amplificandam instituerunt et ordinarunt; ut propterea idem Apostolus eos alloquens Act. XX. dixerit: *Attendite vobis et universo Gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Itaque duplici de causa Ecclesia est Apostolica agnoscenda. 1. Secundum doctrinam quam ab Apostolis accepit et jugiter servat; atque hanc dotem jam supra demonstravimus ubi de Ecclesiæ Infallibilitate sermo fuit Cap. IX. 2. *Ex ministerio et auctoritate sibi ab Apostolis collata*, *quia nempe a Pastoribus regitur*, *qui serie nunquam interrupta Apostolis successere*; et posteriori hoc respectu Ecclesia Catholico-Romana modo est Apostolica demonstranda.

II. Ad hoc autem probandum sufficere possent Christi verba Matth. XVII. quibus Petro ejusdemque in Cathedra successoribus constantem et indeclinabilem perpetuitatem pollicitus est inquiens: *Ego dico tibi, quia Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam et tibi dabo Claves regni Caelorum etc.* Quo in loco, nisi quis voluerit, Christum futilia pollicitum aut locutum fuisse, quod absit; agnoscendum est, non super Apostolos tantum, sed præcipue super Petrum ejusdemque successores Ecclesiam esse constitutam, cujus Cathedræ potiorem Christus auctoritatem contulerit, eamque veluti basim et centrum fecerit ædificii totius Ecclesiæ, quam propterea nunquam perituram, nec in errorem casuram spoponderit. Hanc vero institutionem, ne quis de ea ambigere possit, tria confirmant, universa nempe Patrum doctrina, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Eusebii Cæsarien., Hieronymi, Optati, Augustini, aliorumque. 2. Perpetua Conciliorum, et ipsius Ecclesiæ praxis. 3. Eventus ipse, qui divinum illud oraculum comprobavit. Et Patrum quidem testimonia, præter ea quæ jam supra allata sunt a Cap. X. et seqq. plurima alia afferri possent, ut cum Irenæus Lib. III. C. III. scribit. *Quoniam valde longum est omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximae et antiquissimae et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus Fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sibi*

placentia, vel vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles etc. Dehinc omnes Petri successores enumerat usque ad Eleutherium, qui tunc Romanam Sedem tenebat. Plura habet his similia alibi, ut Lib. IV. C. XVI. Tertullianus autem de Præscript. C. XXXVI. præcipuos Episcopatus recensens ait: *Si Italiae adjaces, habes Romam unde nobis quoque auctoritas praesto est: Ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Optatus etiam Milev. Lib. II. cont. Parmenian. cum recensuisset Romanæ sedis Antistites usque ad Siricium ita Donatistas alloquitur: *Vos vestrae Cathedrae originem ostendite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare.* Sed ut plurimos prætermittamus quos apud Tournelyum *de Ecclesia* aliosque videre licet, audiatur Augustinus eosdem schismaticos alloquens Donatistas: *Numerate*, inquit, *Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et ordine illo Patrum quis cui successit, videte: ipsa est Petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.* Idem argumentum urget Epist. 53. ad Generosum C. II. ubi ait: *si enim Ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus? ... Petro enim successit Linus etc.* atque ita singulos recenset usque ad Anastasium, qui tunc post Petrum trigesimus octavus Romanam Cathedram occupabat. Post vero Augustini tempora hæc Romanorum Pontificum successio perpetuo conservata est usque ad

Leonem XII. cui felix regimen Universa Ecclesia precatur. Apostolica itaque est Catholico-Romana Ecclesia.

III. Perpetua quoque Ecclesiæ praxis, et eventus idipsum testantur. Semper enim consuevit Ecclesia Universa sive in Occidente sive in Oriente Romanos Antistites uti Petri successores considerare, sive per Orbem diffusa, sive in Conciliis collecta, ut propterea semper eisdem primas partes concesserit, et ab eis in causis majoribus penderet, ut ex Historia Ecclesiastica manifestum est. Denique eventus Divini Oraculi sensum et veritatem ostendit. Hæc enim sola Cathedra est quæ hucusque per decem et octo sæcula continuata serie ab omnibus Orbis Episcopis uti centrum Catholicæ Communionis habita est, et basis universæ Christi Ecclesiæ, in qua Fides immaculata et ab omni errore immunis *conservata est ea*, ut Irenæus ait, *quae est ab Apostolis traditio*. Quare qui cum hac Ecclesia communionem et unitatem non servant, vel sunt ab ea expulsi, extra Ecclesiam habentur, quod et Hieronymus sua ætate factum fuisse testabatur ad Damasum Papam ita scribens. *Ego ... Beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri communione consocior: super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc Domum Agnum comederit, profanus est ... Quicumque tecum non colligit, spargit*. Constat ergo et Apostolicam esse Romanam Ecclesiam, et Apostolicam Universam Ecclesiam Catholicam quæ cum Romana est communione conjuncta: Constat quoque ad Ecclesiæ legitimos Pastores constituendos requiri Missionem, quæ per Sacram Ordinationem fit ab Episcopis, qui rursus fuere ab aliis Episcopis ordinati quo-

usque ad Apostolos perveniamus, sicut de Romanis Pontificibus ostensum est.

IV. At non ita rem se habere apud Protestantes ex jam dictis luculenter apparet. 1. enim eos urgere possumus cum Tertulliano loco cit. *ut edant origines ecclesiarum suarum*: qui præterea ita hæreticos insectabatur: *Qui estis? Quomodo et unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? etc.* Hanc tamen rectissimam Tertulliani provocationem impiè et ineptè prorsus sugillare ausus est Jac. Basnagius, quasi sophisticè loqueretur, quia etiam Gentiles, inquit, eo pacto interrogare Apostolos potuissent. Ita ne vero? At Apostoli se publicè testabantur missos esse a Jesu Christo, qui invictis argumentis ac signis verum esse Dei Filium et Messiam a Prophetis promissum demonstraverat, quique dixerat: *data est mihi omnis potestas in Caelo et in terra*: *Euntes ergo docete omnes gentes . . . et ecce ego vobiscum sum etc.* Apostoli verò non verbis tantum, sed signis ac prodigiis innumeris hanc suam Missionem confirmabant et suadebant. Quinam vero sunt hæretici qui hoc pacto respondere queant? Quid animo intendit Basnagius? An suos sectarios vellet melioris esse conditionis quam ipsi Apostoli fuerint, qui non miraculis tantum sed vita et suo sanguine testati sunt, *oportere Deo obedire magis quam hominibus?* Illi vero sine ullo vitæ discrimine, at hominum vitiosorum et principum favore suffulti, eò intenderent, ut eis homines blandirentur, et sine miraculis et argumento ullo, quin etiam argumentis omnibus ex adverso stantibus summam et divinam sibi arrogare vellent in homines auctoritatem? O audaciam non ferendam! Jure itaque interrogare eos possu-

mus, undenam missionem suam acceperint? Vel enim eam sibi a se ipsis arrogarunt, ac tunc ab iis incipit pastorum suorum successio, ut nullo modo Apostolica esse queat, sed humana omnino atque fictitia, quæ sæpe in Scripturis reprobatur, ut cum ait Dominus Jerem. XVI. 14. *Non misi eos, et non praecepi eis, neque locutus sum ad eos . . . fraudulentiam, et seductionem cordis sui prophetant vobis*. De his Cyprianus quoque *De Unit. Eccles.* ajebat: *Hi sunt qui apud temerarios convenas se ultro sine divina dispositione praeficiunt, qui se praepositos sine ulla Ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante episcopi sibi nomen assumunt*. En! hæreticos semper ejusdem indolis videre datur. Si vero hodierni hæretici ut hanc successionis lineam ducant ad Pastores Catholicæ Ecclesiæ confugiunt, non ne tunc concedant oportet eam esse Apostolicam, ut propterea fateri debeant, se immerito ab Ecclesia Apostolica disjunxisse?

V. Etsi vero Lutherus et Zuinglius Sacerdotio in Ecclesia fuerint initiati, illud tamen insolentissime repudiarunt: deinde non fuere Episcopi, ad quos tantum spectat missionem dare. Calvinus verò nec Sacerdos fuit factus ut ipse testatur; quare nec missionem habere, nec dare potuerunt, cum illud munus Episcoporum tantummodo proprium sit, ut ex Scripturis atque a tota antiquitate constat. Demum Ecclesia quæ Missionem confert, eandem quoque auferre potest, ut ipsi Protestantes concedunt. Modo Ecclesia Catholica si eis aliquando Missionem largita fuisset, eandem certe ipsis abstulit cum anathemate eos percussit. Notum quidem est, ad missionem extraordinariam eos confugere, quæ

sane arbitraria est ac fictitia. Nam in Christi Ecclesia nulla amplius Missio nisi ordinaria datur per Apostolicam successionem juxta Apostolum ad Eph. 4. cum in ea constituti sint *Apostoli Pastores et Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi* (nempe Ecclesiæ suæ), *donec occurramus omnes in unitatem Fidei etc.* Et ad Hebr. V. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Sed et juxta Joannem Ep. I. omnes spiritus Ecclesiæ judicio subesse debent: *Nolite*, inquit, *omni spiritui credere, sed probate spiritus utrum ex Deo sint*. Verum Ecclesia hos Novatorum spiritus diu probavit, ac tandem solemniter reprobavit. Et quidem consuevit Deus etiam in lege Veteri extraordinarias missiones semper miraculis insignibus confirmare, ne seductioni daretur locus; at hæretici isti extraordinariam quam venditant missionem nullis divinitatis signis, nullis miraculis comprobarunt; quinimo se manifestè pseudoprophetas prodiderunt. Desipiunt tandem protestantium nonnulli, qui cum videant neutram missionem perfectè sibi vindicare posse, *missionem* quandam *mixtam* ex utraque confinxerunt, quod est novum commentum sæculis omnibus inauditum. Modo, cum nec ordinaria neque extraordinaria missione polleant; nec mixta utique gaudere unquam poterunt (Videndi Walemburchii *De Miss. Prot.* Tract. 8. C. IV.).

VI. Hinc Protestantes ad incitas adacti, exemplis conantur se tueri, ajuntque *Act.* C. VIII. haberi, quod fideles dispersi *pertransierint regiones evangelizantes Regnum Dei*: et in Theodoreti *Hist. Ecc.* L. I. C. XXIII. legi de Edesio et Frumentio laicis, quod

Evangelium apud Indos prædicando late extenderint. Quæ tamen exempla nihil adversarios juvant. Nam illi fideles, de quibus in Actis, 1. Doctrinam Apostolicam prædicabant. 2. Prædicationem multis miraculis suadebant quibus et se a Deo missos testabantur. 3. Ecclesias fundare non sunt ausi nec Pastores ullos constituere, ad quod missi sunt Petrus et Joannes; unde hoc exemplum in adversarios invictè retorquetur. Idem præstitere Edesius et Frumentius. Hic enim, ut Theodoretus narrat, Alexandriam profectus ab Athanasio Episcopus ordinatus est, et in Provinciam rediens miraculis plurimos ad Fidem adduxit. Cæterum si non *ex officio*, certe licitum est viris privatis *ex caritate* errantes edocere, quin et laude dignum; at nequeunt se in Pastores erigere, aut Sacerdotum ministeria sibi usurpare, quod viri sancti nunquam fecere.

VII. Sed ajunt: Ut Protestantium Ecclesia dicatur Apostolica, sufficere, ut eam doctrinam teneat, quam Apostoli tradiderunt. At jam demonstravimus, ad hoc utrumque requiri omninò, Pastorum nempe ab Apostolis successionem, et eorundem doctrinam, quæ illam etiam successionem complectitur. Si alterutrum defuerit, esse non poterit Apostolica. Non si desit doctrina, ut clarum est: Non si deficiat Episcoporum successio; nam tunc nec sciri posset, Ecclesiam esse ab Apostolis institutam, et medium præterea deesset, quo certi reddamur de Apostolorum doctrina, cujus doctrinæ testes sunt legitimi Ecclesiæ Pastores: iis enim dictum est: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*: Matth. 28. Denique sine hac legitima successione nec visibilis Ecclesia esset, nec ea Nota insignita, qua maximè voluit

Christus, ut Ecclesia sua ab impostorum conventiculis discerneretur.

VIII. Insurgunt præterea, et cum nequeant adversarii successionem hanc in Romana Ecclesia non agnoscere, contendunt eam non sufficere ut Apostolica habeatur, cum Ecclesiæ Orientales a Romana rejectæ, ut Græca, eadem continua Pastorum successione glorientur. Hîc tamen clarum est ex supra dictis de Ecclesiæ Unitate, successionem Apostolicam apud Græcos et alios orientales Schismaticos tunc defecisse, cum se ab Ecclesia Catholica secreverunt; ut enim Cyprianus habet Epist. 32. *Episcopi nec potestatem possunt habere nec honorem, qui Episcopatus nec unitatem voluerunt tenere nec pacem*. Non sufficit, animadvertebat Tertullianus de Præscr. C. XXXII. aliquem ex Apostolicis viris habuisse auctorem, si cum Apostolis non perseveravit: *illi enim*, ait *C. XXX. de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt*. Sicut ergo si quis prorex in Principem rebellaret regemque se faceret, non jam esset verus proregum successor sed novi regni conditor; ita plane Græcorum Patriarcha cum ex secundo primus esse voluit et ex inferiore superior et ab Ecclesia Romana divulsus cui ex divina institutione Primatus jurisdictionis tributus est, tunc alius esse cœpit ac erat a Viris Apostolicis constitutus; atque ita cæteri Orientales Schismatici, qui neque Pontifici Romano neque legitimis Conciliis subjecti esse voluere, ut Apostolici amplius non sint; velut si quis ab Apostolis Episcopus constitutus ab eorum se communione sejunxisset, ad Ecclesiam Catholicam pertinere desiisset, ut Diotrephes, de quo Joan. Epist. 3. *Diotrephes non recipit nos*. A-

pud Græcos tamen perseveravit ordinaria Missio, ut olim apud Donatistas, quantum ad aliqua, non quantum ad omnia; possunt nempe valide quamquam illicitè ordinare et consecrare: at nequeunt legitimè regere Ecclesiam Dei, neque jurisdictionem queunt exercere in Corpus Christi mysticum a Capite nimirum avulsi, unde unitas et potestas Sacerdotalis exoritur, neque propterea valide absolvere aut ligare: Idque eo magis, quod in errores ab Ecclesia damnatos inciderint, ac majori anathemate a vera Christi Ecclesia sejuncti sint.

IX. Plura tandem congerunt adversarii, ut contendant in Romana Ecclesia Pastorum seriem fuisse intercisam vel cum Imperatores sua auctoritate Pontifices eligebant, vel cum ea electio ad Cardinales devoluta est, vel cum a simoniacis aliisque improbis ea Cathedra inquinata est: aut volunt saltem eam successionem defecisse cum Eugenius IV. in Concilio Basileensi a Pontificatu dejectus est. Sed operam perdunt Protestantes: In primo enim et secundo casu distinguenda est Pontificum electio ab eorum ordinatione: prior illa a disciplina dependet, quæ mutationi subjecta est: Altera, nempe Consecratio, quæ a divina potestate descendit, semper eadem fuit et erit. Addendum, nullam factam esse electionem, in quam Ecclesia generatim non consenserit. Inter Cardinales verò plures adsunt Episcopi, et præcipue suburbani Urbis Romæ, cæteri autem sunt Romani Cleri Præsules; ut propterea R. Pontificis electio et consecratio semper fiat a Provinciali hujus Urbis Concilio et a Clero urbis Romæ, quem Cardinales constituunt. Quæ declamant de nonnullorum Pontificum vitiis, sunt personarum defe-

clus, qui non derogant Apostolicæ Cathedræ auctoritati, sicut vitia Pharisæorum Cathedræ Moysis auctoritatem non minuebant (*Matth.* C. XXIII. 3.). Non putamus autem omnes Protestantium Ministros vitiis vacuos esse. Quin peculiaris Dei providentia in hoc elucet, quæ omnium, cujuscumque vitæ fuerint, fidem semper integram tectamque servaverit. Verum paucissimi sunt qui in reprehensionem inciderint, cum reliqui omnes et Fide et moribus purissimis Petri Cathedram honestaverint. Quod addunt de simoniacis electionibus, quoadusque Ecclesia tales non judicaverit, nihil propter eas legitimæ Pastorum auctoritati demendum. Superest Eugenii IV. causa breviter discutienda. Illegitimam et nullam fuisse illius depositionem a Basileensi conciliabulo intentatam Ecclesia Universa semper consensit, quæ illos turbulentos et schismaticos Galliarum Episcopos, qui non semel Ecclesiam suis effrænatis opinamentis afflixere, acriter execrata est. Quin ipse Amideus sive Felix V. tunc electus ab illegitima Pontificia dignitate se ultro abdicavit, ad quam se immerito evectum cognoverat, et Eugenio se subjecit, a quo Cardinalium purpura decoratus est. Cæterum maxima Episcoporum pars cum Eugenio stabat, cujus Pontificatus, quo vix alius gloriosior ad Ecclesiæ laudem et incrementum reperire est, Basileensium audaciam redarguit, cum in Florentino Concilio sub eo Pontifice Eugenio celebrato non modo Ecclesia Græca ad Unitatem redierit, sed Armeni quoque, et Jacobitæ Aethiopes, Syri, Caldæi, et Maronitæ, quo Ecclesiæ Catholicæ splendidius nihil evenire potuisset. Ex quibus Notis et characteribus, hanc esse veram, antiquam et Apostolicam Ecclesiam nemo non viderit, ut excla-

mare cum Psalmista Psal. 92. opus sit: *Testimonia tua Domine credibilia facta sunt nimis!*

CAPUT XVI.

QUINAM VERAM ECCLESIAM IN TERRIS MILITANTEM CONSTITUANT, INQUIRITUR.

I. Ulterius est cum hæreticis congrediendum, qui Ecclesiæ auctoritatem quantum deprimere ausi sunt dum illam erroribus abnoxiam traducebant, tantum ejusdem excellentiam nunc evehere simulant, cum ex solis justis, imo ex solis prædestinatis eam conflatam volunt. Cur id effutiant, divinare non est operosum. Nam id contendunt 1. Ut Ecclesiæ judicio atque auctoritati se subducant, cum enim prædestinati cognosci nequeant, ac tantum prædestinati juxta ipsos possint esse legitimi Ecclesiæ Pastores, inde inferunt, quod nulli subjicere se teneantur. 2. Ut Ecclesiam esse invisibilem ponant, ac suam possint ab Apostolis jactatam successionem hinc venditare, ac extra Ecclesiam esse nullis argumentis convinci queant. Quare ut perditam suam causam tuerentur, non sunt veriti damnatos Hussitarum et Wiclefistarum errores ab orco iterum revocare. Contra hos tamen Catholica doctrina hæc est, *si de militante Ecclesia loquamur, eam non ex solis justis et praedestinatis constare, sed etiam ex reprobis, et magnos non raro peccatores sinu suo complecti.*

II. Et quidem, cum Ecclesia in terris sit cœtus hominum ad eandem Fidem vocatus, quem interius ani-

mat Fides, Spes, Caritas, exterius vero ejusdem Fidei professio, eorundemque Sacramentorum communio sub legitimis Pastoribus, et ejusdem Ecclesiæ Capite Romano Pontifice (Ex Cap. VII. Prop. I.); jam liquet, diverso modo quosdam in ea esse oportere. Nam alii sunt in Ecclesia ut membra viva, alii ut mortua: alii interius et exterius simul: alii exterius tantum, alii vero dumtaxat interius. Licet vero sit Ecclesia Corpus Morale, exemplo tamen physici humani corporis illustrari potest; ut Anima seu Spiritus sit Fides, Spes, Caritas: Corpus sit Fidei externa professio et legitimis Pastoribus subjectio (V. ib. n. 3. et 4.). Quicumque igitur uno ex his modis est in Ecclesia, dici potest vero quodam sensu in ea esse, quanquam alio vero sensu non esse in ea dici posset. Quæ sunt animadvertenda ut Patres intelligantur, velut Augustinus qui licet passim affirmet, malos esse in Ecclesia, de iis tamen L. cont. Donat. C. III. dicit: *videntur esse in Ecclesia et non sunt*. Ut si quis humanum Corpus nunc acciperet pro composito ex partibus tantum vivis et animatis, nunc vero ex partibus omnibus constans tam vivis quam mortuis corpori tamen adhærentibus; ac ita quis negare posset capillos aut manum aridam esse hominis partes, alius vero affirmare. Sed communi Scripturarum et Patrum phrasi absolute in Ecclesia esse dicuntur quicumque in ea exterius morantur; ut *nec omnes, nec soli praedestinati sint actu in Ecclesia habendi*.

III. Revera non omnes prædestinatos actu esse in Ecclesia habendos constat ex quo antequam per Baptismum ad Ecclesiæ Corpus aggregentur, ex iis plures ad moralem hanc societatem non pertineant; ut

Paulus Apostolus dum hanc Ecclesiam persequebatur licet prædestinatus esset; quare idem ajebat: *quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* Et quidem nemo actu ad hanc potest pertinere Ecclesiam nisi vel ad spiritum vel ad corpus illius spectet, vel ad utrumque simul. Verum Paulus dum cædes in Christi fideles minitabatur, ad illius spiritum non pertinebat cum Fide spe et caritate esset destitutus; sed neque ad Corpus ipsius, cum nondum per Baptismum in hanc esset societatem adlectus. Quare non omnes prædestinati actu in Ecclesia continentur. Sed neque soli prædestinati societatem Militantis Ecclesiæ constituunt, quæ in sacris Scripturis comparatur sagenæ, areæ, convivio, decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ, quinque prudentes: item ad convivium Matth. 22. congregantur omnes mali et boni: e sagena missa in mare Matth. 13. *elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt*: et in area triticum cum paleis habentur. Quibus in locis cum per Regnum Cælorum Ecclesia significetur, patet eam ex bonis malisque coalescere. Nec refert in re tam clara alia Scripturarum loca congerere; sed animadvertendum, non peccatores tantum occultos, sed etiam publicos et gravissimos quoadusque ab Ecclesia tolerantur ad ipsam pertinere, ut ex illo Matthæi loco evincitur C. XVIII. *Si peccaverit in te frater tuus . . . corripe eum . . . si te non audierit, dic Ecclesiae: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Præterea Apostolus ad Corinthios scribens supponit, incestuosum quendam esse in Ecclesia quoadusque illum non excommunicaverit. Hinc in agro illo Dominico erant zizania cum tritico commixta, quæ

simul crescere permittuntur usque ad messem. Hinc Patres etiam peccatores insignes esse in Ecclesia censuerunt, ut Cyprianus Ep. 54. *Nam etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut Fides aut Caritas nostra.* Et Hieron. cont. Luciferianos: *sicut in Arca erant omnium animalium genera pardus et hoedi, lupus et agni, ita et in Ecclesia sunt justi et peccatores.* Allatis itaque momentis 1. revincuntur veteres Pelagiani qui Ecclesiam definiebant Cœtum hominum perfectorum nullum peccatum habentium. 2. Novatiani qui ab Ecclesia rejiciebant lapsos in persecutione, quibus Donatistæ adhærebant. 3. Wicleffistæ qui ex solis prædestinatis Ecclesiam esse conflatam volebant. 4. Lutherani et Calvinistæ, qui ex solis justis Ecclesiam constare contendunt.

IV. Ut his Ecclesiæ doctrinis Adversarii resistant, plura ex Scripturis corradunt, quæ alio sensu prorsus intelligenda sunt. Urgent illud Isaiæ C. 52. ubi quasi de præsenti Ecclesia vaticinetur, inquit: *Non adjiciet ultra, ut pertranseat in te incircumcisus et immundus.* Quæ tamen literali sensu de Hierosolyma post captivitatem instauranda prolata sunt, ut observat Hieronymus, quando Gentilibus patere ultra non debuerat: figurato autem sensu non ad Militantem, at vero ad Triumphantem Ecclesiam a Patribus referuntur. Cum etiam ait Apostolus II. Cor. 6. *Quae enim participatio justitiae cum iniquitate, aut quae societas luci ad tenebras, aut quae conventio Christi ad belial?* manifestum est, loqui de societate cum infidelibus non habenda; agit enim de matrimonio cum infidelibus non ineundo, ut id nihil in rem nostram

faciat. Quæ si quis vellet ad peccatores extendere, improbarent ad summum conversationem morum et familiaritatis, non societatem in cultu, in legibus, in subjectione legitimis Pastoribus ex quibus Ecclesiastica communio exurgit. Cum ergo Calvinistæ objiciunt illud ad Ro. 8. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus*: tum illud 1. *Cor.* 12. *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus;* ut inde inferant ad Ecclesiam non pertinere qui spiritu Christi non vivunt, *quicumque enim spiritu Dei aguntur hi sunt Filii Dei*, ad Ro. 8. Respondendum est, juxta Scripturas et doctrinas Patrum, peccatores esse in Ecclesia sive ad ejus membra pertinere non absolute et simpliciter ac *univoce* ut ajunt: id est, non in omnibus esse vera membra et viventia; esse tamen membra *aequivoce* et secundum quid, sive ex parte aliqua; nempe esse in Ecclesia ut membra mortua, nondum tamen ab ejus corpore mystico præcisa. Hinc de Episcopo Sardicensi scribebat Joannes in Apocalypsi C. III. *Nomen habes quod vivas, et mortuus es*. Itaque ut habet Canus, mali et improbi Ecclesiæ membra omninò et ex omni parte non sunt, quanquam sint de Ecclesia et sint in Ecclesia, ut humores peccantes et partes excrementiæ sunt in corpore humano. Ita August. Tr. 3. in Ep. Jo. *Sic sunt peccatores in Corpore Christi* (mystico), *quemadmodum humores mali in corpore hominis*. Et hanc comparationem dat Christus ipse Apoc. 3. cum de Laodiceæ Episcopo inquit: *Quia tepidus es . . . incipiam te evomere ex ore meo*. Atque hinc patet mens Augustini cum sæpius ait, reprobos in Ecclesia non esse; negat enim eos pertinere ad Ecclesiæ spiritum, non vero ad corpus illius

pertinere inficiatur: vel ibi Ecclesiam considerat quantum ad illius esse finale, sive ad æternam beatitudinem, in quam *non intrabit aliquod coinquinatum*, ut in Apoc. C. XXI. 27. habetur; at non eos excludit ab Ecclesia Militante in hac vita, in qua orare quotidie oportet, ut Deus *dimittat nobis peccata nostra*.

V. Nec verò inde timendum quin Pontifex malus aut improbus non sit Ecclesiæ Caput; quasi membrum mortuum Caput esse non possit, ut prætexebant hæretici, quo se ab ejus obedientia liberarent. Nam id minime obesse ex eo liquet, quod Caput Ecclesiæ Visibile quis constituitur per jurisdictionem et auctoritatem in cætera membra, quæ donum est gratis datum nec sanctitatem requirit, sed sufficit si fuerit de Corpore Ecclesiæ. Sanctitas autem requiritur ut quis sit membrum vivum per invisibilem vitalem influxum a Christo Capite quo spiritualiter vivit. Cum vero hic influxus non videatur, nec de eo quisquam privatus esse judex queat, ansam nullam hæretici inde sumere valent, ut ab ejus se obedientia subtrahant, a qua neque si eam viderent se subtrahere possent. Pontifex ergo etiamsi vivum Ecclesiæ membrum non esset, conditionem tamen Capitis et jurisdictionem in membra retineret. Hæc autem licet in corpore physico repugnarent, cum caput esse nequeat ac influere in membra nisi informetur ab anima; at non repugnant in corpore mystico aut morali, cum Capitis auctoritas tunc ipsi aliunde obveniat, nec sit necesse, ut similitudines in singulis partibus conveniant.

VI. Hinc cætera solvuntur, quæ objici solent; ut illud Joannis I. Ep. C. II. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis man-*

sissent utique nobiscum. Quo in loco non negat Apostolus hæreticos de quibus loquitur non fuisse antea in Ecclesia, quinimo illud supponit. Et certe exire ab Ecclesia non potuissent, nisi prius ad eandem pertinuissent. Ita quod Cyprianus ait: *Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem*; ex quo sibi inferre posse videntur, non habere Ecclesiam Matrem, qui Deum non habeat Patrem, quem mali non habent quibus dicitur, *vos ex patre diabolo estis;* hoc, inquam, non ægre dissolvitur, cum nemo non videat spuriam consecutionem. Etsi enim Deum Patrem non habeat, qui Ecclesiam non habet Matrem; non vicissim sequitur, aliquem habere non posse Ecclesiam Matrem, quamvis non habeat Deum Patrem; quippe fit quis Ecclesiæ Filius per Fidem et Baptisma: Filius autem Dei per Caritatem. Porro tametsi nemo sine Fide habere caritatem possit, potest tamen Fides haberi sine Caritate. Aliis etiam modis quis dicitur in Scripturis Filius Dei, ut ratione imitationis, quo titulo non sunt improbi Filii Dei, sed potius filii diaboli quem imitantur: alio modo ratione doctrinæ; et hoc sensu ipsi quoque improbi modo Fidem teneant Filii Dei habentur uti et Ecclesiæ. Non enim peccatores patrem habere diabolum dicuntur quoad omnia, sed tantum quantum ad aliqua, quantum nempe ad peccatum, cum Baptisma et Fidem habeant a Deo, et quantum ad id habent Ecclesiam Matrem.

VII. Sed ajunt: Ecclesia comparatur Arcæ Noe, in qua quotquot morabantur salvi facti sunt: Deinde, Ecclesia sancta est, ut nequeat habere membra non sancta, quin sanctitatem amittant. Sed comparatio Arcæ non refertur ad vitam æternam, at vero ad media

tantum salutis. Id enim valet ea comparatio, quod sicut extra Noe Arcam nemo salvus ab aquis factus est, ita nemo extra Ecclesiam, sive sine baptismo vel in re, vel in voto, nemo æternam possit salutem consequi. Nec inde quidquam Sanctitati Ecclesiæ timendum, quæ in terris militans sancta est quantum ad Christum ejus Caput, quantum ad Sacramenta, Doctrinam, vocationem ad Cultum sanctum, et quantum ad membra plura. Non est autem necesse, ut sancta sit quoad omnia illius membra, cum horum plura sanctificari possint ac debeant per Media, quæ sunt in Ecclesia; cujus præterea sanctitas, ut dictum est, ex sui parte nobiliori est sumenda. Itaque Hieronymus contra Luciferianos ajebat: *Arca Noe Ecclesiae typus fuit . . . Ut in illa omnium animantium genera, ita et in hac universarum et gentium et morum homines sunt.*

CAPUT XVII.

DE HÆRETICIS, SCHISMATICIS; ET ALIIS, QUI AB ECCLESIÆ SINU EXCLUDUNTUR.

I. Vidimus Adversarios, quos refutamus, contendisse nullum peccatorem esse posse in Vera Dei Ecclesia; at modo ex adverso hæreticos omnes ad ejusdem Ecclesiæ unitatem propugnant esse revocandos, dummodo in *fundamentalibus* doctrinis, ut ajunt, non aberraverint. Id primus confinxit Petrus Jurius famosus Calvinista, ut suæ sectæ hominibus Ecclesiæ ostium panderet, atque ita eis viam, si fieri posset, ad salutem æternam aperiret. Is itaque contra suæ sectæ opi-

nionem ingenue fassus est, Veram Ecclesiam per orbem totum diffusam et visibilem esse oportere, nec extra ipsam posse quemquam salutem consequi; at contendit, in his Ecclesiæ dotibus explicandis S. Augustinum aberrasse. Ea de re in suo libro, *Le Vrai systéme de l' Eglise*, hæc ajebat: *Justa fuit notio, quam Augustinus habuit de Catholicae Ecclesiae diffusione; at in ea applicanda infelix fuit: meritò credidit, Ecclesiam debere esse diffusam per Orbem universum, eandemque conspicuam, et omni tempore Ecclesiae propriam, aut certè praecipua temporum parte: verum injuria ab ea Ecclesia communiones schismaticas et errantes exclusit, quae fundamentum non destruunt*. Hac via hic homo difficultates tentat non paucas eludere, quibus socios suos irretitos viderat, sic enim in ea visibili Ecclesia suam etiam sectam extare confusam opinatur, ut et ipsa ad salutem pertingere posse velit. Verum Jurius incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim. Certa enim Catholicæ Ecclesiæ doctrina est, hæreticum esse habendum, et a salute excidere, qui errorem quemvis uti hæreticum proscriptum adversus Ecclesiæ auctoritatem pertinaciter tuetur: quare veritas quæcumque Ecclesiæ auctoritate definita fundamentalis est, et Fide tenenda: sicut error fundamentalis est error quicumque ab Ecclesia ut hæreticus condemnatus. Ruit ergo Jurianum systema.

II. Revera nullibi neque in Conciliis neque apud Patres reperire est, ut Ecclesia componatur ex sectis quæ se invicem anathematizant; quin potius *ubique pro communione unica accipitur, a qua sunt indiscriminatim haeretici omnes et schismatici exclusi,*

nullo habito discrimine inter eos qui fundamentalia destruunt, sive non destruunt. Hoc enim monstrum Ecclesiæ nemo ante Jurium somniaverat; imo Cyprianus Ep. 46. ait: *Ecclesia quae Catholica est, una est, scissa non est, neque divisa, sed utique connexa, et cohaerentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata*. 2. Hinc Patres et Fideles omnes per Ecclesiam semper societatem intellexere unam a qua schismatici absque discrimine ullo excluderentur; ut Hieronymus ad Damasum de Ecclesia Antiochena scriberet: *In tres partes scissa Ecclesia me ad se rapere festinat*: *Ego autem clamito, si quis Cathedrae Petri jungitur, hic meus est*. 3. Præterea eos Ecclesia a sua communione discrevit, qui errores tenebant in sensu Jurii non fundamentales, ut Novatianos, Donatistas, Quartodecimanos etc. Vel igitur tunc erravit Ecclesia tota, vel modo errat Jurius, qui contra Ecclesiæ doctrinam eam separationem damnare audet. Videat ipse cuinam assentiri teneamur. 4. Illa Jurii Ecclesia ex sectis se mutuo damnantibus conflata nullibi congregatur, nunquam loquitur, judicat neminem, nihil præcipit, nihil definit; quæ omnia præstat ac præstare debet Vera Ecclesia; Juriana itaque vera non est. 5. Publici ergo hæretici esse in Ecclesia minimè censendi sunt, cum publico Ecclesiæ judicio sint ab ejus gremio ejecti, aut inde exierint, de quibus Joannes: *Ex nobis prodierunt, quia non erant ex nobis*. Qua in re Ecclesia sententiam Domini sequitur: *si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Apostolus autem ad Titum III. *Haereticum hominem post primam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est*... Joan-

nes vero Ep. 2. v. 10. *Nec ave ei dixeritis* inquit. Nam Christiana Caritas non potest custodiri nisi in Ecclesiæ unitate, ut ait Aug. Ecclesia itaque de eorum dolens apostasia enixè Deum precatur Feria VI. in Parasceve, ut *haereticos et schismaticos ad Ecclesiae unitatem revocare dignetur*.

III. Quod itaque de hæreticis, idem hac in parte de Schismaticis dicendum est, qui nempe ab Ecclesiæ unitate se ultrò segregarunt. Hujus criminis rei habentur qui vel Ecclesiæ auctoritatem in aliquo universali disciplinæ capite contemnunt, vel a primis Pastoribus, quorum supremus est B. Petri successor, receduut; aut novas societates cum novis ministris condunt, ut se Protestantes gessere; quos omnes ad Ecclesiæ unitatem minime pertinere apertum est, cum pugnent inter se unitas et divisio. Nam Ecclesia est unum Regnum, unum Ovile, unum Corpus morale in uno spiritu convocatum, ut ait Apost. *In uno spiritu omnes nos, in unum corpus baptizati sumus*. Quam unitatem discindunt schismatici manifesti, ut extra Ecclesiam fiant. Hanc esse Patrum doctrinam jam supra vidimus. Itaque Hieronymus (in Epist. ad Titum) parem hac in re hæreticorum et schismaticorum conditionem facit, inquiens: *Inter haeresim et schisma hoc interesse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habeat: schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet*.

IV. Idem vero non est de hæreticorum et schismaticorum filiis censendum baptismo rite collato initiatis, quoadusque propria voluntate in schisma aut hæresim non consenserint. Hi enim sunt prorsus in Ecclesia habendi, cum ei per Baptisma copulati sint,

nec ab ea propria voluntate sejuncti. Non quoque heterodoxorum baptisma receperunt, sed Ecclesiæ Baptisma, ut sæpe Augustinus docet: Nec ab illorum secta velut a matre sunt regenerati, sed ab Ecclesia, quæ illorum utitur ministerio ad spirituales Filios Christo regenerandos: Non denique eorum societati sunt per Baptisma inserti, at sunt Ecclesiæ adjuncti cujus Baptisma ipsis hæreticorum manu administratur. Inter eos quidem degunt sed non voluntate propria, licet regula statui certa non possit, quandonam censendi sint sua voluntate schismati consensisse, cum alii serius, alii citius ad usum rationis pertingant: alii plus minusve ingenii acumine polleant, aliique plus minusve de Catholica Ecclesia audierint, ut eam dignoscere valeant. Qui ergo inter hæreticos degunt, si hæresi non consenserint aut schismati, vel si ignorantia invincibili laborent, ac cætera ad salutem necessaria præstent, salvabuntur.

V. Infideles itaque manifesti et baptismo destituti nullo modo in Ecclesia sunt, quos Apostolus foris esse dicit 1. Cor. 5. *Quid enim*, inquiens, *mihi de iis qui foris sunt judicare?* Infideles tamen occulti Baptismo insigniti, licet Fidem exterius tantum profiteantur, sunt in Ecclesia censendi. In eos enim Ecclesia jurisdictionem exercet, a qua ejici per excommunicationem possunt, quod non fieret, nisi in Ecclesia modo aliquo essent. Nec refert, quod sint excommunicati. Nam infideles occulti sive apostatæ adhuc Ecclesiæ uniuntur per Baptisma et per externam Pastoribus obedientiam; et excommunicati sunt tantum *interius*, non vero publicè, et *exterius*. Porro externa sola excommunicatio eliminat ab Ecclesiæ sinu.

VI. Neque ergo publicè excommunicati majori excommunicatione ad Ecclesiam amplius pertinent, ita jubente Christo Matth. 18. *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*: quæ de excommunicatione in peccatorem contumacem lata semper accepta sunt. Hinc Cyprianus Ep. 62. *spirituali gladio*, inquit, *superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur*. Quare dum hi Ecclesiæ reconciliantur, dicitur, *Restituo te participationi Sacramentorum et Unitati Fidelium etc.* Si qui tamen injuste excommunicati fuerint, et nihil aliud obsit, salvabuntur. Tunc enim sin minus ad Corpus, ad Spiritum tamen Ecclesiæ pertinerent.

VII. Catechumeni demum non adhuc in Ecclesiæ gremio esse censentur. Licet enim per Caritatem ad Ecclesiæ Animam pertinere possint et salutem consequi, quatenus cupiunt Fidelium Societati per Baptisma conjungi, non sunt tamen actu adhuc in Ecclesia constituti, cui per solum Baptisma copulantur. Hinc jus non habent ad Sacramenta, nec Patres inter Fideles eos unquam adnumerant; sed neque tradita militantis Ecclesiæ definitio eis convenire potest; Ut Gregorius Nazian. Orat. 40. dicat: *Quandiu in Catechumenorum numero es, in pietatis vestibulo es: intrare te oportet, atrium pertransire, sancta contueri:.. cum Trinitate conjungi.*

VIII. Opponere solent heterodoxi dissidentes, non eos Ecclesiam deseruisse, sed fuisse ab ea ejectos a Leone X. antequam Concilium Generale ad quod appellaverant quidquam decrevisset: ob persecutiones præterea contra ipsos excitatas, fuisse compulsos ab Ecclesia recedere; ut schismatici non sint habendi. Hi

tamen prætextus eos minimè juvare possunt. Nam 1. cum debuissent Leonis X. judicio obtemperare, aut excommunicationem saltem, licet injusta fuisset, tolerare patienter, non ita se gessere, sed aperto schismate rebellarunt: Quin non expectata Concilii celebratione, ministerium sibi usurparunt, et Catholicam communionem detestati sunt. Tridentina enim Synodus incepit an. 1545. At jam ab anno 1536. Calvinus Ecclesiæ Genevensis minister fuerat institutus. Ab anno vero 1524. Zuinglius discessionem fecerat, Sacras Imagines et Reliquias sustulerat, Missam abrogaverat, jejunium Quadragesimale interdixerat, et alia fuerat aggressus. Lutherus aut m ab an. jam 1523. quasi supremus legislator Liturgiam, ritus, disciplinam, omniaque ad libitum subverterat ac immutaverat. 2. Quantum ad vexationes, si quæ fuere, non præcessere Protestantium schisma, sed ad summum subsecutæ sunt, ut scissionis occasio esse non potuerint. Immerito igitur secesserunt, et jure eos Ecclesia damnavit. Neque dicant, se ita gessisse, quod gravi malo promptum sit remedium afferendum, cui Concilium cum nondum extaret, mederi non poterat, nec Romana Ecclesia in propria causa judicium ferre. Nam eo prætextu quælibet rebellio, hæresis, aut schisma excusari posset. 1· enim malum illud fictitium omnino erat, et ab hominum fastu ac superbia insimulatum, ut causam prætexerent rebellandi, et quibus jus nullum erat, suam judicandi Ecclesiam: Quæ omnia eventus probavit. 2. Nunquam in Ecclesia Dei promptum deest contra errores gliscentes remedium; nam Tribunal adest Romani Pontificis ab universa Ecclesia agnitum, cui omnes obedientiam esse præstandam etiam ante Concilii convocationem certo

sciunt. 3. In his rebus non profert Romana Ecclesia privatum de sua causa judicium, at judicat pro universa Ecclesia Dei, cujus sententia, antequam quidquam innovaretur, saltem expectanda erat. Sed neque Ecclesia cum in Concilio judicavit ab heterodoxis audita est, sed potius inaudita ac impia temeritate in suæ Ecclesiæ judices se erexere quæ cum Dei Spiritu regatur, ejus de Doctrina judicium, ut vidimus, non humanum, at vero divinum considerandum est.

IX. Ajebat etiam Jurius, excusari Catholicos, qui bona Fide ambigunt ac disputant de facto aliquo ad Religionem pertinente, ut de vero Pontifice Romano tempore schismatis; a pari ergo excusandi sunt hæretici, qui quænam sit Vera Dei Ecclesia disputant. Sed hac in re disparitas est quammaxima; nam qui in tali facto excusantur in dubitatione sunt legitima constituti, simulque sedis Romanæ Primatum et judicem Ecclesiam agnoscunt, cujus communionem retinent, aut certe exoptant. Hæc in Protestantibus minime reperiuntur; qui nec Romanam Ecclesiam agnoscunt, nullumque Judicem controversiarum volunt, sed damnatos tantum errores ab orco revocare student. Nulla ergo eis excusatio suffragari potest, ut ii qui de facto minimè dubio, at verò de re certa, ac revelata, quæque omni evidentia morali gaudet, audent ambigere ac disputare. Nam qui errat, putans suam Ecclesiam esse germanam, hic pro vera habet adulterinam, et cui legitimæ Ecclesiæ characteres desunt, nec eam confitetur Ecclesiam, quam in symbolo confiteri jubemur; ut ille verè in Deum non crederet, qui Deum ab eo diversum quem in symbolo profitemur admitteret. Ad jus autem divinum pertinet ut veram agnoscamus Eccle-

siam; ut nulla in hoc errore excusatio prætendi queat.

X. Hîc solet inquiri, quinam ex recensitis hominibus extra Ecclesiam positis Evangelicis et Ecclesiasticis Legibus obligentur? Et respondetur. 1. Infideles non baptizatos obligari lege Baptismi et aliis Evangelicis præceptis, eo quod subditi Deo sint, qui Legem hanc Evangelicam omnibus imposuit. Non peccant tamen quoadusque eam Legem invincibiliter ignorent. At Legibus merè Ecclesiasticis non adstringuntur, cum per Baptismum subditi Ecclesiæ non sint. 2. Idem est de Catechumenis ea in re dicendum. 3. Omnes Baptismo initiati non tantum Evangelicis sed et Legibus Ecclesiasticis omnibus tenentur, quia per Baptismum Ecclesiæ subditi facti sunt. Hinc hæretici omnes, schismatici, apostatæ, et excommunicati, his legibus maximè obligantur. Ex quo enim sint contumaces et in Ecclesiam rebelles non propterea ab ejus Legibus eximuntur, quin potiori jure parere eisdem tenentur. 4. Pueri ante usum rationis Legibus non obligantur, cum nec præcepti nec transgressionis sint capaces; quod etiam de iis dicendum qui amentia perpetua laborant (1).

(1) De his controversiis plura disputant Auctores jam recensiti præsertim Bellarminus, Tournely, Gazzaniga adductis in locis.

CAPUT XVIII.

DE ROMANI PONTIFICIS TOTIUS ECCLESIÆ PRIMATIS AUCTORITATE AC PRIMÒ DE S. PETRI PRINCIPIS APOSTOLORUM PRÆROGATIVIS DISSERITUR.

I. Postquam absoluta est disputatio de Christi Ecclesiæ dotibus signis et prærogativis, rerum pertractandarum ordo postulat ut de supremo visibili hujus Ecclesiæ Capite, deque Auctoritate illius cujus jam sæpe mentio facta est, pertractatio accuratior instituatur. Cum autem Romanus Pontifex sit ille supremus visibilis Ecclesiæ Primas a Christo Domino in Persona Petri ad universæ Ecclesiæ bonum constitutus, ad quem juxta Catholicam doctrinam potiores partes pertinent in majoribus Ecclesiæ negotiis, et potissimum in celebratione Generalium Conciliorum; hinc de illius potestate ac prærogativis prius agetur, dehinc de Ecclesiæ Conciliis sermo fiet. At cum Romanus Pontifex in Ecclesiam universam Primatum teneat ex eo quod S. Petri Apostolorum Principis Successor sit, hinc in antecessum quid Petro Christus Dominus in totius Ecclesiæ suæ bonum contulerit, determinandum est. Inficiantur enim recentiores hæretici (quibus nuperrimè accessit Eybelius in Opusculo, *quid est Papa*, de quo infra), ut etiam Græci Schismatici, ab antiqua in hoc et universali Ecclesiæ doctrina digredientes, nullum Jurisdictionis et Potestatis Principatum S. Petro collatum fuisse, sed præeminentiam tantum aliquam honoris et ordinis eidem fuisse tributam volunt. Est autem

Primatus *jurisdictionis*, quo aliis auctoritate aliquis superior est: *honoris* verò, cum inter cæteros primum locum ita aliquis obtinet, ut in eos nulla potiatur auctoritate. Adversus igitur hunc recentem errorem dogma est Catholicæ Ecclesiæ, *S. Petrum ita fuisse a Christo Apostolorum principem constitutum, ut jure divino in tota Ecclesia jurisdictionis Primatu potiretur.*

II. Hoc autem 1. ipsius Domini verbis manifestè evincitur; quorum vim ut facilius assequamur, præmittendum est, *Apostolum* græcè, latinè *Missum*, tres postulare dotes, primam quidem Potestatem Ordinis, qua sint Apostoli Sacerdotes ut Sacrificia offerant, et expiationem impetrent populorum: secundam, Episcopalem Consecrationem, qua alios Episcopos creare queant, et Ecclesias peculiares erigere: tertiam, Universalem jurisdictionem, qua mittantur in omnem terram, et Fidem doceant omnes gentes. Certum est autem omnes Apostolos accepisse a Christo Domino Potestatem Ordinis et Episcopalem consecrationem; quin etiam extraordinaria via ab eodem tributam eis fuisse jurisdictionem in mundum universum, ut Joan. 20. habetur: *sicut misit me Pater, et ego mitto Vos*. Et Matth. 28. *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae*. Paulus quoque testatur, hanc Missionem se ab ipsomet Christo accepisse. Est itaque jurisdictio vel Ordinaria vel Extraordinaria: prior convenit alicui ex rei natura, vel propter dignitatem Capitis, vel propter officii naturam, ut est Episcopalis Jurisdictio: Extraordinaria vero ea est, quæ ex privilegio confertur. Prior in universum mundum jurisdictio est Petro tantum concessa, ut ea quæ in successores transire debuerat: secus

altera quæ in eundem universum cæteris etiam Apostolis collata est. Id enim ostendunt, quæ Petro dicta sunt præ Apostolis cæteris: Nam cum Christus Matth. XVI. Apostolos interrogasset: *Vos autem quem me esse dicitis?* Et Petrus repondisset: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Tunc dixit ei Jesus: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Caelis est: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo Claves Regni Caelorum etc.* Rursus Joan. XXI. cum Christus ter Petrum interrogasset: *Simon Joannis, diligis me plus his?* Petro respondente: *Tu scis Domine quia amo te*: Ter ei dixit: *Pasce agnos meos . . . Pasce oves meas*: Quibus in locis Christum specialem Petro contulisse potestatem, ad quam designandam tum ei novum Nomen imposuerat (quasi futurus esset peculiare fundamentum super quod Ecclesiæ ædificium construeret), tum symbolo Clavium usus est, ad præcipuam auctoritatem significandam quæ ipsi tribuenda erat, nemo sanus ambigere possit, nisi fortasse qui velit hisce in locis, Christum inutilia et vana fuisse locutum; quod impium esset cogitare: 1. enim ex contextu liquet, ea Petro præ aliis Apostolis dicta esse. 2. Quamvis legatur in Evangelio, potestatem dimittendi peccata omnibus Apostolis fuisse collatam; at illa potestas, Clavium symbolo designata, uni Petro promissa atque tributa est. 3. Petro commissa est præcipue (*Joan.* 21.) cura super universum Christi Gregem, nempe super Agnos et Oves, sive ut Patres interpretantur super omnes Fideles eorundemque Episcopos; quam sollicitudinem et potestatem Petrum exercuisse

constat ex Actis Apostolorum, qui non tantum primus semper ponitur, sed et Primatus jura exercet in electione S. Mathiæ, in concionibus ad populum, in responsionibus ad Synedrium, in Concilio Hierosolymitano, ut jurisdictionem peculiarem et propriam Petro concessam fuisse non nisi impie negari queat.

III. Ex his autem Concilia et Patres semper intellexisse, Petrum et Caput Ecclesiæ constitutum fuisse, et supremam ei potestatem fuisse concessam, ex perpetua traditione constat. Hinc Epiphanius in *Anchorato*: *Dominus*, ait, *constituit primum Apostolorum petram firmam, super quam Ecclesia Dei aedificata est*. Chrysostomus hom. 44. in Isaiam: *Quid autem Petrus basis Ecclesiae, ille vehemens amator Christi?* Augustinus in Psal. 108. *Petrus agnoscitur gessisse personam Christi propter Primatum quem in Discipulis habuit*. Eusebius autem Emissenus *Serm. in Nat. S. Joannis* inquit: *Prius Agnos, deinde Oves Petro commisit, quia non solum Pastorem sed Pastorum Pastorem eum constituit*. Bernardus etiam Lib. II. *de Consid.* C. 7. ad Innocentium III. R. Pont. scribit: *Uni unus* (nempe uni Petro unus Grex), *nec modo ovium, sed et Pastorum tu unus omnium Pastor*. Plures alii Patres, si opus fuerit, addi poterunt hujus Veritatis testes, ut Sæculo III. Origenes, qui Hom. V. in Exod. Petrum vocat *magnum Ecclesiae fundamentum et petram solidissimam super quam Christus fundavit Ecclesiam*. Tertullianus eodem sæculo in *Scorpiaco* C. X. ait: *Si adhuc clausum putas Caelum, memento Claves ejus hic Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse*. Eusebius Cæsarien. L. II. Hist. Eccl. C. XIV.

appellat Petrum *fortissimum et maximum inter Apostolos, et virtutis merito reliquorum omnium Principem et Patronum*. Cyrillus Hierosolym. Catech. II. et XI. Petrum nuncupat *Principem Apostolorum supremum*. Et Basilius in Procemio *de Judicio Dei*, ajebat: *Beatus ille Petrus Discipulis omnibus praelatus... cui Claves Regni Caelorum concreditae sunt*. Cyrillus Alexandr. Lib. XII. in Jo. *Prae aliis emicat ille caeterorum Caput et Princeps*. Et alibi Chrysostomus (Hom. 55. in Matth. et 87. in Jo.) Petrum vocat *Pastorem et Caput Ecclesiae . . . Os, principem, et Verticem Apostolorum*. Atque ita communi consensu Patres Cyprianus, Athanasius, Hilarius, Ambrosius, aliique omnes qui allata Christi verba naturali, obvio, et proprio sensu accipiunt, ut ea accipere necesse est, ne in vaniloquium ea pertrahere quis velit. Quæ quidem tanti roboris visa sunt ipsis heterodoxis, ut eorum non pauci Primatum honoris non esse Petro denegandum consentiant. At bona Basnagii et aliorum pace, aut Primatus Jurisdictionis in his est agnoscendus, aut nullus. Nam præcedentiam, et nudum honorem Christus Dominus a suis Discipulis eliminatum voluit; cum enim Lucæ XXII. orta esset inter discipulos contentio quis eorum videretur esse major, eos Christus compescuit, et ait: *Vos autem non sic, sed qui major est inter vos, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator;* atque eis sui exemplum dabat in lotione pedum discipulorum, *sicut*, inquiebat, *Filius hominis non venit ministrari sed ministrare*. Quo in loco non negat Christus, nullum inter Apostolos majorem in potestate futurum, quin potius eum primatum supponit cum ait

« *qui major est inter vos* » sed tantum ambitiosam prælationem et vanos honores excludit; nam, inquit, *Si ego Dominus et Magister lavi pedes vestros ... exemplum dedi vobis etc.* Itaque in Verbis Domini secluso Primatu honoris, superest Primatus Jurisdictionis.

IV. Revera Christum in Primatum Jurisdictionis mentem potissimum intendisse, liquet ex hujus Primatus in Ecclesia necessitate, *ut schismatis tolleretur occasio*, sicut ait Hieronymus. Quare hic faciunt argumenta omnia quibus supra Cap. XII. veræ Ecclesiæ unitas demonstrata est. Præterea nemo sanus dixerit, tam splendidas promissiones factas Petro fuisse nisi ut vanum ei honorem Christus conferret, quem postea omnibus etiam prohibuerit. Sed audiatur Hieronymus in Cap. XVI. Matth. *Quid est*, inquit, *quod ait*, *et Ego dico tibi? Quia tu mihi dixisti: Tu es Christus Filius Dei vivi*, *et ego dico tibi non sermone casso nullum habente opus*, *sed ego dico tibi quia meum dixisse fecisse est*, *quia tu es Petrus*, *et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam etc.* Quæ luce meridiana clarius ostendunt, de Primatu potestatis ibi Christum egisse, atque etiam eo sensu Petrum ea verba accepisse, tum quia semper ut Caput Ecclesiæ se gessit, et ab omnibus agnitus est, tum quia in Hierosolymitano Concilio de se ipso ita testatus est *Act.* C. XV. *Viri fratres*, *vos scitis*, *quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit*, *per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere*. Quæ nisi potiorem et ordinariam præ cæteris doctrinam prædicandi potestatem sibi divinitus traditam declarent, ignoramus certe quid Petrus significare voluerit. Hæc tamen, etsi

clara per se et perspicua, mirum est, quot contortis et vanis interpretationibus obscurare adversarii conentur. Ajunt: *Super hanc Petram* Christum seipsum significasse; quia ut habet Apost. I. Cor. X. *Petra autem erat Christus*: et quia Augustinus per illam Petram Christum ipsum intellexit. Sed hæc inutili conatu proferunt. Scimus utique Apostolum dixisse 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. At scimus quoque ab eodem Apostolo dictum esse, Fideles, sive Ecclesiam superædificatam *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. Christus ergo et Petrus petra sunt et fundamentum, diverso tamen sensu: Christus petra primaria angularis, Petrus secundaria, at vero primaria inter Apostolos, nisi dicere velimus implexe admodum et sensu absono Christum fuisse locutum. Hinc Hieron. in C. XVI. Jerem. *Non solum*, inquit, *Christus Petra, sed et Apostolo Petro donavit, ut vocaretur Petra*. Et Ambrosius Serm. 47. *Petra dicitur Petrus, eo quod tamquam saxum immobile totius Operis Christiani compagem molemque contineat*. Enarratione quoque in Psal. XL. N. 30. apertè affirmat: *Ipse est Petrus, cui dixit Jesus, Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia*. Nihil refert igitur, quod Augustinus ob miram Scripturæ fœcunditatem *Petrae* vocabulum ad alium sensum retulerit; cum non propterea literalem illum sensum deserat, quem alibi apertè propugnat, ut sæpe vidimus, ut cum de Romana Ecclesia a Petro fundata inquit « *Ipsa est Petra quam non vin-*

cunt superbae inferorum portae. Non refert etiam Apostolos a Patribus Ecclesiæ fundamenta appellari. Sunt etenim. At secundaria et post Petrum, ut Petrus dictus est Ecclesiæ Petra post Christum. Quare Hieron. L. II. cont. Jovinian. *Licet*, inquit, *super omnes Apostolos ex aequo Ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto schismatis tolleretur occasio*.

V. Nec melioris notæ sunt alia quæ in rem adeo manifestam congerunt adversarii. Ajunt quippe, quod si nomine Petræ Christus Petrum significare voluisset, non *Tu es Petrus* dixisset, at vero, *tu es Petra;* ut Augustinus observat. Sed paulo post (Matth. XVI. 23.) ipsemet Christus Petrum appellavit *satanam:* num super satanam ædificatam Ecclesiam dicendum? Adversarii tamen qui ad primigenios textus nos semper provocant, cur non viderunt, Syriacè Christum non Petrum sed Cepham dixisse? ut habet Joannes Cap. I. v. 42. *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Cephas autem lingua Syro-hebræa est masculini generis ut Petrus. Matthæus tamen ad majorem rei claritatem vertit *Petram*, etiamsi in masculino usurpare potuisset, cum πετρος et πετρα græcè idem ferme significent. Itaque Evangelista cum Petri personam designare voluit masculino usus est: *Tu es Petrus*: Cum vero ad ejus officium respexit, femininum adhibuit: *Et super hanc Petram*. Sed utroque nomine Petri personam significari tota antiquitas novit. Itaque Athanasius Epistola ad Felicem Papam ait: *Tu es Petrus, et super fundamentum tuum Ecclesiae Columnae, id est Episcopi,*

sunt confirmatae: et ipse Augustinus in Psal. 69. N. 4. scribit: *Petrum fuisse appellatum Petram super quam fabricaretur Ecclesia*: ac lib. 1. Retract. C. 21. hunc sensum arbitrio lectoris relinquit. Imo fatetur, S. Ambrosium Magistrum suum per Petram ipsum Petrum intellexisse, ubi ait in hymno, Galli cantum ipsum excitasse:

« *Hoc nauta vires colligit*,
« *Pontique mitescunt freta*:
« *Hoc ipsa Petra Ecclesiae*
« *Canente culpam diluit*.

Quare si Augustinus aliquando aliter sensit, ratio Grammaticæ eum fefellit, inquit Petrus de Marca, cum *Petrum* aliud esse a *Petra* ex linguæ Syriacæ ignoratione putaverit. Quod si, cum Petrus a subeunda passione Christum dehortabatur, ei dixit: *vade retro satanas*, hoc non impedit, quin Ecclesiæ fundamentum fuerit designatus. Nam ea vox *adversarium* significat, qui a bono operando deterret. Sed ignorabat Petrus quid diceret, nec cælestis gratia adhuc illum confirmaverat ad Ecclesiæ onus subeundum, quam ei Christus postea pollicitus est, cum Lucæ 22. dixit. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*.

VI. Si vero legitur ad Gal. 2. Paulum restitisse in faciem Cephæ, eumque reprehendisse, non id refert Paulus, quasi superiori auctoritate id fecerit, sed amicitiæ gratia et per modum conversationis, quo inferiorem non dedecet propriam sententiam superiori aperire, ut explicat Tertullianus *de Praescript*. Sed et Patres cum hoc factum declarant, aperte innuunt, Paulum agnovisse Petrum ut Ecclesiæ Caput, sibique

superiorem, ad quem etiam, ut scribit ibidem, se contulerat ut cum eo Evangelium conferret, *ne*, inquit, *in vanum currerem aut cucurrissem*, idque fecit in hac ipsa quæstione de legalibus, quod Theodoretus refert ut primum exemplum a Paulo Ecclesiæ relictum, consulendi in ambiguis Petri Sedem: *ad magnum Petrum se contulit*, inquit, *ut iis qui Antiochiae de Legali conversatione ambigebant, explicationem ab ipso* (Petro) *acceptam referret* (Inter Leonis Epist. novæ Edit. Ep. 52. n. 1.). Cæterum non de aliqua doctrina, sed de modo conversandi cum gentilibus inter se aliquantum discrepabant, nam et ipse Paulus postea Timotheum circumcidit ex matre hebræa ortum, quia lex nondum mortifera evaserat, et Synagoga cum honore erat sepelienda. Hæc autem meritò dicuntur juxta opinionem illorum, qui Cepham a Paulo reprehensum volunt fuisse Apostolum Petrum, cum tamen ex recentioribus criticis non pauci sentiant, Cepham hunc fuisse a Petro diversum juxta veterum quorundam sententiam Clementis Alexandrini, Eusebii Cæsarien. Oecumenii, aliorumque de quibus ajebat Hieronymus in hunc ad Gal. locum: *Sunt qui Cepham, cui hic Paulus in faciem restitisse scribit, non putent Apostolum Petrum, sed alium de septuaginta discipulis isto vocabulo nuncupatum*. Et quidem huic sententiæ contextus Epistolæ valde favere videtur. Videnda ea de re Harduini Disser. in Notis ad N. Test. Calmet Dissert. in Epist. ad Gal. et Zaccaria inter Dissert. ad Hist. Eccl. Tomo 3. Consulenda etiam de hac re Steph. Morcelli Dissertatio *De Cepha etc.* Cæterum quæ Patres disputant in hanc rem, Petri Auctoritatem et præcellentiam a tota antiquitate agnitam magis magisque confirmant.

VII. Alii demum plura congerunt, ut statuant, Petrum et Paulum pares fuisse non tantum ratione Apostolatus, sed etiam Primatus, et ipsius Episcopatus Romani, propterea quod Paulus affirmet ad Gal. 2. v. 7. *sibi datum fuisse praedicare Gentilibus, sicut et Petro Hebraeis*, ut divisum principatum gererent: Imo 2. Cor. XI. 28. ait, ad se pertinere *sollicitudinem omnium Ecclesiarum*, nec esse minorem præstantioribus Apostolis: *Nihil enim*, inquit, *minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli*. Quin et a Patribus et ab Ecclesia sæpe æquales habentur, vocanturque Gloriosi Principes Terræ, Romanique Pontifices Petri ac Pauli se nuncupant successores. Sciendum tamen est, hanc opinionem, quæ duo Romanæ Ecclesiæ Capita ex æquo statuit, quæque ab Innocentio X. ut hæretica damnata est an. 1647. auctorem habere Martinum de Barcos, qui duobus editis libris eam tueri perrexit. Quare qui defenderet, *quod S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes qui unum efficiunt, duo Ecclesiae Coryphaei ac supremi duces, Pastores ac Praesides qui unicum caput constituunt, vel sunt geminus universalis Ecclesiae vertex, si tamen ita explicetur, ut ponat omnimodam aequalitatem inter utrosque, et sine subordinatione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regiminis universalis Ecclesiae*, hæreticus esset. Qua de re consulendus Mamachius T. I. *Orig. Christ.* p. 351. Nec quæ objecta sunt conficere quidquam possunt. Quod enim ait Paulus *sibi creditum esse Evangelium praeputii sicut et Petro circumcisionis*, non de summæ potestatis divisione intelligendum est, quæ tota in Petro et indivisa semper stetit, at vero de ministerii divisione,

qua alter Gentilibus, alter Judæis prædicandi Evangelii onus susceperit. Non autem ita esse accipiendum, ut adversarii volunt, constat ex quo Petrus ad Cornelium Actorum, X. missus fuerit, atque ipse in Hierosolymorum Concilio testatus sit: *Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere*: Paulum quoque ad Judæorum conversionem incubuisse, et ad eos scripsisse scimus. Illa vero *sollicitudo omnium Ecclesiarum* ad Paulum spectabat sicut et ad cæteros Apostolos ratione extraordinariæ missionis, quæ tamen ratione Missionis ordinariæ ad solum Petrum pertinebat. Cum vero, id exigente Ecclesiæ utilitate, extraordinariam illam potestatem Christus singulis Apostolis contulisset, ideo Patres eos nonnumquam Petro similes habent, maxime Paulum qui pro Romana Ecclesia plurimum laboravit, cujus propterea imago cum B. Petri effigie simul depingebatur. In his autem imaginibus perinde est sive ad dexteram, sive ad lævam alterutrius effigies reperiatur, nam qui ad lævam est in imagine, ad dexteram est spectatoris; quæ fortasse causa erat ob quam digniores in antiquis numismatibus ponerentur ad lævam. Sed ea de re videndus Mamachius loco citato. Cum vero dicit Paulus, se cæteris Apostolis minorem non esse, id in eos dicit, qui aliis Apostolis eum minorem habebant, contra quos propriam vocationem ad Apostolatum ob Ecclesiæ bonum defendit. Quod vero et ipse Petrum uti Ecclesiæ Caput habuerit, tunc ostendit cum ascendit Hierosolymam ut Petrum adiret et cum eo suam doctrinam conferret, ut dictum est. Ad Patres quod attinet, cum Paulum laudibus efferunt et eum cum Petro comparant, id faciunt quantum ad merita,

non quantum ad potestatem; quem si etiam ducem ac principem Apostolorum et Ecclesiarum appellarunt, id emphatice prolatum accipi debet. Cum vero ait Ambrosius, Paulum Primatus gratiam cum Petro accepisse, loquitur de Auctoritate intrinseca et essentiali Apostolatus, quamquam in extrinseca et propria Primatus proculdubio Paulus esset inferior. Alibi etiam affirmat, eos esse æquales meritis: *puto enim illos aequales esse meritis, qui aequales sunt passione*. Ita lib. 2. de Sp. Sancto C. ult. Cæterum Patres omnes cum de successione Romanorum Pontificum locuti sunt, ut Irenæus, Eusebius, Optatus, Augustinus, eos Petro successisse scribunt, nulla Pauli facta mentione. Aliquando tamen cum Patres Petrum et Paulum Romanam Ecclesiam fundasse ajunt, innuere volunt conjunctis laboribus eam excoluisse; atque eo sensu Romani Pontifices se aliquando eorum successores appellare potuerunt, quod nempe eam regant Ecclesiam, quæ utriusque sudore et sanguine irrigata est; et cum eorum auctoritate se pollere et agere profitentur, utriusque Patrocinium implorare, eoque se munire intendunt. Sed etiamsi concederetur, Paulum cum Petro Romanæ Ecclesiæ Episcopatum gessisse, non inde inferri posset, parem utriusque fuisse potestatem; at vero illum huic subiectum fuisse, ejusdemque Coadjutorem. Nam Cyprianus Epist. 70. ait: *Exordium ab unitate proficiscitur, ut una Christi Ecclesia monstretur . . . Super unum Petrum aedificatam esse Ecclesiam*. Et Gregorius M. Lib. II. in Ezech. Hom. 6. de Paulo respectu Petri agens, ait: *Frater quidem erat, sed auctoritate minor* (1).

(1) V. Pet. de Marca in Dissertatione *de Singulari Prima-*

CAPUT XIX.

DE ROMANO S. PETRI ITINERE ET EPISCOPATU.

I. Cum nemo ad Sæculum usque XIV. S. Petrum Apostolorum Principem Romam petiisse, ibique gessisse Episcopatum et Martyrium fecisse dubitasset, primus omnium Marsilius Patavinus, ut cum Imp. Ludovico Bavaro Romano Pontifici adverso gratiam iniret, eam perennem et constantissimam traditionem carpere ausus est. Illius vestigia pressere non pauci e Protestantium grege, qui cum animadverterent, quod si Romanus Pontifex hæres ac successor sit Cathedræ Petri ejusdemque dignitatis, ægre admodum hanc ei prærogativam inficiari possent; ut hanc syrtim evaderent, propugnare conati sunt, Petrum non modo Pontifices Romanos suæ potestatis non reliquisse hæredes, at neque Romæ unquam fuisse. Hunc itaque errorem Calvinus præ cæteris ejusque gregales odio in sedem Romanam exagitati avide arripuere, infaustis tamen auspiciis, cum ab ipsis Protestantibus aliisque prudentioribus heterodoxis graviter reprehensi fuerint, præsertim a Hugone Grotio, a Samuele Basnagio, a Guill. Caveo, Hammondo, Pearsonio aliisque, qui omnes hanc impugnare Traditionem vetustissimam et concordissimam, ac innumerabilium testium nube stipatam insolentissimæ insaniæ esse pronuntiant; sed ut adver-

tu Petri. Card. Ursius. Pet. Ballerinius *De vi et ratione Primatus etc.* - Bellarminus *De Romano Pont.* Card. Gotti, Berti etc.

sariis morem geramus, hanc primum cavillationem operæ pretium est propulsare, ut inde securius ad munia summo Pontifici vindicanda procedamus (1).

II. Et principio quidem factum hoc historicum, S. Petrum nempe Romam perrexisse, ibique fuisse commoratum, non obscure ex ipsius Epistola I. eruitur, ubi C. V. 13. legitur: *Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta, et Marcus Filius meus.* Ubi nomine Babylonis tropicè Romam significari ob idolorum superstitionumque multitudinem, quæ ibi tunc invalescebant, quemadmodum Joannes in Apocalypsi eo nomine Romam designat, omnium veterum concordissima sententia est, et eruditi ostendunt, ut ipsemet Grotius eo in sensu ea verba esse accipienda non dubitaverit, inquiens: *Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse, nemo verus Christianus dubitat*: Sed nec ulla tunc extabat in orbe toto urbs aliqua eo nomine distincta ubi Ecclesia collecta esse posset. Ex nullis quoque monumentis deducitur,

(1) Recens quidam Anonymus Auctor *Jurisprudentiae Ecclesiasticae* Ven. excusæ an. 1787. T. I. p. 459. omnium primus inter Catholicos, ut videtur, vetustissimam Ecclesiæ sententiam de Romano S. Petri Episcopatu inficiatus est, qui nullum Apostolorum vult alicujus civitatis proprium fuisse Episcopum, sed primum Romæ Antistitem fuisse Linum, cui successerit S. Clemens, illiusque personam non physicam sed moralem a S. Petro ad Ecclesiæ principatum fuisse evectam, ut qui antea par erat cæteris, postea omnium Caput et Petri successor renuntiatus sit. Quæ opinio nova prorsus omni fundamento destituta est, nec non SS. Patrum doctrinis opposita, qui Romanam Sedem concordes semper Sedem Petri appellarunt, Romanumque Pontificem uti Petri successorem in Episcopatu Romano ac in Ecclesiæ universæ Primatu perpetuo venerati sunt. Sed hæc opinio ex dicendis funditus evanescet.

aliquem Apostolorum præter Petrum Ecclesiam Romæ collegisse; nam Paulus qui ad Romanos Epistolam scripsit, antequam eò pergeret, Ecclesiam Romæ jam fundatam agnoscit, quam et florentem jam reperit, cum Romam progressus est. Id Papias Apostolorum discipulus confirmat apud Eusebium Lib. II. Hist. Eccl. C. XV. ubi testatur, S. Petrum ab Urbe Roma eam scripsisse Epistolam, quam urbem Babylonis nomine metaphoricè designaverit: *Papias hoc dicit*, inquit Eusebius, *quod Petrus in prima sua Epistola, quam de Urbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropicè Romam Babyloniam nominavit*. Frustra vero heterodoxi Papiæ testimonium elevare nituntur; agebatur enim de facto universæ Ecclesiæ cognito; hinc Tertullianus *Lib.* 3. *cont. Marc.* Hieron. *de Viris Illustr. in Marco*, et alii sæpe idipsum confirmant.

III. Id itaque evincitur quoque ex omnibus historiæ monumentis perpetuaque Patrum traditione penitus nemine discrepante; nam præter primæva monumenta quæ Eusebius refert Lib. II. Eccl. Hist. alia sunt quæ Romanum Petri Episcopatum testantur; Nam Irenæus Lib. II. C. XIV. de S. Petro ait, quod *salutaris praedicationis verbo primus in Urbe Roma Evangelii sui Clavibus januam regni Caelestis aperuit*. Et Lib. III. C. III. fundatam Romæ Ecclesiam dicit, ut sup. retulimus. Tertullianus de Præscrip. C. XXXII. *Evolvant*, inquit, *ordinem Episcoporum suorum ... sicut Romanorum Ecclesia Clementem a D. Petro ordinatum profert*. Cyprianus Epist. ad Cornelium Papam scribit: *Navigare audent ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est*. Eusebius vero

Cæsarien. postquam plura trium sæculorum testimonia retulerat Lib. II. C. XXV. nempe Ignatii, Clementis, Dionysii Corinthii, Caji, Clementis Alexand. Origenis, ut etiam Lib. III. C. I. id præterea affirmat in Chronico ad annum XLIV. Optatus Lib. II. cont. Parmen. ait; *in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput*: Hieronymus ad Damasum Papam, *Cathedram Petri* eum tenere affirmat: Et Augustinus cont. Partem Donati: *Numerate*, inquit, *Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri, et in Ordine Patrum quis cui successerit videte*. Atque ita cæteri. Quare cum in omnibus antiquioribus Romanorum Pontificum Catalogis a Petro initium fiat, eumque Patres semper primum Romanorum Episcopum ponant, incredibile videtur, homines alioquin non illiteratos ita odio in transversum agi, ut luculentissimum factum inficiari audeant, cui tota antiquitas suffragatur, et ipsa etiam Festivitas Cathedræ, qua primum Petrus Romæ sedit, quæque XVIII. Januarii ab antiquis temporibus celebratur, plane confirmat.

IV. Quod tandem Petrus ad mortem usque in Romano Episcopatu permanserit, ibique martyrium fecerit, plurimi ex antiquioribus tradiderunt, ut Tertullianus in Scorpiaco C. XV. inquiens: *Orientem Fidem Romae primus Nero cruentavit: tunc Petrus ab altero cingitur cum Cruci adstringitur*. Lactantius de Mortib. Persecutorum de Nerone ait: *Petrum cruci affixit, et Paulum interfecit*. Eusebius *Hist. Eccl.* L. II. C. XXV. *Paulum quidem*, ait de Nerone, *capite in ipsa urbe Roma, Petrum vero crucis patibulo condemnavit: Eorum sepulcra Romae*. Idem

in Chronico ad an. 44. Petrum XXV. annis Romanæ Urbis Episcopatum gessisse scribit. Hieronymus quoque *de Viris Illustr.* de Petro habet: *Secundo anno Claudii ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit* (1), *ibique vigintiquinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit usque ad ultimum Neronis . . . sepultus Romae in Vaticano juxta Viam Triumphalem totius Orbis veneratione celebratur*. Demum Romanos Episcopos nec alios universa Ecclesia a primis usque temporibus Petri successores habuit et venerata est; ibi ergo martyrium fecit suique successores reliquit; ut quos recensuimus testantur, nec non Egesippus, Dionysius Corinthius, Cajus, Constantinus M. Imp. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Prosper, aliique innumeri. Contra tantam nubem testium quid Adversarii reponant, breviter modo videndum est.

V. Neque in Actibus Apost. inquiunt heterodoxi, nec in Pauli Epistolis ad Galatas, ad Ephesios, ad Timotheum Roma scriptis de Petro Romæ commorante,

(1)Hanc Petri contra Simonem victoriam refert etiam Eusebius H. E. L. II. C. XV. deque ea locutus antea fuerat Arnobius L. II. *adv. Gentes* ubi scribit: *Romam ideo ad Christum fuisse conversam, quia viderat igneas Simonis Magi quadrigas oratione Petri difflatas*. Neque eam historiam quemquam ex veteribus impugnasse constat, aut in dubium revocasse. Falsum est enim quod ajunt de Augustino quasi de ea dubitaverit Epist. 36. C. IX. ubi suspicatur tantum, an jejunium Sabati a Romanis servatum ab illo Petri, quo se ad certamen contra Simonem muniebat, originem duceret. Sed Augustinus alibi lib. *De Haeresibus* et in Psal. IX. eam Petri victoriam uti certam et exploratam habet. Eam vero defendit Mazochius in *Kalend. Neapol.* ad diem 29. Jun. Selvaggius *Inst. Antiq. Christ.* L. I. C. III. et alii non pauci.

aut eò iter faciente verbum ullum habetur, de quo tamen mentio aliqua fieri debuerat. Sed cum tot habeamus monumenta hujus facti illustris et celebratissimi, idque perpetuò affirment testes locupletissimi, iidemque coævi aut facto proximi, quis non videat ex silentio Scripturarum, et ex argumentis aliis negativis nihil concludi posse? Sed in Actis præterea res gestæ succinctè admodum enarrantur quæ nec ad Petri et Pauli martyrium pertingunt, ut mirum non sit, quod plura silentio prætermissa fuerint. Paulus verò ab Urbe Roma Epistolas scribens de Petro locutus non est, eo quod tunc Romæ non aderat, sed relictis Romæ Lino cum aliis ad eam regendam Ecclesiam, ut Apostolus in plures regiones iturus peragrabat superiores Italiæ partes, quod testantur plurium urbium traditiones certè non contemnendæ, quæ Petrum primum Evangelii præconem habuisse, et Episcopos ab eodem ordinatos recepisse gloriantur, inter quas non postrema est Pisarum Urbs, ad cujus portum appulisse et antiqua traditio, et vetera monumenta suadent. Hinc non legimus in Actis, Paulum Romæ Petrum reperisse, quanquam plures ibi Christianos invenerit a nemine certè præterquam a Petro ad Fidem conversos, qui occurrerunt ei usque ad Appii Forum et ad tres Tabernas.

VI. Falsò quoque affirmant, Petri Romanum iter non posse cum historia componi. 1. Quod Auctores inter se dissideant, nam Orosius ait venisse Romam in exordio regni Claudii Imp. Hieronymus vero id contigisse tenet anno illius secundo. Deinde venire non poterat nisi post annos octodecim a Passione Domini. Nam Paulus eum vidit Hierosolymis post annos

tres a sua conversione, et rursus ibidem post annos quatuordecim, qui in annum incidunt Claudii nonum; sed juxta Auctores Petrus Romanum Episcopatum tenuit annis XXV. vixisset ergo usque ad Vespasianum, nec sub Nerone fuisset supplicio affectus. Non potuisse autem Romam pervenire nisi post eam epocham constat etiam ex quo jusserat Claudius Judæos omnes ab Urbe pelli. 3. Ambrosius serm. 67. de SS. Petro et Paulo scribit: *Una die, uno in loco, unius tyranni toleravere sententiam*: cum tamen S. Linus de eorundem passione agens contrarium affirmet. Sed hæ meræ conjecturæ sunt, quæ facile in concordiam revocantur. Et ad 1. Leves antilogiæ ex Chronologia petitæ urgendæ nimium non sunt, cum nemo ignoret quam implexa et varia tunc esset annos supputandi methodus, ut Scriptorum oscitantiæ ea discrepantia tribuenda non sit, sed facta sint potius consideranda, ut circa annum Dominicæ passionis contingit. Verum quod Petrus Romam venerit primo vel secundo Claudii anno in quo Orosius ab Hieronymo dissentire videtur, vix discrimen aliquod intercedit, cum sub finem primi inchoante secundo venire potuerit. Quæ 2. loco afferebantur nullo negotio componuntur. Nam Petrus mansit quinque annis in Judæa; tunc vero Paulus prima vice Hierosolymis Petrum convenit. Hinc Antiochiam perrexit, ut scribit Eusebius, ubi septem annis Ecclesiam a se fundatam rexit. At minimè putandum ibidem perpetuo habitasse, sed interea peragrasse Pontum, Asiam, Cappadociam, atque Bithyniam, ubi novas erexit Ecclesias. Absoluto in Sede Antiochena septennio Evodium loco suo creavit illius Urbis Episcopum. Tum anno a Christi Passione XI. Hierosoly-

mam rediit, atque ut legitur Actor. XII. tunc ab Herode conjectus est in vincula; sed a carcere ab Angelo solutus Romam petiit, ibique suam Sedem statuit, quam annis tenuit XXV. Non verò toto eo tempore Petrus Romæ commoratus est, sed elapsis septem circiter annis nono Claudii anno Hierosolymam iterum rediit, quod incidit in annum a Domini Passione XVIII. Antiocheni tunc certiores facti Petrum Hierosolymis adesse, ad eundem misere Paulum et Barnabam, atque ibidem Concilium celebratum est. Mórtuo demum Claudio Petrus Romam remeavit, ubi post itinera varia sub Nerone Martyrium fecit. Non ergo Petrus Romam petiit anno Claudii nono, at ab Urbe tunc discessit, eoque rediit sub Nerone qui Judæos tolerabat, ut ex Cap. 28. Actor. colligitur, ubi etiam legitur, Paulum Romam vinctum perductum disputationes cum Judæis habuisse. Quantum ad. 3. constat apud eruditos, historiam illam Lino tributam spuriam et confictam esse; ut Ambrosii aliorumque sententiæ sit omninò adhærendum. Quæ omnia adeo sunt clara atque explorata, ut Eusebius Cæsar. H. Ecc. L. II. C. XXV. de Apostolorum Petri et Pauli martyrio scribat: *Horum testimonia quaerere extrinsecus superfluum puto, cum rem gestam insignia usque in hodiernam diem et splendidissima eorum Monumenta testentur*. (1).

(1) Consulendi sunt de hac re Fogginius *De Romano D. Petri itinere et Episcopatu*: Mamachius Tomo V. *Originum*: Gazzaniga *Praelectiones Theol.* T. I. Par. II. Dissert. IV. Sardagna *Theol. Dogmatico-Polemica* Tom. III. Art. III. Controv. I. Bergier *Dictionn. Theol.* Art. *Pierre (S)*.

CAPUT XX.

DE ROMANIS PONTIFICIBUS IN DIGNITATEM PRIMATUUM UNIVERSÆ ECCLESIÆ PETRO SUCCEDENTIBUS.

I. A prærogativis D. Petri Apostolorum Principis in Ecclesiam Universam ad eas ejusdem successoribus asserendas gradus modo faciendus est. Catholica itaque Fides docet, Romanum Pontificem canonicè electum Petri Apostoli Successorem esse, et ex Christi institutione gaudere in universa Ecclesia Primatu honoris et jurisdictionis. Dogma hoc vetustissimum artibus omnibus omnique astu impugnâre audent protestantes, et præcipue Angli, qui proprium regem pro sui schismatis capite sibi constituerunt. Sunt alii qui catholici haberi volunt, at novatoribus adhærentes de communis Fidelium Patris potestate non rectè sentiunt, autumantque, Summum Pontificem esse quidem totius Ecclesiæ Caput, at volunt etiam, peculiarem quemlibet Episcopum in sua Diœcesi ita in auctoritate cum Summo Pontifice consociari, ut iste sit tantum primus inter pares, quod eò recidit, ut solus Primatus honoris eidem tribuatur. At isthæc opinio a refractariis recentioribus propugnata, præter quamquod *schismaticae et erroneae* nota a Pio VI in Bulla *Super soliditate* contra Eybelium edita an. 1786. et in alia *Auctorem Fidei* edita anno 1794. inusta est, manifestam etiam implicat contradictionem: Qua enim ratione fieri posset, ut R. Pontifex totius esset Ecclesiæ Caput, si primus tantum inter pares haberetur? Quænam est bene ordinata societas in

qua Caput æquipararetur membris? Sed hoc monstrum erroris cito evanescet.

II. Modo *Romanorum Pontificem S. Petri in Principatu Ecclesiae successorem esse* 1. sponte fluit ex recitatis Christi verbis Matth. 16. quæ universam Ecclesiam usque in finem sæculorum duraturam designant, et quibus ita Petrum allocutus est: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Jam verò si Primatus prærogativa ad Petri successores non dimanaret, portæ inferi facile adversus Ecclesiam prævaluissent; non enim inter tot Christiani Nominis contrarias invicem Societates, in quanam Vera Ecclesia staret, certò sciri posset; Neque successionis defectu partium unitas et concordia servari, ut schisma perpetuum illam exagitaret, in eaque infinitæ propemodum turbæ excitarentur. Hinc Patres allata verba respicere potius Ecclesiæ futura tempora intellexere, quam Apostolorum ætatem, qui supernis charismatibus locupletati Capite non indigebant, ut in officio continerentur. Docuerunt igitur, Christi Ecclesiam potissimum super Cathedram Petri esse fundatam, super nempe ipsius Petri successores ejus Cathedram occupantes. Inter hos eminent tribus primis Ecclesiæ Sæculis, ut vidimus, Irenæus, Tertullianus, et Cyprianus. Hic Ep. LV. ad Cornelium Papam scribens ait: *Neque enim aliunde haereses obortae sunt aut nata schismata, quam inde, quia Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, et ad tempus Judex Vice Christi cogitatur*. Ubi de Romano Antistite Cyprianum loqui dubium non est, quem cum *Judicem* dicat, jam jurisdi-

ctione insignitum agnoscit, et cum *vice Christi* positum affirmet, idem est ac si *Christi Vicarium* in terris per antonomasiam appellasset. Sed præter alia plura alibi relata, hæc de electione ejusdem Cornelii in Romanum Pontificem habet Epist. 52. (Edit. Balutii p. 68.): *Factus est Cornelius Episcopus . . . cum Fabiani locus, id est cum locus Petri, et gradus Cathedrae sacerdotalis vacaret.* Igitur ex Patrum sententia Christi Verba etiam ad Petri Successores referenda sunt.

III. Idipsum conficitur ex aliis Christi ad Petrum verbis Joan. XXI. 16. quibus eidem Primatus potestatem conferens ait: *Pasce agnos meos . . . pasce oves meas.* Sed agni et oves Christi usque ad mundi finem in terris futuri sunt; debet ergo et Pastor adesse Petri successor qui vice Christi eos pascat et regat; sicut Aaroni in Lege Veteri successores dati sunt, *idcirco quod morte prohiberentur permanere*, ut ait Apost. ad Hebr. VII. 23. Quemadmodum vero Deuteron. XVII. dictum fuerat: *si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris ... venias ad Sacerdotes Levitici generis et ad Judicem qui fuerit illo tempore etc.*: ita et in Lege Evangelica Christus supremus Legislator et Sacerdos in æternum a Deo constitutus antequam ascenderet ex hoc mundo ad Patrem, suum in terris Vicarium constituit Petrum et visibilem Pontificem summum *in iis quae sunt ad Deum*, qui ad consummationem usque sæculorum haberet in sua dignitate successores. Alioquin Ecclesia non modo inferioris esset gradus ac Synagoga fuerit, sed nec una posset ac salva consistere: quin deficiente Capite Visibili et Unitatis centro, nec amplius Ecclesia ab omnibus

cognosci posset, nec, ut prædictum est, omnes ad eam confluere gentes. Quare Chrysostomus *De Sacerdotio* Lib. II. sub init. ait: *Quanam de causa ille sanguinem effudit suum? Certè ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat*. Ita et S. Leo in Anniversario Assumptionis suæ: *Perseverat videlicet Petrus et vivit in successoribus suis*. S. Petrus Chrysologus vero Epist. ad Eutychen. *B. Petrus, qui in propria Sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus Fidei Veritatem*: Et Synodus universa Chalcedonensis clamabat: *Petrus per Leonem locutus est*. Denique ne plura congeramus S. Prosper Aquit. (*cont. Collat. n.* 15.) præclarè ajebat: *Sacrosancta B. Petri Sedes per universum Orbem Papae Zozimi sic ore loquitur*. Primatus ergo a Christo Domino collatus Petro ex Patrum tum Græcorum tum Latinorum consensione in Romanis Pontificibus perseverat.

IV. Concilia quoque Oecumenica hoc ipsum testantur sive Pontificiis Legatis primum locum dando, sive Actorum confirmationem postulando et accipiendo, sive Romanorum Pontificum prærogativas declarando; ut Nicænum I. quod ut refertur in Chalcedonensi ita decrevit « *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*. Dein Cpolitanum I. quod de eodem Primatu verba facit: Et Ephesinum, quod habet et ipsum non pauca. In Chalcedonensi vero Oecumenico IV. lectis Leonis P. Epistolis acclamatum est ut supra dictum: *Anathema ei qui non ita credit*: *Petrus per Leonem locutus est*. Concilium autem Constantiense propositiones damnavit Wiclefi et Jo. Hus Romano Pontifici Primatum et a B. Petro successionem negantium.

Hinc Florentinum Concilium Græcis consentientibus simul cum Latinis hoc dogma his verbis definivit: *Definimus*, ajunt PP. omnes, *Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum Orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum et Verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput et omnium Christianorum Patrem et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, gubernandi Ecclesiam universalem a Christo plenam potestatem traditam esse, quèmadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum et in Sacris Canonibus continetur* (1). Atque demum Tri-

(1) Volunt quidam postrema hæc verba e Græco textu esse vertenda. *Juxta eum modum, qui in Actis synodorum oecumenicarum et in Sacris Canonibus continetur:* quasi Concilia formam et rationem Ecclesiam regendi Romanis præscripserint Pontificibus. Perperam tamen. Nam. 1. Concilii Flor. Acta Latine scripta sunt, et exemplaria MSS. omnia a Eugenio IV. signata verba præseferunt ut relata sunt. 2. E Latino in Græcum versa fuere et publice in utraque lingua perlecta. 3. Græcus textus habet: Καθ' ὃν τροπον καὶ εν τοις πρακτικοις των οικουμενικων συνοδων κ. τ. λ. Hæc autem verba minime sunt vertenda, *juxta eum modum, qui in Actis Oecumenicarum Synodorum etc.* cum in græco illius relativi *qui* nec vola nec vestigium adsit; sed nullum sensum alium referunt, quam, *juxta quem modum, sive, quemadmodum etiam in Actis etc.* Quare Pet. de Marca errasse (*in Praef. ad Concord.*) eam versionem dando omnes concedant oportet. Quanquam ea quoque admissa, nihil detrimenti affertur Pontificiæ Potestati. Ubinam quæso decreta extant Conciliorum eam potestatem limitantium aut dirigentium? Quæ enim Basileæ a Schismaticis acta fuerant, Catholici execrantur omnes. Quis ergo dixerit Florentinos Patres digitum ad ea gesta intendisse, a quibus jam fuerant reprobata? Sed quid Florentini PP. significare voluerint, intelligi potest ab Epist. S. Maximi Ab. et Martyris ad *Pe-*

dentina Synodus Sess. XIV. C. VII. summam agnoscit Pontifici Maximo traditam in Ecclesia universa potestatem.

V. Ostenditur id quoque ex Decretis ac Gestis Romanorum Pontificum; cum multoties illorum diplomata totius Ecclesiæ consensu in Conciliis ut Fidei Regulæ suscepta sint, quæ Jurisdictionis Primatum et a B. Petro successionem testantur. Tales sunt Epistolæ Cælestini I. ad Ephesinum Concilium, Leonis ad Chalcedonense, Agathonis ad Synodum VI. Generalem, Adriani I. ad VII. Generalem Synodum. Quod etiam constat ex usu Auctoritatis sæpissime adhibitæ potissimum in Oriente. Ita Clemens I. ad Corinthios Epistolam scripsit, ut schisma inter eos ortum compesceret, quam summopere venerati sunt. Anno 146. Concilio a Pontifice Romæ coacto Theodotus Coriarius damnatus est, ejus sententia Oriente toto recepta. Anicetus ac postea Victor an. 197. Polycrati cæterisque Asiæ Episcopis graviter comminati sunt ob inordinatam Paschæ celebrationem, quibus veniam impetravit S. Irenæus, ut Eusebius refert Lib. V. C. XXV. S. Fabianus an. 237. Origenistas in Oriente invalescentes damnavit, et an. 242. Privatum hæreticum in Africa anathemate percussit. Cornelius an. 252. in Concilio Romano decreta Concilii Carthaginiensis circa lapsorum pœnitentiam rata habuit. An. 257. Dionysius Patriarcha Ale-

trum Illustrem de Pyrrho Cpolitano, ubi ait: *Apostolica Sedes ab ipso Incarnato Dei Verbo, sed et omnibus Sanctis Synodis, secundum sacros Canones, et terminos universarum quae in toto terrarum Orbe sunt Sanctorum Dei Ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit, et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi*. Florebat S. Maximus initio VII. Sæculi.

xandrinus Stephanum Papam consuluit circa validitatem Baptismi ab hæreticis collati; atque idem Pontifex pro officii sui munere plurimum laboravit ut in Ecclesia universa errorem rebaptizantium extingueret; de quo Vincentius Lirinen. in Commonit. 1. C. V. *Tunc*, scribit, *Beatae Memoriae Stephanus Apostolicae Sedis Pontifex cum caeteris Collegis suis, sed etiam prae caeteris, restitit, dignum ut opinor existimans, si reliquos omnes tantum Fidei devotione vinceret, quantum Loci auctoritate superabat*. Nec Primatui derogat, si Cyprianus aliique statim non obtemperaverint, cum reprehensione tunc digni habiti fuerint, et ipse Cyprianus alibi, ut jam vidimus, Romanæ Ecclesiæ jura propugnaverit. Circa annum vero 268. cum Dionysius Patriarcha Alexand. apud Dionysium R. Pontificem Sabellianismi reus accusatus esset, apud eundem, cujus Primatus jura optime noverat, Patriarcha suam causam defendere non est veritus, et ab impacta calumnia liberari. Cum vero eodem anno Concilium Antiochenum Paulum Samosatenum e sua sede ob hæresim dejecisset, ea de re ut opus erat Dionysium R. Pontificem certiorem fecit. Sæculo autem IV. et sequentibus crebra et luculentissima exempla habentur hujus supremæ auctoritatis. Nam cum S. Athanasius Patriarcha Alexandr. Paulus Cpolitanus, Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazensis Episcopi fuissent ab Arianis e suis Sedibus dejecti, ad Julium R. Pontificem appellarunt cujus decreto singulis propriæ Sedes restitutæ sunt, ut refert Socrates *Ecclesiasticae Hist.* L. II. C. XV. qui hæc de Julio habet: *Ex Romanae Ecclesiae praerogativa liberioribus literis communitos in Orientem remisit singulis suas Sedes*

restituens. Eadem ferme habet Sozomenus *Hist. Eccl.* L. III. C. VIII. nempe: *Cum propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit*. En Supremæ Auctoritatis prærogativa a duobus Græcis Historicis Sæculi IV. et V. Romano Pontifici in Ecclesiam universam adserta. Hujus vero Appellationis rationem affert Athanasius ipse *Epist.* ad Felicem Papam, qui loco Liberii Romanam tunc regebat Ecclesiam: *Ob id vos Deus*, inquit, *Praedecessoresque Vestros, Apostolicos videlicet Praesules, in Summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere praecepit, ut nobis succurratis*. Hæc de R. Pontifice Athanasius Alexandrinus Patriarcha, qui adhuc presbyter Nicæno Concilio I. interfuerat, ejusdemque mentem noverat. Denique his factis Ecclesiastica Historia referta est, ut cum S. Jo. Chrysostomus ad Innocentium I. confugit contra Conciliabolum Constantinopolitanum, aut cum S. Flavianus Cpolitanus Patriarcha a Dioscoro Patr. Alexandr. e sede ejectus ad S. Leonem I. appellavit, ut infiniti essemus si vellemus singula percensere (1).

(1) Inter plura quæ ad hanc potestatem confirmandam afferri possent, prætereundus non est solemnis Actus, quo nuper Pius VII. Pont. M. omnes Galliarum Episcopatus in novos diœcesium terminos ordinavit, non paucos abolevit, Episcopis singulis ad suorum Episcopatuum abdicationem adductis; atque alios etiam postea rursus erexit, de quibus gestis in perpetuum memorandis D. de la Mennais in opere ex gallico verso « *Riflessioni sullo stato della Chiesa di Francia nel Sec. XVIII.* hæc scitè pronunciat » *Il Papa non esitò a dichiarare a' Vescovi, che ogni loro opposizione sarebbe inutile. Capo supremo dell'ordine pastorale e sorgente della giurisdizione egli aperse a lei nuovi canali per fertilizzare l' antica Chiesa de' Galli fondata da' suoi predecessori. I Vi-*

VI. Non mirum ergo si Patres primatum hunc et jus ac officium Romani Pontificis semper et a primis usque temporibus agnoverunt. Ita Irenæus Lib. III. C. III. *Ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*: ita Patres Concilii Sardicensis in Illyrico anno 347. qui communi consensu appellationes a toto Oriente ad Romanam Sedem ratas habuere: Ita S. Basilius Ep. 52. ad Athanasium, in qua, *Visum est*, inquit, *consentaneum scribere ad Episcopum Romanum ut videat res nostras, et judicii sui Decretum interponat*. Quid clarius a tanto Viro? Et Hieronymus adversus Luciferianos: *Ecclesiae salus in summi Sacerdotis Dignitate pendet, cui si non exsors quaedam* (id est, ultra communem sortem) *et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes*. Vidimus jam supra Tertulliani, Cypriani, Optati, Ambrosii, Augustini, aliorumque testimonia; Verum quid plura? Nonne habemus Gentiles ipsos hanc R. Pontificis potestatem agnovisse? Refert enim Theodoretus Cyri Episcopus *Haereticarum fabul.* Lib. II. C. VIII. quod Aurelianus Imp. Paulo Samosateno dejecto, illum edixerit esse agnoscendum Patriarcham Antiochenum, cui R. Pontifex Literas suas misisset. Ammianus Marcellinus vero *Hist.* Lib. XV. narrat, Constantium Imp. odio in

carj di G. C. non avevano mai esercitata la loro podestà in modo sì luminoso, mai non avevano spiegata un' autorità sì grande e sì magnifica. La provvidenza voleva così, per confondere le dottrine dello scisma, le quali si dilatano, dice l'Apostolo, *a guisa di cancrena, e per vendicare la Cattedra eterna dalle bestemmie lanciate dai novatori* ».

S. Athanasium agitatum vehementer curasse, ut a potiori Romani Pontificis auctoritate damnaretur: *Id enim ille*, scribit, *Athanasio semper infestus, licet sciret impletum, tamen auctoritate, qua potiuntur aeternae Urbis Episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti . . . Jubente Principe Liberius monitus perseveranter renitebatur nec visum hominem nec auditum damnare nefas ultimum saepe exclamans.* Aurelianus et Marcellinus Gentiles Sæculis III. et IV. noverant R. Pontificum præcellentiam et potestatem, Christiani hæretici et falsi Catholici Sæculo XVI. et seqq. eam agnoscere renuunt et profiteri. O nefas! O portentum!

CAPUT XXI.

PRIMATUM ROMANORUM PONTIFICUM EX JURE DIVINO PROFICISCI OSTENDITUR.

I. Incredibile dictu est quanto acriter exardescant heterodoxi adversus Romanum Pontificem, et in quantam insaniam eos furor impulerit, ut horum non pauci extiterint, qui vesanum Lutherum antesignanum suum secuti (*Lib. de Capt. Babyl.*) Supremum Ecclesiæ Antistitem appellare Antichristum non erubuerint; cum seipsos potius tam in Evangelio, quam in Epistolis ad Thessalonicenses et in Apocalypsi debuissent graphicè descriptos agnoscere. Tauti odii causa fuit Romani Pontificis vigilantia, qui illius hæresiarchæ errores et blasphemias non est passus grassari impunè, ut non mirum, quod protestantium turbæ iniquum et

furiosum ducem suum imitatæ sint. At est quod miremur, quosdam inter eos, qui Catholici haberi volunt, repertos esse, quibus hic Primatus displicet, quos inter vexillum extulit Eybelius in libello suo, *quid est Papa;* quo sciolis et imperitis imponere aggressus est, dum non paucis consarcinatis erroribus et fallaciis Primatum Pontificis Maximi sibi plaudit evertisse, aut ad purum nomen saltem redegisse; in quo cum hæreticum se plane ostenderit, jure ac merito a Sancta Sede errorum omnium expultrice universo Orbe Catholico plaudente, ut vidimus (sup. C. præc. N. 1,), damnatus est. Ecclesia enim universa non modo hunc Primatum Jurisdictionis et potestatis R. Pontifici semper vindicavit, sed præterea *de Jure divino ei esse tribuendum non semel edixit*.

II. Et quidem, quod a Christo Domino originem trahit ac institutionem, de Jure divino habendum est; at ipse Petrum Caput Ecclesiæ constituit, eaque, ut jam vidimus, insignivit auctoritate, quæ ad successores erat transmittenda; Ecclesia quippe non Petri solum tempore, sed ad finem usque est duratura; sicut ergo Ecclesia est jure divino instituta, ita et Primatus successorum Petri; cum super successionem hanc Ecclesia Militans immobilis et indeficiens simulque visibilis, quin et una et Apostolica fundata sit, ut ex supra dictis patet. Fac enim Primatum successorum Petri non esse de Jure divino: jam Christus Ecclesiam suam reliquisset acephalam, divisam in partes plures ut nec videri, neque dignosci posset; quod est prorsus absurdum et divina Sapientia ac Providentia indignum. Idque validius, quod post Petrum major adesset Primatus hujus necessitas, ut *Capite constituto schismatis*

tolleretur occasio, ut Patrum sententia est. Hinc ex divino instituto absque Ecclesiæ decreto ullo factum est, ut *Petro successerit Linus*, *Lino Clemens*, ut Patres retulere, atque ita deinceps usque in præsens: Factum quoque est, ut statim Primatus jura exercuerint, et ab omnibus uti Ecclesiæ Principes semper haberentur; quod profluere minime potuisset, nisi ex jure divino.

III. Id Patres sive singillatim sumpti, sive in Conciliis congregati concorditer fassi sunt, ut Romana Synodus LXX. Episcoporum sub Gelasio P. an. 492. in decreto de Apocryphis Scripturis habet: *Quamvis universae per orbem Catholicae Ecclesiae unus thalamus Christi sit, Sancta tamen Romana Catholica et Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis caeteris Ecclesiis praelata est, sed Evangelica voce Domini et Salvatoris nostri Primatum obtinuit etc.* Septima quoque Oecumenica Synodus ex CCCL Episcopis conflata et Adriani I. Epistolam reverenter suscepit, et Actione II. de Sede Romana adjecit: *Cujus Sedes per totum terrarum Orbem Primatum obtinens, lucet, omniumque Ecclesiarum Dei Caput existit, unde et ipse B. Petrus . . . ubique principatum obtinuit et obtinet*: Oecumenicum vero Lateranense III. ex CCC. Episcopis tum Græcis tum Latinis congregatum C. V. ait: *Romana Ecclesia disponente Domino super omnes alias ordinatae potestatis obtinet principatum, utpote Mater universorum Christi Fidelium*. Decretum autem generalis Concilii Florentini supra productum est; ut hinc merito Facultas Parisiensis in sua celebri contra Lutherum censura hæc habeat: *Nec minus certum est, unum esse jure*

Divino in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui Christiani omnes parere tenentur.

IV. Cadit ergo Edm. Richerii systema, quo in Lib. *de Ecclesiastica et Politica potestate* an. edito 1611. volebat, Claves seu Jurisdictionis potestatem soli Ecclesiæ immediate a Christo fuisse datam, Petro autem cæteris Apostolis et Episcopis eorundem successoribus mediate datam aut per Ecclesiam dari. Volebat ergo, Romanum Pontificem esse tantum Caput symbolicum et ministeriale, qui omnem auctoritatem ab Ecclesia accipiat. Quam opinionem in Senonensi Concilio an. 1612. damnatam et ab Ecclesia Romana proscriptam licet Richerius abjecerit, eam tamen e suis cineribus excitare voluit Synodus Pistoriensis, quæ rursus ut hæretica damnata est a Pio VI in Bulla *Auctorem Fidei* propp. II. et III. Et quidem nullo vel apparenti fundamento hæc hæresis fulcitur. Ubinam, quando Communitas fidelium Petro, aut Apostolis eam tradidit potestatem? Nonne Apostoli potestate sibi divinitus collata Ecclesias condebant? Non ne erant Ecclesiæ fundamenta? Paulus ad Galatas scribens, ait: *Paulus Apostolus non ab hominibus neque per hominem sed per J. C. et Deum Patrem*. Ut ergo Christus Apostolos instituit, ita et Apostoli ejusdem potestate, inconsulta Fidelium Societate, successores sibi constituerunt. At Petro et una cum eo illius successoribus ipse Christus dixit: *Tibi dabo Claves Regni Caelorum*. Per Clavem autem summam Potestatem significari notius est, quam ut demonstratione indigeat. Ita in Apocalypsi C. III. 7. dicitur de Christo: *Haec dicit Sanctus et Verus, qui habet Clavem David: qui aperit et nemo claudit: claudit, et nemo aperit.*

Ita Isaiæ C. XXII. per symbolum Clavis Eliacim Summus Pontifex constitutus est. At Petrus a Christo Domino solus communicandas cæteris successoribus Claves accepit.

V. Hinc Justini Febronii etiam cavillationes convelluntur, quibus et hunc Primatum Jurisdictionis destruere, et Romani Pontificis Potestatem in rebus ad generalem Ecclesiæ disciplinam pertinentibus in nihilum redigere conatus est. Qui etiamsi palinodiam fecerit, ejus tamen opinamenta partim *haeretica* partim *schismatica*, ut declarantur in laudata Bulla *Auctorem Fidei* propp. 4. 5. 6. 7. 8. relata, Synodus Pistorien. renovare tentabat. Quorum si staret absurda opinio: ad quid Christus Claves Petro dedisset? Sed hi errores omnes ex iis quæ sunt infra dicenda penitus evanescent.

VI. Solet hac in re a Theologis Catholicis nonnullis salva Fide inquiri, an Supremus Pontificatus sit Romano Episcopatui annexus ex immediata Christi institutione, an vero ex voluntario facto quo S. Petrus usque ad mortem Romæ sedere voluerit, ut ex jure Ecclesiastico et non divino Summus Pontificatus sit Romanæ Sedi addictus. Inde enim inferri posset, ut Romanus Pontifex aliam Sedem eligeret, vel nulli se alligaret Sedi, et nihilominus haberetur totius Ecclesiæ Primas, cui Ecclesia alium similem surrogare in successorem posset. Verum longe probabilius est, quod hic Primatus sit divino jure, ex Christi nempe voluntate Romano Episcopatui adnexus, ut Patres passim sentire videntur: imo legitur Joannis XXI. 18. Christum Petro martyrium prædixisse Romæ ab eo reddendum per supplicium Crucis, cum ei dixit: *cum au-*

tem senueris, extendes manus tuas et alius te cinget, et ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum: subdit sacer textus. Ex divina ergo dispositione cum ea contingere deberent, videtur Romanos Pontifices in successores Petri et in Ecclesiæ Primates jam divinitus fuisse præsignatos, ut hæc dignitas in Petro personalis, fieret etiam localis pro Urbe Roma. Cum tamen nondum sit hoc ab Ecclesia definitum, ad fidem quidem pertinet, Romanos Pontifices Petri esse successores ac Primates Ecclesiæ; at non quia sunt Romæ Episcopi, ideo successores Petri jure divino esse debeant. Disputatum quoque est, quonam certitudinis gradu verum sit, præsentem Romanum Episcopum esse Petri successorem et supremum Pontificem: alii enim volunt, id esse certum morali tantum certitudine: alii certitudine Theologica: alii certitudine Fidei; atque hi quidem hoc factum *immediate* ad fidem pertinere ajunt, alii tantum *mediate*, nempe aut per moralem certitudinem aut per theologicam. Nemo itaque inter Catholicos est, qui non certò id teneat, at quonam gradu certitudinis non omnes inter se consentiunt. Dubitari tamen non posse videtur, hoc factum et alia similia mediate tantummodo pertinere ad Fidem, per certitudinem moralem nempe, quæ sufficit, ut de præsenti Romano Pontifice ac S. Petri successore, nisi temere, ambigere nequeamus. Rem hanc dilucide exponit Muratorius *De Ingeniorum moderatione* Lib. I. C. XVIII. ut etiam Melch. Canus *de Locis* L. VI. C. VIII. ad X.

VII. Ex his ergo quæ hucusque demonstrata sunt, prudens quisque facile intelliget, difficultates, quæ ad-

versus Primatum Ro. Pontificis ab hæreticis creari solent, nullius esse roboris ad eum labefactandum, sed æquam interpretationem pati oportere: Talia sunt quæ proferunt ex Canone VI.Concilii Nicæni I. ubi par potestas tribui videtur Ro. Pontifici ac Patriarchæ Alexandrino; *quia*, dicitur, *Urbis Romae Episcopo parilis mos est*. Imo Ruffinus Hist. Ecc. L. X. C. V. Ro. Pontifici *suburbicariarum* tantum *Ecclesiarum sollicitudinem* tribuit. Sed et ex Concilio Chalcedonensi Canon ille Nicænus ita legendus erat: *Ecclesia Romana semper habeat Primatum*. Præterea idem Chalcedonense Concilium Can. XXVIII. ita de illius privilegiis loquitur: *Antiquae Romae throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt*. Idque etiam Valentinianus III. in Novella confirmare videtur. Primatus igitur Romanæ Ecclesiæ, inquiunt, non de jure Divino, at de Ecclesiastico et humano jure considerandus est. Hæc tamen licet prima fronte aliquam præseferant difficultatem, penitus evanescunt si consideremus tria esse in Summo Pontifice distinguenda, Episcopalem nempe Dignitatem, Patriarchalem, et dignitatem Primatus. Episcopi omnes conveniunt cum Romano Pontifice in prima, et Patriarchæ etiam in secunda dignitate ac potestate. At nemo eidem æquiparari potest in Auctoritate Supremi Primatus universæ Ecclesiæ. Sensus vero Canonis Nicænæ Synodi patet ex causa ob quam conditus est, eamque aperit Epiphanius Hæresi 69. quod nempe Meletius Thebaidis Metropolita sibi potestatem arrogaverit Episcopos instituendi independenter a Patriarcha Alexandrino contra antiquum morem. De quo cum hic in Concilio conquestus esset, Patres veteri consuetudini standum esse decre-

verunt exemplo adducti Ro. Pontificis quantum ad hoc jus Patriarchale, quod per Occidentem totum, per Septentrionem, Africam et Illyricum extendebatur. Quod ergo dicitur de Ruffino, qui in suburbicarias tantum Ecclesias jus Pontificium extendere videtur; nisi per hanc phrasim intelligere voluerit Patriarchatus universam ditionem, nullius ponderis habendum esset, cum id contra Concilii mentem, et contra Ecclesiastica monumenta omnia id affirmaret.

VIII. Sed neque putandum est, Nicænam Synodum, cum exemplo R. Pontificis Alexandriæ Patriarchæ jura tuetur, illi Primatum denegare, quem semper in Ecclesiam universam gerebat. Quin imo Canon ille modo mutilus, ita antiquitus exordiebatur: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*. Ita enim Canonem hunc Paschasius in Chalcedonensi Concilio attulit ad hunc ostendendum Primatum Actione VI. inquiens: Tercentorum decem et octo SS. Patrum Canon VI. *Quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum*. Re autem diligenter perpensa, eam lectionem Concilium ratam habuit, adjunxitque: *Ex his quae gesta sunt et ab unoquoque deposita, perpendimus, omnem quidem Primatum et honorem praecipuum secundum Canones Romae antiquae Dei amantissimo Archiepiscopo conservari*. Eundem Canonem Bonifatius I. ad *Episcopos Thessaliae*, et Gelasius I. *contra Acacium* verbis iisdem protulere. Fucum itaque facit Quesnellius dum contra meliorum Codicum fidem legit: *Ecclesia Romana semper habeat Primatum*: quasi suprema hæc potestas tunc ei primum collata sit: at legendum: *semper habuit*: ut sensus sit, non humana institutione, sed jure divino ea potestate

potiri, ut agnovit S. Athanasius Alexandrinus Patriarcha, cujus auctoritatem superiori Cap. retulimus N. 5. qui cum Nicænæ Synodo interfuisset, ejus auctoritas maximi facienda est, ut nihil validius pro Primatu juris divini Romano Pontifici tuendo optare queamus. Notum autem est, nullam esse auctoritatem Canonis XXVIII. Chalcedonensis, quem B. Leo cum tota Occidentali Ecclesia reprobavit. Imo Græci ipsi nullam de eo rationem postea habuisse visi sunt. Hinc de prærogativa Cpolitani Patriarchæ S. Leo ad Marcianum Imp. scribens ajebat: *Habeat, sicut optamus, Cpolitana Civitas gloriam suam: alia tamen est ratio rerum saecularium, alia divinarum etc.* Valentinianus vero Imperator non ob Urbis tantum dignitatem, sed præcipue ob Petri meritum huic Sedi Primatum concessum dicit. Quare tantum abest, ut quæ ex adverso allata sunt jura Romani Primatus infringant, ut mirifice potius confirment.

CAPUT XXII.

SUPREMUS ROMANI PONTIFICIS PRIMATUS EX OBJECTORUM SOLUTIONE CONFIRMATUR.

I. Fuisse necessarium in Ecclesia Dei Primatum Jurisdictionis et Potestatis est adeo per se manifestum, ut prudentiores inter Protestantes id libenter confessi fuerint, ut Grotius, Leibnitius, aliique quorum testimonia collegit Ignatius Fiume T. II. *Scholae Veritatis Orthodoxae*. Sed non pigeat Guillel. Leibnitium audire Epist. VIII. ad Jo. Fabricium: *Cum Deus,* in-

quit, *sit Deus Ordinis*, *et Corpus Unius Ecclesiae Catholicae et Apostolicae uno regimine*, *hierarchiaque universali continendum juris divini sit*, *consequens est*, *ut ejusdem sit juris supremus in ea spiritualis Magistratus terminis se justis continens* (*haec verba nunc addo*) *directoria potestate omnique necessaria ad explendum munus pro salute Ecclesiae agendi facultate instructus*. Qua in re mirari subit, hæreticum hominem rectius præ non paucis sensisse, qui Catholici videri volunt. Quæ igitur contra hoc dogma consarcinari solent non nisi de bilia et sophistica esse queunt; ut cum mirari simulant Apostolum I. Cor. XII. et Ephesior. IV. nullam hujus Primatus mentionem fecisse, ubi omnes recenset Ecclesiæ gradus: Sed gratis præsumunt iis in locis de gradibus agi Ecclesiasticæ hierarchiæ, cum Episcopos, Presbyteros, Diaconos, non commemoret ad eam utique pertinentes; sed Prophetas, Virtutes, gratias curationum et similia enumeret quæ ad Ecclesiæ ministeria non referuntur. Itaque Apostolus ibi Charismata Spiritus Sancti quibusdam fidelibus impertita recenset, et cum inter ea Apostolos etiam et Pastores adnumeret, si quis vellet ab Apostolo etiam Ecclesiæ ministeria fuisse recensita, quis non videat implicitè inter eos summum etiam Pontificem nominari, qui primum inter Pastores locum obtinet? Revera ibidem de Ecclesia agens habet, quod sit *unum Corpus*, et *unus Spiritus*. Verum quomodo Ecclesia esset Corpus Morale, si careret Capite; et quomodo esset Corpus visibile, si haberet dumtaxat Christum Caput invisibile et inconspicuum?

II. Habent tamen quod nobis ex Cypriano oppo-

nant; qui Epist. 71. ad Quintum de Pontifice Ro. scripserit: *Nec Petrus vindicavit sibi aliquid insolenter ... ut diceret se Primatum tenere, et obtemperari . . . sibi potius oportere*. Et in Concilio Carthaginensi dixerit: *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit*. Frustra tamen adversarii ex his obscuris Cypriani dictis Primatum Romanum infringere aggrediuntur. Non enim constat an ea in S. Stephanum Papam dicta sint, an potius in quosdam Africæ et Mauritaniæ Episcopos qui erant a Cypriani opinione alieni. Sed dato etiam ea in Romanum Pontificem jaculasse, ut certe alibi non pauca in eum effudit; quis ignorat ob id in omnium antiquorum reprehensionem incurrisse, et præsertim a S. Augustino et a Vincentio Lirinensi fuisse redargutum? Itaque Augustinus Lib. V. de Bapt. non vult nimium esse urgenda, *quae Cyprianus in Stephanum irritatus effudit: fatetur enim paulo commotiorem fuisse in Stephanum R. Pont.* quod tamen ipsius peccatum fuerit postea *gloriosa martyrii falce purgatum*. Ut quid ergo adversarii Cyprianum nobis semper obtrudunt? Quasi unius error universalem Ecclesiæ doctrinam labefactare possit, cum potius inde magis magisque confirmetur? Facile quoque sibi Cyprianus suadebat, Stephanum P. suæ fuisse potestate abusum, aut etiam fraudibus circumventum et deceptum fuisse in rebus non ad Fidem, sed ad disciplinam, ut putabat, pertinentibus, ut ex Epist. LXVIII. educitur; alioquin dicendum foret Ro. Pontificem neque uti Metropolitanum suum neque uti Patriarcham considerare voluisse, quæ sunt absurda,

et iis contraria quæ aliis in locis fatetur. Ita cum Marcianus Episcopus Arelatensis ad Novatianos defecisset, Cyprianus ad S. Stephanum Papam Ep. I. scribit: *Dirigantur à Te literae in Provinciam et ad Plebem Arelate consistentem, quibus, abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur*. Noverat ergo supremam Ro. Pontificis potestatem. Idem in L. *de Unitate Ecclesiae* scribit: *Primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur*. Et Epist. 73. Ecclesia, inquit, *Una est, et super unum, qui claves ejus accepit, Domini voce fundatá*, quæ frustra dicta et facta essent, nisi in Ro. Pontifice staret suprema potestas. Cum ergo ait: *Episcopatus unus est, cujus pars a singulis in solidum tenetur*: de potestate loquatur oportet Episcopatui essentiali, non de suprema Petro collata ad centrum unitatis constituendum; ut ea phrasi indicare voluerit Cyprianus Ecclesiæ unitatem ad quam conservandam omnes in solidum tenentur, at vero cum debita Ecclesiæ Capiti obedientia sine qua turbatio oriretur et magna confusio. Verum de Cypriani mente ac gestis consulendus P. Ballerinius *de Vi et Ratione Primatus* C. XIII: et Jo. Marchetti *Esercitazioni Ciprianiche* Edit. II.

II. At cur, inquiunt, Episcopi non modo Apostolorum et Petri successores, sed et ipsius Christi Vicarii non raro vocitantur? Quia in pluribus Christi et Apostolorum vices gerunt; positi enim sunt a Spiritu Sancto ut peculiaris alicujus gregis curam gerant; ut eis a S. Petro dicitur Ep. I. C. V. *Pascite qui in vobis est Gregem Dei*. Cum ergo successores dicuntur Apostolorum, de Episcopali potestate id est intelligendum, non de plena et suprema Potestate Petro

collata Apostolorum Principi ad solos Romanos Pontifices derivanda: Quo sensu et Vicarii Christi appellantur sed non cum amplissimo Jure Capiti Ecclesiæ tributo. Cum etiam Episcopi dicuntur a Patribus curam et sollicitudinem universalis Ecclesiæ habere, non innuunt jam posse quemquam Ecclesias aliis commissas cum potestate administrare, quod omnem ordinem perturbaret; sed quia caritatis vinculo unus alteri opem ferre debeat, vel etiam quia collectivè accepti et in Conciliis congregati unitati et incolumitati Ecclesiæ prospicere teneantur. Quod si Gregorius Mag. Lib. IV. Epist. XXXII. non vult appellari *Episcopus universalis*, et Joanni Cpolitano Patriarchæ hoc esse *blasphemiae nomen* scribit; id optime factum est tum ad invidiam declinandam, quia ut inquit Lib. V. Ep. 18. si unus Patriarcha Universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur: tum ut illum Patriarcham redargueret, qui se *Episcopum Oecumenicum* appellabat, quo nec ipsi Romani Pontifices nominabantur, quia cum sit nomen æquivocum in pejorem partem traheretur. Cæterum Gregorius sæpe Sedis Apostolicæ præstantiam agnovit. Quod si Pontifices in titulis et in aliis similibus non distinguebantur, id ex moribus et ex loquendi formulis illius ævi desumendum est, non quod in potestate Episcopis æquales haberentur: Hinc ajebat Gregorius Lib. IX. Ep. LIX. *si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis Sedi Apostolicae Episcopus subjectus non sit: cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis aequales sunt.*

IV. Decretum profertur a Gratiano relatum P. I. Dist. XCIX. C. III. ne Episcopus summus Sacerdos

appelletur, nec Romanus dicatur Pontifex Universalis. Primum tamen respicit Africæ Episcopos, et alterum ex adductis Gregorii verbis desumptum est. Cum vero Justinianus L. I. Tit. I. §. 25. Ecclesiam Cpolitanam appellat omnium aliarum Caput, patet ad Ecclesias Orientales id esse limitandum; nam Imperator Ro. Ecclesiæ Primatum aperte agnoscit Novella C. inquiens: *Decernimus justa Sacrarum Synodorum Decreta, SS. Veteris Romae Episcopum Primum esse omnium Sacerdotum*. Nec refert, qnod Romani Pontifices aliquando Romæ non sederint, vel ibi electi non sint: quanquam enim extra Romam commorentur, aut alibi eligantur, semper sunt Romæ Episcopi et ubique ad Romanam Cathedram eliguntur, ut ubicumque degat R. Pontifex, sit Petri successor et Ecclesiæ Caput ac princeps. Sunt etiam qui absurdum sibi fingunt, ex quo si Primatus iste esset de jure divino, sequeretur, Apostolos Petro superstites debuisse Lino aut Clementi parere: At quodnam esset inconveniens, si ex. g. Joannes qui ut Apostolus et Propheta omnibus Orbis Episcopis præcellebat, alio respectu Petri successori uti visibilis Ecclesiæ vertici subesset, ne unitas a Domino sancita et statutus ordo inverteretur? An forsan inconveniens fuerat in Veteri Lege, ut ex. g. Propheta Isaias Summo Sacerdoti esset subjectus?

V. Ajunt denique, Patres appellationes ad Ro. Pontifices sæpe improbasse, et nonnullos eorum Decretis restitisse, quasi hunc Primatum minime agnoverint. Sed cum Patres has appellationes improbare aliquando visi sunt, non jus denegarunt et Appellationum utilitatem, quas etiam Sancti Athanasius et Jo. Chrysostomus, aliique innumeri interposuere; sed earundem

abusum damnant, quo quidam, ut meritas pœnas evitarent, appellabant. Si qui vero Romanæ Ecclesiæ decretis restitere, ab universa Ecclesia fuere semper improbati. Sed cur Asiaticorum causa ex. g. circa celebrationem Paschatis ad Romanam Sedem delata fuit, aut cur S. Polycarpus ad eam agendam Romam venit, et non potius Alexandriam aut Antiochiam perrexit, si ad jura sedis Romanæ judicatum non fuisset eam pertinere? Cæterum veteres hæc jura Primatus perspecte agnoscebant, ut jam vidimus, et circa jus Appellationum celebres sunt Canones Concilii Sardicensis, et acta plura in historiis Ecclesiasticis relata, ut cum Sozomenus L. III. C. VIII. postquam narrasset a S. Julio Papa nonnullis Episcopis suas Sedes fuisse restitutas, ait: *Et quoniam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuique Ecclesiam restituit*. Hæc ergo cum Primatum Romanæ Ecclesiæ perspicue evincant, hujus Primatus adversariis cum S. Augustino contra Petilianum dici posset: *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiae Romanae in qua Petrus sedit, et in qua nunc Anastasius sedet*: cui addendum: et modo Leo XII. sedet (1)?

(1) Præter plura de hac re egregie scripta, legi meretur opus D. Jo. Marchetti: *L'autorità suprema del R. Pontefice dimostrata da un sol fatto, o sia Dissert. sopra il Concilio di Sardica*. Roma 1789. *in* 8.

CAPUT XXIII.

HETERODOXORUM CONVICIA IN ROMANUM PONTIFICEM REFELLUNTUR.

1. Cum Christus Dominus de impiis scelestisque hominibus dixerit Discipulis Joan. XV. 20. *Non est servus major domino suo: si me persecuti sunt, et vos persequentur*: ex hoc divino oraculo eventurum erat, ut etiam Ecclesiæ Episcopi, et præcipue ejus Caput Romanus Pontifex dicteriis et insectationibus ab apostatis et a perfidis subjiceretur. Quod nunquam tanta sacrilega temeritate factum est, quam post exortas sæculis XV. et XVI. pestiferas hæreses, quæ totum ferme universum susque deque usque modo perturbant. Exinde enim heterodoxi odio et insano livore perciti nullis artibus nullisque fraudibus pepercerunt, ut Ecclesiam Catholicam impeterent, ipsamque Romanam Sedem quantum ipsis libuerit inhonestarent. Verum quis crederet, hæreticos suis asseclis obtrudere serio potuisse, Romam hujus nostri ævi illam esse Babylonem in Apocalypsi descriptam, Pont. Maximum esse antichristum, in Romana Sede atheismum regnare et idololatriam, et ex Ro. Pontificibus fuisse alios magos et alios divinatores? Inter hæc ex improborum calumniis et historiis mendacibus fabulantur, Silvestrum II. (doctum et religiosum Pontificem) a statuis oracula requisivisse: S. Gregorium VII. (de Christiana Repub. optime meritum) Eucharisticum Panem, quod ei responsa non daret in ignem per contemptum conjecisse:

Alexandrum VI. insignem fuisse magum, qui cum ministrum suum in secretius conclave immisisset, ut libellum artis magicæ afferret, is satanam invenerit in Sede pontificia sedentem, habitu pontificali indutum eique dicentem, *ego sum Papa*! Pudet hæc stulta mendacia prosequi, quæ Jo. Gerhardus in opere *de Locis Theologicis* loco 23. C. II. Ecclesiæ Catholicæ impingere non erubuit; quod opus certe de trivio viginti voluminibus comprehensum recenter vulgare non puduit Jo. Fridericum Cottam Tubingæ an. 1767. ad 81. En quibus putidis certe calumniis et commentitiis fabulis hæretici de Catholica Religione sibi blandiuntur triumphare posse (1)!

II. Opus aliud infaustis avibus prodiit in Hollandia an. 1723. gallicè historiam Paparum comprehendens quinque voluminibus, in quibus mendacia quæque, convicia, calumniæ, accusationes in Romanos Pontifices colliguntur, ubi si inter falsa innumera pauca vera enarrantur, maligne adaugentur et pervertuntur. Nam

(1) Sapienter hinc animadvertebat Cl. Ab. Bergierius (*Dictionn. Theol.* art. *Tartares*, in fine), rationi valedixisse protestantes, cum de Romanis Pontificibus agunt. *Mais dès qu' il est question des Papes et de l' Eglise Romaine, les Protestans n' entendent plus raison*. Et quidem eos videre est totas exerere vires, convicia effundere ac maledicta cum catholicos insectantur, quasi nulla deterior, nulla societas pestilentior in orbe succresceret; cum interim hæreses Eutychianorum, Nestorianorum, Græcorumve ne vel minimum tangant, quinimo etiam fœdus cum iis inire satagant ob id solum, quod primatum respuant Pontificum Romanorum, licet in aliis gravissimis ab illis hæreticis dissentiant. Atque ita incredulorum, impiorumque conatibus suppetias ferunt, qui cum optime norint, in Summi Pontificis Suprema auctoritate veram Religionem juxta Domini oraculum esse fundatam, ut hanc infringant, evertere illam moliuntur.

calumniis non contenti minima urgent pro magnis, et quædam Romanorum Pontificum menda multoties repetunt et ad nauseam usque exaggerant, ea arte ac maligno consilio ut suis sectatoribus horrorem ingerant in Romanam Ecclesiam, non secus ac olim Judæi in Christum se gerebant, hodieque in ejus cultores facere consuescunt. Cæterum Davissonius in sua infideli de Papis notitia inter CCL Pontifices qui hucusque rexere Ecclesiam paucos admodum de culpa aliqua accusare potuit, idque ut plurimum falso et perverso judicio. Neque ii sumus qui Pontificum omnia omnino gesta fuisse sancta et recta velimus: ut homines enim peccare aliquando potuere, quos a peccato immunes non vindicamus, licet paucissimi et unus aut alter numerentur qui publice scandalum dederint aliquod. At in vera doctrina tradenda et in morum regulis definiendis inculpatos eos defendimus. Verum an sit honestum, eorum defectus propalam exponere, amplificare, maligne interpretari, et non excusare potius quantum fieri potest et caritatis velo contegere, novatores ipsi viderint, apud quos maxima eorum culpa est, ipsorum errores damnasse, qui si forte id non fecissent, quod absit, in maximo honore ab ipsis haberentur, et magnifice laudarentur. At cui bono a privatis potissimum et a nullius pretii hominibus non proximi tantum cujusvis, sed summi Ecclesiæ Patris culpas invidiose pervulgare? Non ne his hæreticis quoque dixisset Christus Dominus (Jo. VIII.): *Qui sine peccato est vestrum, in illum primus lapidem mittat?* Non ne S. Augustinus eis diceret, quod de Pitiliano ajebat? *De Unico Bapt.* C. XVI. *Quid opus est, ut Episcoporum Romanae Ecclesiae, quos incredibilibus calumniis in-*

sectatus est, objecta a Petiliano crimina diluamus? . . Ipse sceleratos et sacrilegos fuisse dicit: ego innocentes fuisse respondebo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam? Videant hæretici, antiquum esse hæreticorum morem, ut Ro. Pontifices improbe criminentur a quibus jure ac merito redarguuntur.

III. Verum quidnam lucri ex his maledictis capere sperant heterodoxi? Forsan probare intendunt sectam quam sequuntur meliorem esse aut sanctiorem? At facile est ostendere, ubique abusus, ubique scandala adinveniri, maximè verò in hæreticorum societatibus invalescere, ut, ipsis fatentibus, supra jam vidimus C. XIII. n. 4. Quod si in Ecclesia etiam Catholica non raró prava opera conspiciuntur; considerent, ea in Evangelio prædicta, in quibus extirpandis Ecclesiæ Præsules operam dare jubentur. Sed Synagogam in Veteri Testamento Veram fuisse Ecclesiam negaverit nemo, cui tamen facinora non pauca Prophetæ exprobrabant. An ex his malignis criminationibus hæretici justam et legitimam suæ defectionis causam ab Ecclesia Matre prætexere autumant? Oppido falluntur. Quoadusque id maledictis, odio, blasphemiis, rebellionibus probare gestiunt, lupos, non se pastores produnt. Alia id via, iis tamen impossibili, fuerat demonstrandum. Miraculis opus erat et divinæ missionis characteribus ut avitam Religionem immutare possent. Ea saltem Lutherus ipse requirebat in causa Munzeri cujusdam qui nova dogmata prædicabat, de quo scribebat ad Mulhusianum Senatum, *ut quaereret ex eo, quis ipsum ad praedicandum miserit: Qui si dixerit, a*

Deo et Spiritu ejus se fuisse missum, sicut olim Apostoli, probet hoc signis et miraculis: Nam quando Deus ordinarium modum immutari vult, semper simul miracula operatur. Atque id quidem Lutherus optime docebat, se tamen in Religione innovanda eximebat a miraculis dandis, quæ a cæteris postulabat. Operam itaque ludunt adversarii, si legitimam suæ defectionis causam ex his inferre contendunt.

IV. Neque in his sistunt heterodoxi, sed et putidis fabellis liberum commeatum præbent. Nam ut acrius in Romanum Pontificem imperiti vulgi contemptum et horrorem excitent, insulsa illa fabula utuntur, qua fertur, in Romana Sede post Leonem IV. an. 855. sedisse annis duobus et mensibus quinque feminam quandam nomine Joannam; quod ita evenisse hæretici Centuriatores Magdeburgi volunt, ut divinitus appareret, Ecclesiam Ro. fuisse in illam meretricem babylonicam commutatam, quam Joannes in Apocalypsi describit; idque in argumentum allegant validissimum suæ a Romana Sede legitimæ defectionis. Contra quam est primo adnotandum, non modo Catholicos anilem fabellam hanc penitus exsufflasse, at plures etiam inter hæreticos eam explosisse apertissimis argumentis, ut Blondellus, Casaubonus, Leibnitius, Bayle, et alii; quare mirum est, quod Gerhardus eam recantare tentaverit. Sed hic est haereticorum morbus: si quæ adversus Romanam Sedem a malignis falso circumferuntur, illicò absque examine ullo approbantur: quæ vero eidem favent manifestis licet argumentis ostensa, pertinaciter rejiciuntur.

V. Quam inepta igitur et absurda sit ea fabula constat ex criticæ regulis, cum scriptorum coævorum nul-

lus, et qui per duo sæcula secuti sunt, ullam de ea memoriam fecerint, quorum primus est Anastasius Bibliothecarius Apostolicus vir eruditissimus et rei narratæ coævus, qui veterum Pontificum Vitas partim collegit, partim scripsit ad Nicolaum I. usque, quique oculatus testis affirmat, post Leonis IV. obitum, cum Sedes vacasset diebus quindecim creatum fuisse Benedictum III. ut nullus locus intrusioni hujus Joannæ esse potuerit. 2. Ado Viennensis Archiepiscopus, qui eodem tempore florebat, in suo Chronico ad an. 865. Benedictum III. Leoni IV. immediate successisse scribit, inquiens: *Pontifex Romanus Gregorius moritur, atque ejus loco Sergius ordinatur, illo defuncto succedit Leo, quo obeunte Benedictus in Sede Apostolica substituitur.* 3. Ex Hincmari Archiepiscopi Remensis Epistola XXVI. constat inter Leonem IV. et Benedictum III. sedem paucis diebus vacasse. 4. Nicolaus I. Ro. Pontifex, qui Benedicto III. successit, in sua Epist. ad Suessionense Concilium an. 866. aperte testatur Leoni IV. S. memoriæ Benedictum successisse. 5. Alii scriptores præsertim Græci, licet Romanis infesti idem testantur, nec de illa fabula ullum habent verbum, ut Photius, Metrophanes Smyrnæus, Cedrenus, Zonaras, Jo. Curopalata, Rhegino, aliique qui per duo Sæcula secuti sunt, ut primus, qui rem hanc profert, sit post annos bis centum Marianus Scotus in Chronico an. 1083. conscripto; hinc Sigebertus an. 1112. postea Martinus Polonus an. 1277. et dehinc alii plures qui eam fabellam ex iis exscripsere, qui tamen omnes dissident inter se, et circumstantias referunt ridendas prorsus atque ineptas, ut ex variis rumoribus eam fuisse captam liquido appareat. At præterquam-

quod ii scriptores neque oculati, neque testes sunt coævi, ut alii sunt quos in contrarium protulimus, serò nimis scripsere ut hanc rem contra melioris historiæ fidem scire possent; observarunt etiam viri eruditi, nec Marianum Scotum, nec Martinum Polonum, nec Sigebertum primos fuisse ejus fabulæ auctores; cum in vetustioribus eorum Manuscriptis ea minime conscripta reperiatur, ut additio sit habenda et interpolatio recentior aliena manu in eorum historias inserta.

VI. Quæ vero ad hanc fabellam incrustandam addunt Magdeburgenses, Gerhardus et alii, puerilia prorsus sunt, et nullo fundamento suffulta, ut non referat in iis refutandis diutius immorari. Moshemius quidem suspicatur, ob aliquod singulare factum, quod eo tempore contigerit, eam obortam fabulam. Verum scriptores synchroni, quos recensuimus, et præterea Lambertus, Hermannus, Otho Frisingensis et alii ejus ævi et sequentis nullum factum insigne recensent, quod huic fabulæ causam dare potuerit. Quidam censent, ab ignavia Joannis VIII. qui Photium in Patriarchalem Cpolitanam Sedem restituit rogatus a Basilio Imp. post Ignatii mortem, eam fabulam vulgò exordium sumpsisse; ut vel Joanni nota femineæ imbecillitatis tribueretur, vel potius eidem Photio feminæ daretur nomen, qui cum eunuchus esset, et Cpolis tunc Nova Roma appellaretur, orta esset in populo occasio dicendi, in Novæ Romæ Sede feminam sedere, non virum. Res proverbio increbuit: at cum processu temporis adagii origo oblivione deleta esset, et facile in vulgo nomen Veteris cum Novæ Romæ nomine confunderetur, hinc fortasse rumor pervasit, Romanam Sedem aliquando feminam occupasse Joannam nomine, atque inde fabu-

lam confictam, quæ in Chronicis relata sit. Hæc si cui non placent, meliora inveniat. Sed et Cardinalis Garampius nuper in *Dissert. De Nummo Benedicti III.* omnem ansam huic invento eripuit. Quare protestantes minus procaces ab ea fabella obtrudenda licet ingratiis recedere coacti sunt, ut alios pudere tandem debeat, hanc crambem toties recoxisse. Ex his autem hucusque discussis facile quisque comperiet, quam falsa, temeraria, et impudentissima sint alia plura, quæ simulata quadam gravitate hæretici venditant imperitis, ut eos decipiant, sibique devotos reddant; cum ex dictis et præcipue ex anili explosa fabella de cæteris calumniis in Romanos Pontifices ab eis congestis, dici possit: *Crimine ab uno disce omnes*. Quis enim hos calumniatores audaces, imo et in Ecclesiam ejusque Pontificem Summum blasphemos non abominetur, qui inaudita protervia maledictis eum insectari non cessant, quem non modo Ecclesia vera universa, sed et ipsi Græci Schismatici, quin imo infideles ipsi populi ac Principes summopere venerantur, et honoribus prosequuntur? Hinc se produnt aperte, eas esse *Portas inferi*, quas adversus hanc Petram Dei virtute firmatam spopondit Christus Dominus nunquam fore prævalituras (1).

(1) Annatus in *Apparatu etc.* Lib. VI. Art. XII. Bergier Art. *Pape*. Biagi Diz. di Berg. Art. *Papa*. *Papessa*. Talucci Mauro *Discorso Analitico ec.* Gazzaniga loc. c. P. Berti vero affirmat *De Theol. discipl.* T. IV. Lib. XXXVI. Cap. XIV. fabulam illam de Joanna ortum habuisse ab hæreticis Valdensibus, cui posteriores hæretici pondus visi sunt addidisse.

CAPUT XXIV.

DE PRÆROGATIVIS ET DOTIBUS QUÆ ROMANI PONTIFICIS PRIMATUM CONSEQUUNTUR.

I. Quanquam Catholica Ecclesia universa in Romani Pontificis Primatu Jurisdictionis et potestatis agnoscendo, et ut fidei dogma confitendo unanimis consentiat, nonnulli tamen Theologi discrepant in omnibus ejus prærogativis determinandis. Atque harum quidem plures eidem ab omnibus tribuuntur, cum ejus sint generis, a quibus sine fidei discrimine dissentire non licet: Aliæ vero sunt dotes, quæ etiamsi communiter Ro. Pontifici vindicentur, de iis tamen non adeo explorata res est, ut sine fidei jactura ab aliquibus in controversiam non revocentur. In re igitur tanti momenti, quæ plurium ingenia exercuit, ut ordine procedamus, 1. Dotes et Officia, quæ necessario Primatui conveniunt, adnumerabimus, ut 2. ad illas progrediamur dotes percensendas, quæ salva Fide a nonnullis hucusque in controversiam adducuntur.

II. Prior ergo hujus Primatus prærogativa Catholicorum omnium consensione est, ut *Caput sit et Centrum Romanus Pontifex totius Ecclesiae unitatis, ex quo jura omnia dimanent sine quibus unitas in Ecclesia servari non posset*. Ad hunc enim sapientissimum finem præcipue Primatum in Ecclesia a Christo Domino fuisse constitutum Patres et Concilia semper agnoverunt. Ita Patres VII. Synodi Generalis, et Oecumenicæ Florentinæ ut supra vidimus. Ita-

que ajebat Hieronymus L. 1. *cont. Jovin.* n. 26. *Inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio. Una est Ecclesia*, ajebat Cyprianus Ep. 73. et *super unum qui Claves accepit, Domini voce fundata*. Quomodo vero antiquitus cum Ro. Pontifice Ecclesiæ omnes unirentur, docet Optatus L. 2. cont. Parmen. inquiens: *Cum quo nobiscum totus Orbis commercio formatarum in una Communionis societate concordat*: quas *formatas* literas a I. Nicæna Synodo fuisse præscriptas eruditi sentiunt. Antea enim Irenæus L. III. C. III. testatus fuerat: *Ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*. Itaque scribit Cyprianus *De Unit. Ecc. Qui Petri Cathedram deserit, in Ecclesia non est*. Quare Comitia Gallicana an. 1681. de Ro. Pontifice solemniter pronuntiarunt: *Caput est Ecclesiae, centrum unitatis: obtinet ille in nos Primatum auctoritatis et jurisdictionis sibi a J. C. in persona Petri collatum, et qui ab hac veritate dissentiret, schismaticus, imo haereticus esset*.

III. Altera prærogativa sive officium est, *ut Papae tanquam Capiti sollicitudo incumbat omnium Ecclesiarum, ut invigilet executioni Canonum per totum orbem, et rebelles poenis Canonicis coerceat*. Itaque S. Cyrillus Patriarcha Alexandr. cum tota Generali Ephesina Synodo ad S. Cælestinum I. Pontif. scribit: *Quoniam oportebat omnia ad scientiam tuae Sanctitatis referri*. Eadem habet S. Avitus Archiep. Viennensis de hac re leges afferens synodales Epist. 36. Et S. Bernardus ad Innoc. II. *Oportet*, inquit, *ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque e-*

mergentia in Regno Dei, ea praesertim quae de Fide contingunt; ut propterea LXXXV illi Galliarum Episcopi ad Innocentium X. recurrentes an. 1655. hæc inter alia habeant: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiae mos est, quem Fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat.* Et revera nisi ita esset, Ro. Pontificis jurisdictio et potestas in nihilum prorsus abiret. Hinc sequitur debitum obedientiæ eidem præstandum, ut omnibus præscribit formula Fidei ad mentem Concilii Tridentini a Pio IV. proposita. Nec in Ecclesia novæ sunt hujus obedientiæ Professiones, inter quas celebris est Formula Fidei Sæculo VI. ab Octava Generali Synodo et a Papa Hormisda erga Romanos Pontifices præscripta et toto orbe recepta, et in qua inter cætera habebatur: *sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, et praedicamus omnia, quae ab ipsa decreta sunt . . . in qua est integra Religionis et perfecta soliditas. Et in omnibus non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter Sacra non recitanda esse mysteria etc.* Hinc Comitia Gallicana sæpe declararunt quod Ro. Pontifici *omnes Christiani parere tenentur, idque de jure divino.* Quare ipsemet auctor Defensionis Cleri Gall. sub Bossueti nomine Lib. III. C. XII. fatetur, *Petri successoribus deberi obedientiam eam, quam Concilia et Patres semper agnoverunt.*

IV. Est ergo Tertia prærogativa, *quod Leges et Decreta Summi Pontificis in Causis Fidei et morum ad omnes et singulas Ecclesias pertineant, ut Christiani omnes eisdem in conscientia obtemperare teneantur* veluti Pastori et Doctori universalis Ecclesiæ,

et qui Ecclesiam universam repræsentet. Id enim ex Dominico mandato pascendi agnos et oves Patres universim docent; quare Florentina Synodus declaravit: *Romanum Pontificem per universum orbem tenere Primatum . . . et ipsi in B. Petro pascendi regendi et gubernandi Ecclesiam universalem a Christo plenam potestatem traditam esse*. Atque ita in Professione Fidei *Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram agnoscimus*. Hinc interrogabat olim Hieronymus (contra Ruffinum): *Quomodo probaverit Italia, quod Roma contempsit: Episcopi susceperint, quod Sedes Apostolica condemnavit?* Sequitur inde, ejus decreta absque exceptione ulla esse suscipienda, ut Orientales Episcopi olim juxta Hormisdæ formulam profitebantur: *sequentes in omnibus Sedem Apostolicam etc.* Itaque Hincmarus celebris Remensis Archiepiscopus Sæc. IX. ita Joannem VIII. Sum. Pontificem alloquebatur (Oper. T. II. pag. 250. 462.): *Meum est mea vobis obediendo committere, et non vestra Judicia discutere*: Et alibi sic Episcopos Collegas affatur: *Nos qui Sacros Canones et Decreta Sedis Romanorum Pontificum sub ipsius Apostolicae Petrae judicio exequimur, nihil aliud quam juste judicantium fautores, et justorum judiciorum executores obedientiam Sancto Spiritui praestamus, qui per eos locutus est, et Sedi Apostolicae a qua rivus Religionis et Ecclesiasticae Ordinationis et Canonicae judicationis profluxit*. Hinc Ro. Pontificis *Decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere* in quatuor Articulis Galli confessi sunt.

V. Inde quarta prærogativa descendit, nempe *In*

controversiis Fidei et Morum praecipuas partes summi esse Pontificis, nec in Ecclesia quidquam magni momenti definiri debere, quod ad ipsum, ut Judicem dignitate ac auctoritate principem, non referatur. Hanc dotem tota Vetus Ecclesia testata est, ex cujus sententia S. Alcimus Avitus Sæculo V. Viennensis Archiep. et Galliarum Primas Epist. XXXVI. ad Collegas suos scribit: *Scitis Synodalium legum esse, ut in rebus quae ad Ecclesiae statum pertinent, si quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanae Ecclesiae Maximum Sacerdotem, quasi ad Caput nostrum, membra sequentia recurramus*. Quare Gallicani Præsules in famosa illa declaratione an. 1682. hoc ipsum fassisunt, videlicet Prop. IV. *In Fidei quoque quaestionibus praecipuas Sum. Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere etc.*

VI. Quinta itaque prærogativa est a Patribus cunctis communi consensu laudata, *ut* nempe *Ecclesiam universam repraesentet*. *Haec repraesentatio* ajebat Tertullianus (L. *de Jejun*. C. XIII.) *totius nominis Christiani magna veneratione colitur*. Et quidem S. Petrum Ecclesiam repræsentasse Cyprianus, Optatus, Hilarius, Chrysostomus, Augustinus docent. Eam vero repræsentationem in successores permeare Concilia Ephesinum et Chalcedonense tradunt, et res est ab omnibus Catholicis concessa. Hinc fit, ut esse unitum Romanæ Sedi Patres censuerint, esse Catholicæ Ecclesiæ conjunctum. Itaque Cyprianus scribebat quod communicare *cum Romano Episcopo, esset cum Catholica Ecclesia communicare*. Ambrosius Or. in Obitu Satyri ait:

Percunctatusque ex eo est, utrum cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Sede conveniret. Hieronymus quoque ad Damasum Papam ajebat: *qui tecum non colligit, spargit:* Et Ruffinum interrogabat Lib. I. *Quamnam Fidem suam vocaret? Eam ne qua Romana pollet Ecclesia? Si Romanam respondebit*, inquit, *Ergo Catholici sumus.* Et jure quidem, cum, ut vidimus, sit Centrum Unitatis Catholicæ: quare cum Episcopi et Nationes integræ ut Armeni, Aethiopes, Copti in communionem cum Ro. Pontifice Eugenio IV. rediere, ad Catholicam unitatem rediisse existimati sunt.

VII. Quatuor aliæ supersunt dotes divino jure hujus Sedis propriæ. 1. Ut habeat Papa jus convocandi Generalia Concilia, iisdem vel per se, vel per suos Legatos præsidendi, eademque confirmandi. 2. Ut jus habeat dispensandi a legibus etiam a Conciliis Generalibus latis, prout Ecclesiæ necessitas vel utilitas requisiverit. 3. Ut controversias inter Episcopos ortas componere possit ac debeat, silentium indicere, oppressos defendere. 4. Ut plenam fori pœnitentialis potestatem habeat in tota Ecclesia quoad absolutionem peccatorum, eorumque reservationem. Atque hæc quidem Jura Primatus primigenia et essentialia sunt ex jure divino, in quibus universa consentit Ecclesia. Ex his vero alia secundaria promanant, quæ licet fortasse in divino jure non fundentur, tamen ab Ecclesia Catholica Summo Pontifici communi consensu vindicantur; ut sunt 1. Canonizatio Sanctorum. 2. Approbatio Ordinum Religiosorum noviter institutorum. 3. Sacramentorum administrandorum ritus accidentales. 4. Confirmatio et translatio Episcoporum

ac fundatio Ecclesiarum Cathedralium. 5. Dipensationes plures etiam in votis, et alia quæ apud Canonistas habentur.

VIII. Nonnulla supersunt privilegia indicanda de quibus salva Fide adhuc viget inter Catholicos controversia; et 1. An tantum Summo Pontifici ita a Christo jurisdictio in Ecclesiam universam concessa sit, ut ab eo Episcopis communicetur. 2. An Papa a nemine judicari possit, ne quidem a Generali Concilio, et an sit Concilio superior. 3. An aliquam habeat directam vel indirectam in res Principum temporales auctoritatem. 4. An Judicium Romani Pontificis loquentis ex Cathedra, sive ut Doctor et Pastor Ecclesiæ universalis in rebus Fidei et morum independenter a consensu Ecclesiæ, sit infallibile. Hæc enim, ut ea quæ maxima probabilitate gaudent, communi suffragio Romano Pontifici tribuuntur, Gallis non paucis ex adverso stantibus, et aliis nonnullis qui eorum doctrinas affectant. Sed quantum ad 1. oportet potestatem Ordinis a potestate Regiminis sive Jurisdictionis secernere, ut prior sit immediate a Deo, posterior nonnisi mediate per Ecclesiam sive per R. Pontificem, alioquin dogmata cum praxi Ecclesiæ, cum Patrum et Conciliorum auctoritate nullo modo conciliari possent. Quare si quis hanc jurisdictionem immediate a Christo singulis Episcopis ita cum Ordinatione collatam defenderet, ut a superiori potestate coerceri ac limitari non posset, in propositiones, uti schismaticas in Bulla *Auctorem fidei* damnatas incideret propp. VI. VII. et VIII. Quantum vero spectat ad 2. et 4. prærogativam in sequentibus disserendum est (1).

(1) Pet. Ballerinius: *De vi et ratione Primatus*: tum *De Po-*

CAPUT XXV.

QUÆRITUR, UTRUM ROMANORUM PONTIFICUM ALIQUIS EXTITERIT, QUI EX CATHEDRA JUDICIUM IN MATERIA FIDEI AUT MORUM PRONUNTIANS UNQUAM ERRAVERIT.

I. Celeberrimam de Ro. Pontificum inerrantia in edendis fidei definitionibus tractationem aggressuri, prænotandum esse ducimus, dotes et prærogativas, quas Divina Providentia Petri successoribus largita est, non iis fuisse tributas ut singularibus privatisque personis, sed in bonum Fidelium totiusque Ecclesiæ suæ, ac ut ait Apostolus Ephes. 4. *in aedificationem Corporis Christi . . . ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum: in astutia ad circumventionem erroris*. Hæc itaque privilegia, ut habet S. Franciscus Salesius, non personam, sed Pontificis munus et officium sequuntur. Nam *Ecclesiae salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet*, ajebat S. Hier. Atque ut Nicolaus I. scribebat ad Carolum Calvum, et ad Galliæ Episcopos, *Privilegia Romanae Ecclesiae arma sunt contra omnes impetus pravitatum*. Qui ergo

testate Ecclesiast. Pii VI. *Responsio ad Metropolitanos etc.* Romæ 1789. 4. *Opuscula ad hierarchicam Eccl. constitutionem spect.* Ven. 1790. 8. Card. Sfondratus: *Gallia Vindicata*, et aliud opus: *Regale Sacerdotium*. Card. Ursius, Card. Gotti, Co. Le Maistre *Du Pape etc.* et Jo. Laur. Berti *De Theol. Discipl.* L. XX. C. XIV. et potissimum vid. Dissertatio de hac re ad finem Lib. XXIV. adjecta.

eis invident, divinis auxiliis Ecclesiam spoliare nituntur. 2. Prænotare juvat, duplici modo Summum Pontificem spectari posse 1. modo uti privatam personam, et etiam ut privatum doctorem, qui in familiaribus colloquiis et disputationibus sua placita proponat, aut voce etiam publicè sermones ad populum habeat: Alio modo, cum delata ipsi ut Supremo Controversiarum Judici causa aliqua ad Fidem aut mores spectante, mediis adhibitis quæ ipsius prudentiæ expedire videbuntur, ut Ecclesiæ totius Pastor et Doctor Apostolica auctoritate sententiam pronuntiat. Non itaque priori modo sed posteriori tantum ex Cathedra definire dicitur. Priori ergo ratione Pontificis Persona consideratur in *sensu diviso*, nempe cum se gerit ut simplex homo, ac deambulat, dormit, familiares epistolas scribit, cum amicis colloquitur; ac tunc nisi per fallaciam in *sensu composito* diceretur, Petri Cathedra deambulat, dormit, Sedes Apostolica scribit aut loquitur: Posteriori autem modo consideratur Ro. Pontifex cum Pontificatus jura exercet, dispensat, fidei controversias definit, atque in *sensu composito* tunc dici debet, Apostolica Sedes, sive Ro. Pontifex publicam fidei definitionem edit, dispensat etc. quia tunc Ro. Pontifex, Petri Cathedra aut Romana Sedes sunt unum et idem. Sicut ergo non sunt componenda, quæ dividenda sunt; ita nec dividere oportet quæ sunt componenda, si per sophisticam fallaciam, ut adversarii faciunt, ineptire noluerimus.

II. Præterea prænotandum 3. Quæstionem posse moveri vel de rebus physicis, chronologicis, politicis, historicis, vel ad disciplinam pertinentibus, aut etiam de Responsis in rebus juris etc. Vel tandem de Fide,

Religione, et Moribus. Non agitur hic de prioris generis definitionibus, quæ multoties sunt provisiones ad tempus latæ, et opinativæ esse queunt; nam et Ecclesia, ut ajunt Theologi, suas opiniones habet, quarum vi sæpe judicat ac decernit: neque Pontificum tunc mens est, fidei edere definitionem: imo in illis Ro. Pontifices non se ab errore immunes existimarunt, ut habet Melch. Canus L. V. C. V. in quibus nec ipsa Concilia Oecumenica infallibilia haberi solent. Sed agitur de Decretis in rebus Fidei et Morum, quæ uti dogmata divina Ecclesiæ universæ credenda proponuntur, et a quibus sine hæreseos nota nemo dissentire possit. Observandum 4. Ut Papa et Cathedra loqui dicatur, non necesse habere, ut alicui humano medio aut consultationi suam alliget decisionem. Alioquin frustranea in Sum. Pontifice talis esset auctoritas; nam qui damnati essent, contendere possent, ut non semel fecerunt hæretici, causam satis nondum fuisse discussam: et prærogativa tunc non ea esset Pontificis, sed consultorum. Quocirca ejusdem prudentiæ a Tridentino Sess. XXV. C. ult. modus committitur, quem in sententiis ferendis poterit adhibere, ut etiamsi media opportuna negligerentur, ea ad Ecclesiæ bonum divina adsistentia suppleret. Quod contra Serryum sit dictum, qui ad horum decretorum inerrantiam ut necessariam conditionem requirit aut Cardinalium aut Ecclesiæ consultationem intra Urbis ambitum constitutæ. 5. Denique prænotandum, hic non inquiri, utrum Summus Pontifex inerrantia potiatur una cum Episcopis, nempe cum Ecclesia vel per orbem diffusa, vel in Conciliis collecta; tunc enim non haberetur definitio solius Pontificis ex Cathedra loquentis, sed esset definitio Ec-

clesiæ, quam infallibilem esse, dogma fidei habetur.

III. Hunc itaque modum solemnem a privato distinctum, quo Ro. Pontifex ut supremus Judex Ecclesiam docet, innuisse videtur Christus cum Matth. 23. dixit: *Super Cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei: omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate et facite*. Quare Christus ipse Caiphæ respondit, cum pro tribunali ipsum interrogavit. Atque hanc distinctionem agnoverunt Patres et Concilia cum dogmaticas Epistolas Leonis et Agathonis veluti a S. Petro dictatas suscepere et venerati sunt. Augustinus quoque Ep. 165. cont. Donatistas Cathedralem errorem negat in Petri successores cadere, licet alterum cadere posse concedat. Duo quippe in quolibet judice distinguenda sunt; id nempe quod est physicum et ei competit ratione naturæ; et quod est morale, eique ratione officii et potestatis conceditur, qua judex rationem habet ad Deum supremum Judicem, et ad Jus quod solemnes quasdam statuit conditiones ad judicia ferenda. Ut ergo in civilibus, quidquid Judices domi et in privatis colloquiis habent regulam non constituit, sed quod pronunciant dumtaxat in throno justitiæ sedentes; ita de persona Summi Pontificis dicendum, cui si deesset judicii solemnitas, ejus decreta vacua haberentur. Quibus claritatis gratia statutis, nondum de jure attingemus disputationem, an nempe Ro. Pontifex ex Cathedra definiens sit infallibilis; at modo quæstionem tantum facti agitabimus, num scilicet eorum aliquis unquam ita loquens aberraverit. Non ergo an fuerint a peccato immunes disputamus, sed de illorum constantia in rebus fidei divinæ et morum tradendis, ut errorem solemniter nunquam ab ævo Petri ad nos usque docuisse palam fiat.

IV. Et quidem, cum de facto aliquo agitur, testes sunt audiendi graves, fideque digni: at ex his liquet, nullum Summorum Pontificum ex Cathedra fideles docentem errasse: Nam 1. Irenæus de hac Romana Ecclesia L. III. C. III. inquit: *In quo semper conservata est, quae est ab Apostolis traditio*. 2. Celebris Theodoretus Cyri Episc. initio sæc. V. Epist. CVI. ad Renatum Presbyterum Ro. ita loquitur: *Habet SS. illa Sedes Ecclesiarum quae in toto sunt orbe principatum multis nominibus; atque hoc ante omnia, quod ab haeretica labe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed Apostolicam gratiam integram servavit*. Hæc postrema verba ab iis attente consideranda sunt, qui inter Ecclesiam, Sedem, et Præsidentem distinguere volunt. 3. Ruffinus in *Exp. Symb.* ait: *In Ecclesia Urbis Romanae neque haeresis ulla sumpsit exordium, et mos ibi servatur antiquus*. 4. Justinianus Imp. in Constit. ad Epiphanium Patriarcham (Cod. L. VII.) præclare Romanam Sedem extollit, quod, quotiescumque in Oriente hæreses exortæ sunt, fuerint judicio Sanctæ Sedis compressæ. 5. Insigne est S. Agathonis Papæ testimonium, qui cum Romano Concilio CXXV. Episcoporum in Epistola ad Impp. Constantinum, Heraclium, et Tiberium scripta, atque a Synodo VI. Generali concorditer recepta ex tribus capitibus hujus Ecclesiæ infallibilitatem ostendit; ex Scripturis nempe, ex Traditione, et ex eo quod nullus prædecessorum a Fide aberraverit: inter quæ hæc leguntur: *Apostolica Petri Ecclesia nunquam a via Veritatis in qualibet erroris parte deflexa est . . . Haec est verae fidei regula quam et in prosperis et in adversis viva-*

citer tenuit . . . nec haereticis novitatibus unquam depravata succubuit, quia dictum est Petro: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Hic Dominus Fidem Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meae exiguitatis praedecessores confidenter fecisse, semper cunctis est agnitum. Quæ cum an. 680. prolata sint, post quorundam Pontificum tempora, qui in suspicionem erroris adducuntur, jam constat, ab omni labe eos fuisse immunes. 6. Idipsum affirmabat an. 866. Nicolaus I. *Ad Consulta Bulgarorum* inquiens, *Romanae Ecclesiae Fidem sine labe semper fuisse*. 7. Hoc ipsum confirmabat an. 869. Hadrianus II. renovans Fidei Formulam ab Hormisda editam, et ab VIII. Synodo receptam: quod Rhatramnus etiam vir celebris eodem Sæc. IX. asserit adversus Photium scribens. 8. Paschalis II. in Lateranensi Conc. an. 1116. asseveravit, Ro. Ecclesiam nunquam alicujus hæreseos macula fuisse inquinatam, quin potius hæreses cunctas ibi protritas fuisse juxta pollicitationem a Salvatore factam, quod Petri Fides nunquam defectura sit.

V. Sed ne plura congeramus, id sæpe confessa est Gallicana Ecclesia, præcipue in Conventu habito an. 1626. cum solemni instructione hæc singulis Episcopis mandantur: *Ut omni obsequio prosequantur Sanctum Patrem Summum Pontificem, Caput Visibile universalis Ecclesiae, Vicarium Dei in terris, Episcopum Episcoporum et Patriarcharum, uno verbo Successorem S. Petri super quo J. C. suam fundavit Ecclesiam dans ei Claves Caeli cum infallibilitate Fidei, quae mirè visa est immutabilis perdurare in*

suis successoribus usque in praesens. Item LXXXV. Episcopi ad Innocentium X. scribebant, quod *Fidem Petri in Successoribus indeficientem* agnoscerent. Atque hæc quidem fuerat semper Gallicanæ Ecclesiæ sententia, donec an. 1682. nonnullis ab ea desciscere visum est; quod non utique veritatis, sed est humani et fallacis opinamenti argumentum.

VI. Nam factum hoc demonstratur tandem per singula sæcula discurrendo ex gestis Ro. Pontificum numero CCLVI. usque ad Leonem XII. Ecclesiam Catholicam modo feliciter regentem, qui cunctas hæreses vel sine Conciliis, vel in Conciliis condemnarunt usque ad postremam Constitutionem fel. m. Pii VII. an. 1821. die XIII. Septemb. adversus occultas societates latam. Qui præterea quotiescumque nævos aliquos in Conciliorum acta irrepsisse viderunt, ea rejiciendo vacua esse decrevere. At quoties Pontificum nonnulli erroris insimulati sunt, toties vel a calumniis se purgarunt, vel ab aliis Deo providente purgati sunt; ut Symmachus Papa in Concilio Romano, et Leo III. coram Carolo Magno feliciter præstitere. S. autem Augustinus *L. de Unico Bapt.* contendit, S. Marcellini lapsum fuisse a Donatistis confictum. Omnes vero cordati Theologi Liberium ab Arianæ hæreseos labe fuisse immunem invictis argumentis demonstrarunt. Donus Papa demum, Theodorus, Joannes IV. S. Maximus Martyr luce meridiana clarius ostenderunt antiquitus, Honorium Monothelitis nullo modo adhæsisse. Nullus ergo Ro. Pontificum dum ex Cathedra saltem locuti sunt aberravit a Fide.

CAPUT XXVI.

DE COMMENTITIO LAPSU LIBERII PAPÆ DISSERITUR.

I. Postquam inter Gallos non pauci Decretis Romanorum Pontificum Jansenii et Quesnellii errores damnantibus non modo non acquiescere, sed et contra obsistere ausi sunt: et præsertim postquam informis ille Conventus Cleri Gallicani an. 1682. eam infaustam quatuor articulorum Declarationem Ro. Pontificibus derogantem adoptaverat, incredibile dictu est, quanto animorum æstu prærogativam in Fide tradenda non errandi eisdem eripere conati fuerint. At cum neque Scripturæ eis faverent, neque traditio, ad Ecclesiasticam historiam confugerunt, ac partium studio excæcati pluribus ex ea incertis, falsis, obscuris, aut supposititiis congestis, victoriam ante tempus cecinere, pluresque Ro. Pontifices in flagranti Fidei crimine deprehendisse conclamarunt. Imo eò impudentiæ devenere, ut hanc vocem in vulgus spargerent, et Auctor Defensionis Cleri Gallicani L. X. C. XXXIII. quasi ex tripode effutiret: *Demonstratum est aberrasse a Fide eos etiam Apostolico officio defungentes*. Castiganda est igitur hujus scriptoris audacia, et cum eo reliqua adversariorum turba, qui ambigua saltem aut valde implexa pro demonstratis obtrudunt.

II. Atque primo se nobis exhibet ab hæreseos crimine defendendus Liberius acriter insimulatus tum quod alicui Sirmiensi formulæ subscripserit, tum quod S. Athanasium damnaverit et his non con-

sentientes a sua communione semoverit. Quem licet eruditi viri etiam in hac hypothesi ab hæreseos suspicione purgaverint, tamen Jo. Opstraet in Locis Theol. jure aut injuria uti palam hæreticum damnat. Ut ergo adversarii validius revincantur, hoc factum Liberio impactum spurium omnino et commentitium propugnamus criticos insignes secuti, qui rem hanc clariori in lumine collocarunt (1). Cum iis ergo jure ac merito contendimus, Liberium Pontificem nulli Sirmiensi formulæ subscripsisse, nec ullo modo Athanasium damnasse, ut ejus lapsus sit omnino confictus et falsus habendus. Id enim ex coaevis historicis manifeste evincitur ex quorum sententia factum hoc est expendendum. Et 1. Ruffinus occurrit, qui L. I. Hist. Ecc. C. XVII. rem hanc sibi fuisse incompertam testatur: *Liberius*, inquit, *Urbis Romae Episcopus Constantio vivente regressus est: sed hoc utrum acquieverit voluntati suae ad subscribendum, an ad populi Romani gra-*

(1) Primus, qui calumniam hanc dissipare aggressus est, fuit Pet. Corgnius Canonicus Suession. in Dissert. cui tit. *Dissertation Critique et Historique sur le Pape Libere etc.* Parisiis excusa an. 1736. Eandem sententiam exinde propugnarunt Card. Ursius *Hist. Ecc* L. XIV. n. 72. Pet. Ballerinius *De Vi et Rat. Primatus* Cap. XV. Gio. Bat. Noghera *Riflessioni sulla Infall. del Papa.* C. XIV. Stiltingius et Sollerius apud Bollandistas ad diem 23. Sept. et alibi. Franc. Ant. Zacharias in Dissertatione *de Commentitio Liberii lapsu*, et in Append. ad Tom. II. Petavii *de Theol. Dogm.* Edit. Ven. 1767. Giosaf. Massari diss. *sopra il Conc. di Sirmio etc.* inter Dissertationes ad Hist. Eccl. pertinentes a Zacharia collectas T. XIII. Roma 1795. 8. Hier. Buzius in *Locis Theol.* ad Comped. P. Berti etc. Card. Hyac. Gerdil: *Esame dei motivi dell' Opposizione fatta dal Vesc. di Noli alla Bolla* Auctorem Fidei. Roma 1800. 8. Par. 1. pag. 117. Berti de Theol. Discip. T. I. p. 228. Venetæ Edit. qui de Felice II. Papa agit Lib. XXXVI. C. XIV.

tiam, e quo proficiscens fuerat exoratus, indulgens, pro certo compertum non habeo. 2. Accedit Sozomenus græcus auctor, qui Hist. Ecc. L. XIV. C. XV. affirmat, *Arianos rumorem sparsisse, Liberium quoque consubstantialis vocabulum condemnasse*. Qua cognita calumnia, addit, Liberium Formulam edidisse, *qua eos, qui Filium secundum substantiam per omnia Patri similem non esse assererent, alienos ab Ecclesia pronuntiabat*. Antea vero scribit, Constantium et Arianos dedisse operam, ut Liberius, Athanasius aliique suis formulis consentirent, nullibi vero affirmat consensisse. En igitur hujus calumniæ origo, quæ potuit non paucos decipere. Cætera quæ Sozomenus subjungit nullum causæ damnum afferunt, nec vera an falsa de ullo crimine Liberium accusant. 3. Adest præterea Sev. Sulpitius vir eruditus et Hieronymo suppar, qui in *Hist. Sacra* hæc de Liberio habet L. II. *Liberius quoque Urbis Romae et Hilarius Pictavorum Episcopus dantur exilio* ... *Sed Liberius paulo post Urbi redditur ob seditiones Romanas*. En reditus causa. 4. Venit quartus Socrates græcus historicus, qui L. II. C. XXXVII. scribit: *caeterum Liberius haud multo post ab exilio revocatus, Sedem suam recipit, cum populus Romanus seditione facta Felicem Ecclesia expulisset, et Imperator licet invitus assensum illis praebuisset*. At Socrates arianam historiam ex Ruffino, Athanasio aliisque monumentis collegisse affirmat, qui cum de Liberii casu nihil memoret, ut vanam vocem neglexisse demonstrat. 5. Mox progreditur Theodoretus Cyri Episc. qui sua in Historia L. II. C. XVII. Liberium magnis laudibus ante ac post reditum effert scribens: *Gloriosus igitur*

Veritatis athleta in Thraciam, ubi praeceptum fuerat, perrexit... Elapso autem biennio Constantius Romam profectus est ... Flexus itaque Imperator (Romanarum scilicet matronarum precibus) *egregium illum, omnique laude dignissimum ab exilio redire jussit. Ambos vero* (Liberium nempe et Felicem) *in commune Ecclesiam administrare permisit. Quod cum populus recusaret, omnes una voce clamarunt: Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus. Post has christianissimae plebis acclamationes pietate ac justitia plenas reversus est admirandus ille Liberius.* An admirandus dicendus esset, si fidem prodidisset, et Athanasium innocentem damnasset? 6. Accurrit Cassiodorus vir acerrimi ingenii et omnimoda eruditione ornatus, qui in Historia Tripartita L. V. C. XVIII cum Theodoreto planè consentit et Liberium appellat *Veritatis propugnatorem et Victorem Sanctissimum*.

III. Ex prolatis itaque testibus ita facile Liberii innocentia vindicatur. 1. Ruffino minime exploratum erat, eum subscripsisse. 2. Tradit Sozomenus calumniam hanc ab hæreticis fuisse Liberio impactam. 3. Sulpitius et Socrates Ruffino coævi, tum Theodoretus et Cassiodorus aperte testantur, ab exilio fuisse revocatum, non quod Constantio acquieverit, sed quia fuit enixe postulatus a populo et a Matronis Romanis. 4. Præterea Theodoretus et Cassiodorus Liberium ab exilio redeuntem ob suam in Fide propugnanda constantiam summopere commendant, virumque egregium et admirandum appellant. Hi ergo omnes calumniam contra sanctum Pontificem et contra rei veritatem ab hæreticis divulgatam floccifecerunt. Neque hi tantum,

sed et universus populus romanus eam calumniam contempsit, qui Arianorum artes noverat et eorum impudentiam Catholicos Episcopos criminum insimulandi quorum flectere constantiam non poterant. Hinc Liberio ab exilio revertenti populus *obviam cum gaudio exivit*, ut refert Marcellinus Comes in Chronico, et Liberius ipse, ut in Chron. habet Hieronymus, *quasi victor Romam intravit*. Populus ergo Arianis infensissimus, qu'que Athanasium vehementer diligebat, et qui Felicem loco Liberii in Romanam Sedem intrusum ob quandam cum Arianis conniventiam, ut ait Theodoretus, odio prosequebatur, optime sui Pontificis constantiam noverat; Nam ut scribit Sozomenus l. c. *Liberium utpote virum undequaque egregium, et qui pro Religione Imperatori fortiter restitisset, populus romanus impense diligebat*.

IV. Sed nec de Liberii hac defectione ullum authenticum monumentum superest, nec ullus est qui illud vidisse testetur, imo constat urbes plures et Episcopos Literas et Legationes Romam ad eundem misisse tanquam ad Nicænæ Fidei et Vocis ὁμοούσιον defensorem: inter quos S. Eusebius Vercellensis Episcopus, qui ob eandem causam fuerat in exilium pulsus, *Romam veniens Liberium Papam adiit, quem summo gaudio Liberius excipiens, collegam illius se fore gratulabatur, ostenditque ei B. Eusebius fidei decretum, quod ipse et Athanasius vir gloriosus Alexandriae peregerunt cum caeteris orientalibus Episcopis*: Ut constat ex vetustis monumentis Vercellensis Ecclesiæ apud Ughell. *Ital. Sac.* T. IV. Quæ certe contingere non potuissent nisi integra stetisset Liberii fides et sine labe pura. Nam Concilium Alexandri.

habitum fuit anno 362. annis quatuor nempe post confictum Liberii lapsum, in quo tamen circa Liberium nihil actum est, qui potius Martyr et innocens habebatur; ut testis est Athanasius ipse in sua Apologia secunda, quam scriptam fuisse circa an. 360. biennio saltem post Liberii reditum, ostendit Massarius in memorata Dissertatione, ubi quoque demonstrat Liberium Concilio Sirmiensi interesse minime potuisse, quia cum habitum est, Romam jam redierat. Athanasius itaque hæc habet de Liberii constantia et Fide, circa finem: *Hi enim*, (Liberius nempe et Hosius) *cum viderent ea, quae contra nos agerentur, omnia pati maluerunt, quam aut veritatem, aut causam nostram prodere*. Hinc Hosii casum et ipsum ab hæreticis confictum aperte evincit. Quin et alii Patres aut synchroni, aut qui paulo post secuti sunt, Liberium summopere commendarunt. Damasus qui eidem in Pontificatu successit Epist. ad Episcopos Illyrici ait de Liberio: *Neque enim praejudicium nasci potuit ex numero eorum qui apud Ariminum convenerunt* (an. 359.) *cum constet Romanum Episcopum cujus ante omnes fuit expectanda sententia . . . neque alios hujusmodi statutis consensum aliquem accomodasse*. S. Ambrosius de Virg. L. III. Liberium vocat *Beatae memoriae et virum sanctiorem*. Ambrosius autem anno undecimo post Liberii obitum Mediolani Episcopus factus est. Basilius Liberium appellat an. 377. *beatissimum Episcopum*; et Epiphanius eum vocat *Beatae memoriae Romanum Episcopum*: Siricius vero eundem dicit *venerandae memoriae praedecessorem suum*.

V. Dicet aliquis: Liberius ipse, Athanasius alibi,

Hilarius, Hieronymus, Philostorgius contraria loquuntur. Sed facile est has nebulas dissipare. Scripta enim a quibus ea contraria consarcinant adversarii sunt longè remota ab authenticitate qua guadent historiæ ex quibus Liberii innocentiam demonstravimus. Quis autem dixerit, scriptis apocryphis, supposititiis, ab hæreticis interpolatis, aut confictis famam esse inhonestandam tanti viri et de Catholica Ecclesia optime meriti, posthabitis tot genuinis monumentis quibus egregie Liberii gloriæ consulitur? At hujus generis sunt ea scripta quibus contra Liberium hostes abutuntur Pontificum Romanorum ut eruditi critici, quos recensuimus, luce clarius demonstrarunt. Nam Athanasii Epistola *ad solitarios* aut supposititia est, aut certe turpiter interpolata: falsa præterea complectitur, ac tanto Antistite prorsus indigna, atque alia ab eruditis observata, quæ manifestæ depravationis indicia sunt. Quæ vero Athanasius habet in Apologia contra Arianos scripta an. 349. ea a criticis omnibus aliena manu intrusa ostenduntur. Quod pertinet ad S. Hilarium, ea quæ de Liberio habet in libro contra Constantium N. XI. nullius criminis eum accusant, sed potius videntur ejus conditionem deplorare, quod Imperatoris jussu cogeretur una cum Felice Romanam Ecclesiam regere, *quod Ecclesiasticis legibus contrarium erat*, ut notant historici. De Fragmentis et anathematismis in Liberium Hilario tributis non est cur loquamur. Sunt enim omnium consensione ignoti auctoris et incertæ ætatis, et a nonnullis Hilario cuidam diacono Luciferianæ sectæ tribuuntur, ut critici omnes scripta illa spuria, vitiata ac S. Hilario indigna omnino demonstrent. Ejusdem furfuris sunt Epistolæ quæ Liberio ipsi adscribuntur, in

quibus plura manifeste falsa continentur, quæque ad epocham referri nequeunt, qua Liberii lapsus confingitur. Sed quid de Hieronymo dicendum, qui tum in Chronico, tum *De script. Eccl.* in Fortunatiano Liberium accusat? Reponimus, quod si ea ex illius calamo exciderunt, falso rumore ipsum fuisse deceptum dicendum sit, quemadmodum ex incerta vulgi fama falsa prorsus retulit de S. Cyrillo Hierosolymitano, de S. Jo. Chrysostomo, de magno Meletio Antiocheno, ac de Fortunatiano ipso, quem constat ex Baronio sanctissimum fuisse virum ac strenuum Fidei defensorem, ut falsum omnino sit, Liberium ad subscribendum impulisse. Quæ vero habet in Chronico ab aliena manu fuisse assuta ut alia plura, critici ostendunt, præsertim cum in antiquioribus codicibus desint, et in multis impressis. Philostorgii autem auctoritas est hac in re nihili habenda, fuit enim homo arianus et plurium mendaciorum impius artifex. Quæ tandem referuntur ex præfatione quadam Faustini et Marcellini ad Libellum Precum, ex Libro Pontificali Anastasio falsò adscripto, ex Martyrologio Adonis, ex Actis spuriis S. Eusebii presbyteri, hæc, et si quæ sunt alia similia inferioris ævi, ex apocryphis et commentitiis scriptis fuisse desumpta aperte revincuntur. Sed quid, inquiet aliquis, de Felice dicendum, qui in locum Liberii Romæ fuisse suffectum scribitur? Dicendum, plura suadere, Felicem de Liberii ipsius consensu in coadjutorem et Vicarium suum fuisse ordinatum, ut ipso absente Ecclesiam regeret, eique succederet in summum Pontificem si contingeret ut in exilio mortem obiret. At quæ allata sunt satis superque ostendunt, objectum

Liberii lapsum fabulosum prorsus esse habendum (1).

CAPUT XXVII.

HONORIUS ROMANUS PONTIFEX AB HÆRESEOS NOTA VINDICATUR.

I. Illud mirandum videri debet, quonam malo ingenio fieri possit, ut dum non raró ipsi hæretici Romanæ Ecclesiæ hostes infensissimi, ejus Pontifices privilegio inerrantiæ in Fide divino munere locupletatos agnoverint, non pauci inter Catholicos reperiantur, qui supremo huic Pastori ac Patri eam prærogativam Ecclesiæ utilissimam, ne dicamus necessariam, surripere moliantur. Et quidem Lutherus ipse initio sui schismatis ad Leonem X. scribere non dubitabat: *Pedibus me vestris subjicio paratus audire Jesum C. qui loqui-*

(1) Mirum hic occurrit, Opstraëtum nempe, qui catholicus videri vult, ausum fuisse, Liberium proditæ fidei accusare, quem ipsimet Lutherani Centuriatores Magdeburgenses absolvunt (Centuria IV. Cap. X.), quem licet invitum et ab hæresi alienum in Athanasium tantummodo subscripsisse ajunt. Hæc enim ibid. habent: *quamquam haec de subscriptione in Athanasium ad quam Liberius impulsus sit, non de consensu in dogmate cum arianis dici videntur... Lingua eum subscripsisse magis quam mente.. quod constantem certe in fidei Nicaenae professione mansisse indicat*. Sed neque Athanasium damnasse demonstrari unquam posset, ut vidimus. Hinc ipsemet Bossuetus in altera defensione Declar. Cleri Gall. impressa an. 1745. eam in Liberium accusationem ab opere expungere voluit, ut eam quæ nec sustineri nec ad rem suam facere postea cognoverat. Opstraetus tamen iniquo judicio S. Pontificem desertæ fidei reum damnare non veritus est. Quid non mortalia pectora cogit odium et partium spiritus!

tur in vobis. Et alibi (Op. T. I. pag. 101.): *Jesu Christo gratias ago, quod in terra hanc Romanam Ecclesiam conservet grandi miraculo unicam, et quae sola sufficit ad veram ostendendam fidem nostram, cum nullo unquam decreto a Fide nostra recesserit*. Contra hoc verum Lutheri assertum relatum etiam a Bossueto (*H. des Var.* L. I. n. 21.) quis non perhorrescat, cum audierit homines adesse catholicos manibus pedibusque pugnantes, ut Ro. Pontifices in proditæ fidei crimine deprehendant! Quod Auctor Defensionis Cleri Gallicani cum id potissimum sibi demonstrasse blandiatur de Honorio I. nostrum est, calumniam adeo acerbam ab hoc Pontifice propulsare, unaque improvidi hujus Auctoris achilleum argumentum conterere penitusque diluere; idque præcipue quod eo exemplo novatores abutantur, tum ut contendant Pontifices R. in fide errare posse, tum ut velint Concilium esse supra Pontificem, nec non ut sibi suadeant, Ecclesiam in factis dogmaticis errori esse posse obnoxiam.

II. Quæ tria ut evellantur est 1. inquirendum, utrum Honorii responsiones pro dogmaticis definitionibus sint habendæ. Sed licet res definitionem postulasse videretur, minime tamen Honorium eam edidisse luculenter patet. 1. Enim declarat ipse in Epistola quæ profertur ad Sergium scripta, non sibi videri hanc definiendam esse quæstionem: *Non nos oportet*, inquit, *unam vel duas operationes definientes praedicare*. Et in priori Epist. dixerat: *ad nos ista pertinere non debent*. Imo adeo remotus est ab hac definienda controversia, ut dicat, non satis adhuc ex Scripturis ac Traditione sibi definitam videri: *Ne quis*,

ait, *vel duas energias vel unam audeat praedicare, quas neque Evangelicae, vel Apostolicae literae, neque Synodalis examinatio super his habita visae sunt terminasse*. Quæ cum ita sint, quisnam contendat, controversiam hanc Honorium invitum ac renuentem definivisse? Idque potissimum, quod ambæ quæ circumferuntur Epistolæ iis sint characteribus destitutæ, qui ad publicam definitionem requirebantur. Non enim ad universum Christianum orbem directæ sunt, neque ad Generale Concilium: non doctrinam præseferunt definitam ad quam admittendam fideles pœnis canonicis coerceantur; at sunt hortatoriæ epistolæ ad duos vel tres privatim directæ, quibus suadetur magis Ecclesiæ paci et concordiæ expedire ut ab his quæstionibus agitandis supersedeant veterem servantes loquendi morem, quam ut turbas moveant, quæ necessariæ non videbantur, quoties confiteremur, *Dominum J. C. Deum verissimum in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus*. Atque ita privatas fuisse Honorii Epistolas, quæque etiam nonnisi post annos plures ab ejus obitu in lucem venere; non verò fuisse definitiones fidei ex Cathedra emissas gravissimi Theologi et Ecclesia generatim semper et communiter existimarunt.

III. Inquirendum est 2. loco, utrum in his Epistolis Honorius Docrinam exponendo in hæresim monothelitarum inciderit. Sed in ea solvenda quæstione ipsi nobis antecedunt Galliarum Theologi, inter quos Honoratus Tournely (Tr. de Eccl. q. 3. art. 4.) testatur, *quod Theologi fere omnes Honorium ab errore vindicant*. Id quippe senserunt cruditissimi Viri Nat. Alexander Diss. II. in Sæc. VII. Steph. Baluzius in Vita

Pet. de Marca, quem idem sensisse affirmat: item Garnerius Diss. in Lib. Diurnum, Du-Hamel, Witassius, l'Herminier, Serry, et alii plures. Quin et ipso Honorii ævo eum ab omni errore immunem tutati sunt Jo. IV. qui post brevem Severini Pontificatum Honorio successit, in Apologia ad Constantinum Heraclii filium: S. Maximus Martyr in Dial. cum Pyrrho et in Ep. ad Marinum, et Joan. Symponus Honorii amanuensis, ut si nihil superesset aliud, his contenti esse deberemus. At supersunt ipsius Honorii Epistolæ, quæ licet ex infideli fortasse græca versione in latinum translatæ eum ab omni errore liberant. Nam volebant monothelitæ Theodorus, Cyrus, Sergius et Pyrrhus ita in Christo unam esse personam, ut unica tantum divina operatio in eo agnosci deberet, ac proinde unica voluntas eaque divina; quia, ajebant, licet Verbum integram humanam naturam assumpserit, hæc tamen ita Verbo Divino subjecta erat, ut illius operatio esset penitus extincta, mereque passivè se haberet. Sergius vero, ut Honorio errorem suum tegeret, callidè quæstionem exposuerat, quo ab eo assensum carperet de silentio imponendo super una aut gemina voluntate prædicanda. Cum itaque Honorius post annos XV. ab obitu accusaretur a Pyrrho, quod unam tantum voluntatem in Christo esse docuerit, calumniam hanc ita diluebat Joannes IV. in laudata Apologia: *Sergius... Patriarcha . . . Honorio significavit, quod quidam in Redemptore nostro duas contrarias docerent voluntates. Quo ... comperto, rescripsit ei, quia Redemptor noster sicut esset Deus perfectus, ita esset et homo perfectus ... et idcirco ... unam voluntatem humanitatis suae Dominus N. J. C. habere digna-*

tus est, non duas contrarias, ut nunc nos habere dignoscimur, qui de peccato sumus Adae geniti. Duas ergo humanas et adversas voluntates naturalem unam, metaphoricam alteram sive concupiscentiam, negaverat Honorius, ut negandum erat, in Christo; non verò impugnabat geminam voluntatem, divinam scilicet et humanam (1). Idipsum testabatur S. Maximus. Et quidem Honorii Epistolæ adeo claræ sunt, ut Jo. Garnerius assereret, paucos esse eosque suspectæ fidei, vel certè minoris auctoritatis, qui Honorium monothelismi damnare gestiunt. Quin ipsemet Auctor Defensionis Cleri Gallicani L. VII. C. XXII. fateri cogitur, *Honorii verba maximè orthodoxa videri*, licet vehementer in Honorio damnando sit implicatus.

IV. Cur ergo, inquiunt, Honorius uti hæreticus a VI. Synodo Generali et a Leone II. damnatus est? Reponimus, eos qui Honorium vindicare aggressi sunt, ut hunc nodum solverent duas iniisse vias: Alii veram dantes illius damnationem in Sexta Synodo factam, ajunt, non ut hæreticum formalem fuisse damnatum, sed tantum lato sensu, quod nempe silentium super quæstione jubendo imprudenter hæresi fomen-

(1) Constat ex dictis, Honorium initio subdolam Sergii mentem non fuisse assecutum, atque in sua responsione ad aliud prorsus quam ad obscuram Sergii quæstionem animum intendisse. At qui ita respondet, quomodo posset de eadem sententia nisi animo iniquo insimulari? Id est quod contigit Honorio, ut inde nihil adversarii conficere possint. Imo jamdiu hoc dubium dispulsum fuisset, nisi obstaret malus animus Rom. Pontifices per fas aut nefas in proditæ fidei crimine deprehendendi; præsertim cum absoluto Honorio nullum exemplum aliud eis supersit, in quo vim aliquam queant adversarii facere.

tum dederit, ut negligentiæ potius quam erroris fuerit redarguendus. Alii gravibus argumentis ostendunt, Honorium in VI. Synodo minime damnatum fuisse, at vero illius nomen ab hæreticis in Acta Synodalia fuisse intrusum et suffectum loco nominis Theodori Cpolitani Patriarchæ; ipsamque Leonis II. Epistolam ad Episcopos Hispaniæ ob falsa quædam et alia quæ non cohærent, supposititiam esse contendunt. Revera constat ex Cedreno, Theophane, et Zonara, Sophronium Patriarcham Hierosolymorum Synodum contra Monothelitas celebrasse an. 633. cujus Acta per Stephanum Dorensem statim Romam misit ad Summum Pontificem, a quo fuerunt confirmata, qui alius esse non potuit præter Honorium, qui Ecclesiam rexit ab an. 625. ad 638. licet quidam ex laudatis historicis scribant, ea acta confirmasse Joannem Papam: quod tamen esse non potuit, cum Sophronius obierit an. 636. Joannes vero IV. Pontificatum iniverit anno tantum 639. Et quidem S. Maximus M. Epist. ad Pet. Illustrem testatur, Honorium operam dedisse ut Monothelitæ (prædicatores nempe *unius voluntatis*) ab incœpto desisterent: *Quis pius*, inquit, *non supplicavit*, *cessare illos a propria haeresi? Quid autem et divinus Honorius? etc.* Quin et S. Martinus I. Epist. ad Amandum insinuare videtur, ipsum Sergium ab Honorio fuisse objurgatum ut ab ejusmodi errore recederet. Hinc Sergius nonnisi audita Honorii morte ab Heraclio suam Ecthesin promulgare fecit, statimque obiit, ut a solo Honorio reprehendi potuerit; ut propterea non damnandus sed laudandus esset Honorius. Quare et eum impense laudarunt S. Isidorus Hispal., Ven. Beda, S. Joannes Damascenus, ut apertum sit, nihil eos de

hac damnatione audivisse. Quid? quod Theodorus e Cpolitana Sede ob monothelismum dejectus apud Imp. Constantinum Pogonatum conqueritur, quod in Actis VI. Synodi tot Patriarchis damnatis, *Honorius Romanus Pontifex praetermissus esset ejusdem erroris assertor?* (Ita apud Baronium ad an. 683.). Et quidem Theodorus hic fuerat nominatim damnandus, qui ob hanc hæresim e sede Cpolitana dejectus erat, non autem Honorius qui a quadraginta et amplius annis obierat, et cujus genuinæ epistolæ prolatæ non fuerant, sed tantum in græcis vitiatis versionibus, cujusque memoria satis superque a successoribus et ab aliis fuerat vindicata. Theodorus itaque non Honorius damnatus erat in actis de quo vere dici poterat, quod *in omnibus esset Sergii mentem secutus*: Hinc est quod in aliquibus hujus VI. Synodi editionibus Honorii nomen minime occurrat.

V. Adest præterea Anastasius Bibliothecarius, qui florebat annis post VI. Synodum 180. Hic in Præf. ad sua Collectanea, eos qui Honorium damnabant, *Calumniatores* vocat, atque affirmat, Sextam Synodum in iis tantum quæ ad fidem pertinent fuisse a Ro. Pontificibus confirmatam. Revera Honorii memoria Romæ semper in honore habita est, et ejus nomen in Diptycis perseveravit, atque illius imago et Corpus in Vaticano retenta sunt, ut de vera ejus damnatione minime constet. Nam quod profertur ex Epist. Leonis II. ad Constantinum « *Nec non et Honorium damnamus etc.* assutum fuisse a Græcis, ut et in aliis hanc Epistolam fuisse corruptam pluribus eruditi ostendunt. Non enim hujus Epistolæ latinum exemplar superest, sed quod habemus ex græca versione expressum est,

sicut ex græco habentur binæ Honorii Epistolæ, quarum secundam non modo interpolatam, sed plane confictam volunt eruditi non pauci: priorem verò fuisse e græcis corruptam testis est S. Maximus Epist. ad Marinum scribens: *Eum qui hanc Epistolam per jussionem Honorii latinis dictaverat dictionibus, videlicet Ab. Joannem sanctissimum Symponum affirmasse, quod nullo modo in ea mentionem fecerit per numerum unius omnimodae voluntatis, licet nunc hoc sit factum ab iis, qui hanc in graecam vocem interpretati sunt.* Quomodo ergo Honorius modo aliquo monothelitis favere potuit, si nec *unam voluntatem* unquam dixit, et si hæc vox in græca tantum versione a Sergio facta ex virorum sanctorum et coævorum testimonio substituta est?

V. Vel ergo Honorius a VI. Synodo ut hæreticus damnatus est lato sensu et improprio, quasi hæreticis imprudenter favorem præbuerit silentium utrique parti jubendo, ut plerique viri docti sentiunt (1); atque eo in casu cum Honorii culpa non fuerit dogmaticæ definitionis, sed omissionis tantum subreptionis et improvidæ credulitatis aut œconomiæ inconsultæ; nullum affert damnum Pontificiæ inerrantiæ aut Christi promissioni: *Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua;* cum hæc sit a præcepto distinguenda Petri suc-

(1) Id præ cæteris ex recentioribus ostendunt Pet. Ballerinius *de Infall. R. P. seu. de Vi et Rat. Prim.* C. XV. §. IX. Jo. Laur. Berti *De Theol. Disc.* T. II. C. XI. Gazzaniga T. V. C. VII. Jo. Bapt. Noghera *Rifless. sull' infall.* Rifless. XV. et alii passim, inter quos legenda dissertatio Sanctis Violæ de Honorio, *Raccolta di Dissert. di Stor. Eccl.* di Fran. Ant. Zaccaria To. XIX. Dissert. III.

cessoribus imposito: *confirma fratres tuos*. Promissio enim deficere non potest: at præceptum violari poterat, cum ejus semper adimplendi nulla a Christo promissio facta sit. Vel nullo modo Honorius damnatus est, ut plures alii senserunt viri eruditi (1); ut saltem valde ambiguum sit an ulli damnationi fuerit subjectus; ac tunc quidnam ex facto incerto, dubio, et in gravi controversia posito adversarii inferre velint non videmus. Nam 1. dato etiam et non concesso quod Concilium in Honorium anathema pronuntiaverit, non inde inferri posset, quod supra Summum Pontificem se judicaverit; cum non in Pontificem viventem sententiam dixerit, sed in eum qui ab annis 40. jam obierat. Præterea hæc sententia si lata est, a Romano Pontifice fuerat confirmanda aut rejicienda. 2. Nec dicendum esset, errasse Concilium in facto dogmatico definiendo, quasi Honorii Epistolas damnaverit, quæ a doctrina Catholica non aberrabant: non enim ad Honorii mentem et intentionem respexit, nec examen de genuinis Honorii Epistolis institutum est quæ non amplius extabant: at vero judicium institutum est de Epistolis in græcum versis, quæ sub ejus nomine ferebantur, et in quibus non pauca vitio et malitia translatoris legebantur æquivoca, flexiloqua, dubia, quibus hæretici abutebantur in pravum sensum illas in-

(1) Hujus sententiæ plures habemus, ut sunt Jo. B. Bartoli Episc. Feltr. in *Apologia pro Honorio*. Ab. Can. La Corgne in Dissert. Parisiis edita an. 1741. Sav. Demarco Dissert. in *Difesa di Onorio*, presso Zaccaria Raccolta etc. T. XIX. p. 159. Sardagna Theol. Dog. Pol. T. I. Controv. X. in Append. Phil. Anfossi: *Motivi ec.* T. II. L. VII. §. XIX. pag. 245. etc. Binius et Mansi adnot. ad Acta VI. Syn. T. X. p. 578. et XI. p. 1050. edit. Mansi. Comes Le Maistre « *Du Pape* Lib. I. C. XV.

terpretando, et quæ præterea silentium utrique parti indicebant; ut ad ea vitanda incommoda eas damnare expediret, ut damnata fuit *Ecthesis* Heraclii, ac *Typus* Constantis idem silentium jubentes. Rectum fuisset ergo Concilii judicium, quod non circa Honorii mentem versari poterat, sed tantum circa Scripta sub ejus nomine divulgata, sive spuria essent, supposititia, aut interpolata, de quo Concilium non inquisivit; quod tamen inquirendum fuerat diligenter, quoties Honorii memoriam damnare intendisset. Hinc præter ea quæ dicta sunt, gravis suspicio oritur, Concilium non modo Honorii personam non damnasse, sed neque de his epistolis uti apocryphis et prorsus adulterinis ullam rationem habuisse. Quod validis argumentis ostendunt eruditi quos supra laudavimus.

CAPUT XXVIII.

DE INFALLIBILITATE SUMMI PONTIFICIS QUID A VIRO CATHOLICO SENTIENDUM SIT INQUIRITUR.

I. Pro inerrantia R. Pontificum in Decretis Fidei edendis constabilienda validissimum argumentum illud semper ab omnibus habitum est, quod in tanta rerum vicissitudine, in tanto Judiciorum numero, atque inter tot Pontifices ingenio, indole ac studiis diversos nunquam et nullibi erratum fuisse constet. Hoc enim sine peculiari Dei numine et auxilio nullo modo humanitus contingere potuisse, prudentissimis omnibus compertum est, atque hanc in Fide profitenda ac edocenda hujus S. Sedis constantiam opus et effectum esse pol-

licitationis a Christo Domino in Ecclesiæ bonum Petro ejusque successoribus enuntiatæ (Lucæ XXII. 32.), *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: non modo his nostris temporibus universim agnovit Ecclesia, sed et antiquitus agnovisse jam non semel consideravimus. Cum tamen in eam arcem *asphaliae* Pontificiæ hostes confugiant, ut dicant, eam sententiam inter dogmata Catholicæ Ecclesiæ non recenseri; hinc primo videndum quid de ea re Catholica fides doceat: dein quonam loco sententia stet de Summi Pontificis inerrantia erit definiendum.

II. Catholicæ itaque Ecclesiæ dogma est, Summum Pontificem cum Generali Concilio in condendis fidei et morum decretis errare omnino non posse; sicut nec errasse unquam Generale Concilium confirmatum a Pontifice Supremo totius Ecclesiæ Pastore. 2. Catholici consentiunt omnes, R. Pontificem sive solum sive cum suo particulari Concilio aliquid circa controversiam quamlibet statuentem, sive errare possit sive non, a fidelibus omnibus obedienter esse audiendum. 3. Longe verius est, infallibilitatem Pontificiæ definitionis aut propositionis non pendere a generali Concilio; adeoque Pontificem etiam extra Concilium generale circa dubiam aliquam fidei quæstionem infallibiliter definire. Hæc enim est longe communior et verior Theologorum sententia cujus demonstrationem videre licet apud Melch. Canum Lib. VI. apud Tannerum, Bellarminum, Walenburchios, aliosque. 4. Concilia particularia a Sum. Pontifice confirmata in Fide et moribus errare non possunt. Hæc prop. licet maxima gaudeat auctoritate, nondum tamen definita est de Fide credenda; in praxi tamen uti definitam eam sequitur universa

Ecclesia: hinc a nonnullis præsertim Gallis in controversiam speculative tantum adducitur. 5. Nullus articulus est Fide Catholica credendus nisi proponatur universæ Ecclesiæ. Ratio est, quia illud solum est verè catholicum, quod est ab omnibus credendum. Hæc autem propositio ponitur, ut facile dignosci queat, quænam sit catholica doctrina, quæ a Pontifice de Fide divina credenda proponitur. Sed et hinc elucet, eos catholicos, qui tertiæ et quartæ propositioni adversantur, non solum minus probabilem, sed et improbabilem tenere opinionem, cum et validissimis argumentis sese opponant, et a sententia ab omnibus fermè Catholicis modo tradita, ne quidem Gallis plurimis prudentioribus exceptis, nec non ab antiqua Ecclesia per quindecim sæcula nemine discrepante ad nos transmissa, recedant. At cum catholici nonnulli ab hac antiqua et communi sententia dissideant ex Gallia præsertim, qui veterem suam doctrinam ducibus Jo. Gersonio et Jo. Launojo in novissimam hanc opinionem commutarunt, hinc sequentibus propositionibus controversiam hanc esse absolvendam ducimus.

III. Itaque I. *est Catholica Fide tenendum, diploma dogmaticum Summi Pontificis cui accedit Ecclesiae per orbem diffusae consensus, infallibilem fidei regulam esse*. Hæc enim propositio iis omnibus momentis roboratur, quibus adversus heterodoxos ostenditur infallibilitas Catholicæ Ecclesiæ cui præsentiam suam et protectionem Christus pollicitus est, cujus promissa non fallunt. Sed et hæc fuit perpetua Ecclesiæ doctrina, ut hæreticos omni tempore habuerit qui obstiterunt Ro. Pontificis definitionibus, quibus Ecclesia non modo in Conciliis, sed et divisim ac tacita etiam adhæsione consensit. Supra Cap. IX.

IV Altera prop. est, quod *major Pastorum pars cum Summo Pontifice definitionem fidei emittunt*. Hæc sententia certa inter catholicos habetur; nec eidem quisquam hucusque refragari ausus est præter Quesnellum in Lib. *de Disciplina Ecclesiae*, ubi contendit, majorem Præsulum copiam tametsi Capiti adunatorum non semper prævalere; quod erroneum est. Nam nisi major pars cum Sum. Pontifice fidei non emitteret definitionem id esset, quia Ecclesiam non repræsentaret. At nisi eam exhiberet, jam Christi Ecclesia non amplius esset in terris visibilis et omnibus conspicua, quod esse absurdum contra hæreticos supra demonstravimus. Ubi enim tunc nota esset? An in debiliori parte a Capite sejuncta? Sed hæc inferior pars nec unitatem nec societatem constitueret, sed mera esset turba capite destituta. *Da unum*, ajebat August. *et populus est*: *tolle unum*, *et turba est*: *quid enim est turba*, *nisi multitudo turbata?* (Serm. XV. de Verb. D.): Major ergo Pastorum pars cum R. Pontifice Ecclesiam repræsentaret, atque idcirco de rebus dogmaticis judicando veram fidei definitionem ederet. Quo in casu cum opponunt adversarii, Ecclesiam quidem errare non posse, sed neque fideles posse cogere ad assentiendum illi definitioni; certe tunc ab ipsomet Christo damnantur dum apud Matth. XVII. habet: *Si Ecclesiam non audierit*, *sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Et revera nonne Christus infallibilitatem spopondit Ecclesiæ supra Petrum ædificatæ ejusdemque successores, adversus quam portæ inferi nunquam forent prævaliluræ? Non ne ajebat Hieronymus: *Ecclesiae Salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet?* Quid quærimus amplius? Profecto ei parti semper

adhærendum est, quæ Capiti est unita, cum Ecclesia juxta Cyprianum sit, *Plebs Sacerdoti adunata et Pastori suo grex adhaerens;* atque ita sit oportet, alioquin allatum sequeretur absurdum quod Ecclesia nullo modo amplius dignosci posset: Hinc Ephesini Patres Actione V. ajebant: « Perabsurdum est ducentorum et decem SS. Episcoporum Synodo quibus et universa Occidentalium SS. Episcoporum multitudo et per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, triginta tantum numero se opponere ». Quare Ecclesia semper consuevit (non enim contigit unquam, ut major Episcoporum numerus errorem amplexus sit) in minorem numerum dissidentium anathema inferre.

V. Quid Quesnellus ad hæc? Ait nempe cum suis gregalibus 1. haberi Exodi 23. *Non sequeris turbam*. 2. Cyprianum et Firmilianum cum suis Conciliis rebaptizantibus favisse, solum vero Stephanum restitisse et prævaluisse; unde inquiebat Augustinus « In quæstione obscura veritatem ab uno dumtaxat vel paucis teneri et cognosci posse » 3. Athanasium judicium multitudinis rejicere ubi ait: Ista semper vincit veritas quantumvis apud paucos inveniatur « 4. Melch. Canum Lib. V. docere » Res Religionis non numero sed pondere auctoritatis judicandas esse « Hæc tamen præter quam quod abs re prorsus proferuntur, contradictoria iis sunt quæ Novatores isti alibi sæpe declamant. Hi quippe a Pontificiis diplomatibus perpetuò ad Concilium generale, et ad chimæricam non raro unanimitatem appellant: modo vero cum major eis numerus opponitur, se ad minorem convertunt; ut nempe confirment quod dictum fuit: *mentita est iniquitas sibi*. Sed hujus inconstantiæ vera causa est, ut per fas aut

nefas Ecclesiæ judicium declinent, suoque ingenio indulgeant. Ut ergo directè responsum demus, id unum allata momenta conficiunt, aut multitudinis exemplum in male agendo sectandum non esse, aut in auctoritate non ignarum populum esse audiendum, sed electum Episcoporum numerum ad quos solos spectat veram doctrinam tradere. Ita Exodi locus pravos et impios respicit a quibus imitandis sive in dictis sive in factis deterret: *Ne sequaris turbam ad faciendum malum*, subjungit. Ad 2. Merito animadvertit Augustinus, Stephanum R. Pontificem prævaluisse rebaptizantibus, et ei potius quam Conciliorum multitudini adhærendum fuisse; nam veritas ex parte R. Pontificis stare debet, ut Ecclesiæ infallibilitas salva consistat. Et quidem ea pars quæ a Capite dissidet, vera Ecclesia nec esse nec haberi potest. *Neque enim aliunde*, ut ipse Cyprianus præclare habet ad Cornelium R. Pont. scribens, *haereses obortae sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos et ad tempus Judex Vice Christi cogitatur*. Quod vero 3. loco ex S. Athanasio affertur minime ad rem nostram facit, loquitur enim S. Antistes de pravorum multitudine quæ sectanda non est: *Quis*, inquit, *sana mente praeditus non malit in paucorum esse numero per angustam portam ad salutem ingredientium, quam multorum per latam ad interitum ruentium?* » Verum quid hæc ad potiorem numerum Episcoporum cum R. Pontifice de rebus fidei decernentium, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei? Plane desipiunt Jansenistæ, qui ut suam parvam synagogam sustentent, his frigidis adminiculis

abutuntur. Ejus roboris est quod 4. l. ex Cano adducebant, qui id unum intendit, fidei doctrinas non juxta humanas conjecturas esse dirimendas, at vero ad normam divinæ Revelationis in Sacris Literis et Apostolicis Traditionibus fundatam.

V. Sed ajunt: ab infallibili fidei Regula non dari appellationem; quæ tamen non raro data est a Pontificio decreto majori etiam Pastorum numero stipato; ut contigit in appellationibus Donatistarum a sententia S. Melchiadis, Jansenistarum a Constitutione *Unigenitus* a Clem. XI. lata, etc. Sed hac in re animadvertere fastidiosi hostes debuerant, factas quidem fuisse aliquando hujusmodi appellationes, at vero schisma redolentes, injustas, vimque nullam habentes, quæ minime impediunt, imo nec suspendunt legis effectum, ut S. Bern. ait L. III. *De Consid.* C. I. Et quidem appellationes ab hujusmodi decretis sunt in antiquo jure inauditæ; ut propterea doceat De Marca L. III. *De Concordia*, Donatistarum appellationem fuisse vacuam, nec appellationis nomine celebrari. Quod si ea judicia nonnumquam in Conciliis confirmata sunt, non id factum est, quod antea pleno robore non fruerentur; at id fieri consuevit ad hæreticorum pervicaciam validius conterendam. Nam si dogmaticum diploma cui Ecclesiæ consensus accessit reformationi foret subjectum, nullius ponderis esset, atque tunc inferorum portæ adversus Ecclesiam prævaluissent; quod est impium asserere. Sed et circa hunc Episcoporum consensum, non requiritur jam ut sit expressus, cum perinde sit sive expressus habeatur, sive tacitus ac interpretativus; nam Ecclesia nunquam in errore quiescere posset ne quidem per unum tantum diem, cui Christus

suam præsentiam pollicitus est *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*. An ne Christus qui est ipsa veritas vel uno tantum die cum errore societatem inire posset? Ubi ergo publica Pontificis Constitutio ad notitiam pervenit, qui non contradicunt proculdubio consentire præsumuntur. Hoc modo hæresis Pelagiana proscripta extitit ubique terrarum; eademque plane ratione confixa habetur hæresis Quesnellianorum non obstante scandalosa et injusta nonnullorum Episcoporum appellatione; atque ita, sicut Pelagianorum, causa quoque Jansenistarum finita est.

CAPUT XXIX.

DE INERRANTIA SUMMI PONTIFICIS LATIUS DISPUTATUR.

I. Etiamsi in Ecclesia Catholica peculiari Dei dono atque auxilio semper contigerit, ut maximus Pastorum numerus cum Romano Pontifice in tradenda revelata doctrina convenerit, ac Deo protegente credamus jugiter consensurum; cum tamen spoponderit quidem Christus, nunquam errorem fore Petri Cathedram superaturum, seque cum sua Ecclesia huic centro unitatis adhærente perpetuò futurum; at ignoremus, an permissurus sit, ut aliquando major etiam Episcoporum pars a minori Pontifici Romano conjuncta discedat; hinc viro catholico non tuta, sed admodum periculosa habenda est opinio illa, non solum quæ moralem Pastorum unanimitatem ad fidei definitionem emittendam requirit, ut cum Jansenistis contendit Auctor *Theol. Lugdun.* T. I. de Locis Diss. IV. Art. V. ve-

foret (sup. ex C. XXIV). Sed has dotes omnes, prærogativas et munia in Petri successoribus Ecclesia semper agnovit ob recensita verba a Christo prolata, ob quæ Primatum de jure divino super Ecclesiam universam in Petri successoribus jugiter confessa est. Illa igitur Christi promissio Petrum ejusdemque successores potissimum respiciebat; quod et Patres perpetuo testati sunt.

III. Quanquam vero Patrum auctoritate rem hanc supra confirmaverimus, opportunum videtur, ut ad hunc quoque articulum roborandum nonnullas eorundem docrinas percenseamus. Et 1. Irenæus Sæculo II. Lugdunensis Episcopus ad hanc Romanam Sedem, ajebat, ut vidimus, L. III. C. III. *necesse esse omnem Ecclesiam convenire, hoc est eos qui sunt undique fideles*. At Irenæi tempore nulla Generalia Concilia unquam fuerant celebrata, quæ Primatum hunc, et hanc conveniendi cum Romana Sede necessitatem sancire potuerint. Undenam ergo ea conveniendi necessitas, nisi ex divina oriatur institutione? Ob eam igitur conveniendi necessitatem sive plures fuerint sive pauciores Episcopi qui cum R. Pontificis doctrina consentiant, semper ex Irenæo verum erit, oportere ut cum ipso omnes concordent et conveniant, nisi ab Ecclesia voluerint extorres fieri. 2. Origenes Sæc. III. Homil. 1. super illa Matth. verba C. XVI. *Portae inferi etc.* hæc habet « *Manifestum est, etsi non exprimatur, quod nec adversus Petrum, nec adversus Ecclesiam portae praevalere poterunt inferorum; nam si praevalerent adversus Petram in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam etiam praevalerent* » Quis utique ignoret, quod fundamen-

to diruto universum quoque ædificium super illud constructum corruat sit necesse? Si est Petrus illam ystica Ecclesiæ petra supra quam ipsamet Ecclesia fundata est, portæ inferi irruere adversus petram nequeunt quin Ecclesiam ipsam subvertant. 3. S. Cyprianus qui et ipse tertio Sæculo mediante floruit, plura habet egregia quæ jam supra retulimus, juxta quem (ex Epist. ad S. Cornelium Papam) unitas cum Romana Ecclesia necessario tenenda est, ejusque Pontifici obtemperandum, qui vice Christi fungitur. Sive major igitur sive minor fuerit numerus Episcoporum qui cum ipso sentiunt, ne in hæresim aut in schisma prolabamur, nunquam ab ejus communione est discedendum; nam ut ibidem ait, *Haec est Petri Cathedra et Ecclesia principalis, unde unitas sacerdotalis exorta est*; quam et Epist. 35. *Ecclesiae Catholicae radicem atque matricem* appellat. Nec ea negligenda quæ in ejus libro habentur de *Unitate Eccl.* juxta meliores editiones ut in editionibus Erasmi et Pamelii, et in recentioribus, quæ verba referuntur quoque a Pelagio II. in 2. Epist. ad Istriæ Episcopos; ait enim Cyprianus: *Super illum unum aedificat Ecclesiam suam ... Qui Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Quæ cum iis quæ habet alibi perfectè cohærent. Censebat igitur Cyprianus neminem posse a Romanæ Ecclesiæ communione discedere, quin simul extra Christi Ecclesiam fiat. 4. Nota sunt quæ habet Hieronymus pluribus in locis, ut ad Damasum scribens de Petri cathedra inquit: *super illam petram aedificatam Ecclesiam scio: quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est .... quicumque tecum non colligit, spar-*

git. Et L. I. cont. Jovin. n. 26. de Pontifice Romano ajebat « *Ecclesiae salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata quot Sacerdotes* » 5. Ambrosius quoque ex illis Verbis, *Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*, hanc inferebat illationem in Psal. XL. *Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia*. Existimabat igitur super Petrum ejusque successores fundatam esse Ecclesiam; atque idcirco sicut nunquam contra Ecclesiam, ita neque contra ipsius fundamentum portas inferi fore potentiam habituras. 6. Augustinus inter cætera ita *contra Partem Donati* scribit « *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo Patrum quis cui successit videte: ipsa est Petra quam non vincunt superbae inferorum portae* » Petra ergo supra quam erat Christus suam Ecclesiam ædificaturus juxta Augustinum Petrus erat ejusque in Sede successores qui inferorum conatibus nunquam subvertendi sunt. 7. Accedit S. Leo Epist. 75. quæ est ad Leonem Augustum, qui C. II. habet « *Cum ergo universalis Ecclesia per illius principalis petrae aedificationem facta sit petra, et primus Apostolorum beatiss. Petrus voce Domini audierit: Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam: quis nisi antichristus aut diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem?* » Per Leonem ergo illa Christi verba ad Petrum ac Successores dicta sunt, quorum propterea fides ex ejus promissione nunquam deficiet. 8. S. Gregorius M. (L. IV. Ep. 38.) ad Theodelindam Reginam scribit: « *Dignum est, ut de Ecclesia B. Petri Apostolo-*

rum principis nullum ulterius scrupulum dubietatis habeatis, sed in vera Fide persistite, et vitam vestram in Petra Ecclesia, hoc est in confessione B. Petri solidate. Quæ profecto ad ea verba, quæ a Christo Domino dicta Petro sunt, referuntur. Atque demum 9. ad eadem verba, ne plura in re notissima congeramus, respiciebat Bernardus ad Innocentium R. Pont. scribens Ep. 190. cum ajebat: *Dignum arbitror, ibi potissimum resarciri damna Fidei, ubi fides non potest sentire defectum*.

IV. Nonnulla collegimus SS. Patrum dicta ut novæ opinionis inventores discant, alia quædam quæ apud eosdem occurrunt ambigua aut obscura ex his apertis et perspicuis testimoniis ea intelligere ac interpretari; atque etiam, si invictis ratiocinationibus non moventur, tanta saltem testium nube vincantur. Ex paucis tamen quæ attulimus ex feracissima auctoritatum segete sequens conficitur argumentum: Portæ inferi prævalere adversus Petram illam non debent, supra quam inædificavit Christus Ecclesiam; sed petra isthæc erat Petrus ejusque successores quibus traditæ sunt Claves Regni cælorum; non ergo adversus illos portæ inferi prævalebunt unquam: At prævalerent non modo contra hanc petram sed et contra Ecclesiam totam, si aliquando esset Summus Pontifex derelinquendus cui Præsules multi sed numero inferiores adhærerent: nam 1. scinderetur Ecclesiæ unitas, cum ab ejus centro Ro. Pontifice fieret discessus. 2. Petra supra quam ædificavit Christus Ecclesiam nutaret: concusso autem fundamento labitur ædificium. 3. Nutaret hæc eadem Petra, quidquid tandem ejus nomine intelligi adversarii velint, nam fides nutaret, quæ ex Pastorum dissidio

non amplius dignòsci posset: Ecclesia in partes discissa interiret, quæ sine unitate et indefectibilitate consistere nequit: ipsamet denique invisibilis Christi præsentia et patrocinium a fidelium oculis evanesceret, qui cum divisus esse non possit, neque partibus sibi adversis præsidere, quibuscum esset cognoscere amplius non possent, et quò se verterent, ignorarent. 4. Petri successor agnos et oves non amplius pasceret, neque fratres confirmaret, sed oves potius pascerent et circumducerent pastorem suum. 6. Multitudo acephala prævaleret, et in eis corpus Ecclesiæ foret monstruosum: imo nec facile in hac absurda hypothesi sciri posset quanam ex parte prævalens staret numerus, quinam metu aut vi aut odio ab Ecclesia Romana dissideret, ac tandem regimen Ecclesiæ haberetur inconstans omnino ac dubium, turbis ac dissidiis plenum, et quale prorsus dedecet divinam sapientiam. 6. Demum ex Scripturarum et Patrum testimoniis habemus aperte definitum, Christi Ecclesiam esse illam societatem quæ cum Petri Successore convenit, ab eo regitur, eidemque uti Capiti adhæret: nullibi verò neque in Sacris Literis, neque in Conciliis, neque apud Patres dicitur unquam eam consistere in multitudine quacumque huic supremo Pastori inobsequente ab eoque divulsa. Quæ cum ita sint, ne tot absurda et impia velimus admittere, quicumque sit dissidentium numerus, opus est ut Summus Pontifex certus ac legitimus ut Supremus Ecclesiæ vertex et Judex ab omnibus audiatur, ac dum Ecclesiæ Fidem declarat, ab omnibus ut Ecclesiæ universæ Pastor et doctor agnoscatur. Nam vacuæ alioquin et inanes redderentur Christi promissiones, ejusque Ecclesia turba esset incomposita in qua nullus

ordo regnaret; atque schismatici, ut græcorum schisma, nec non ipsi hæretici acephali veram quoque se Ecclesiam habere gloriari possent. Apage ergo novatorum inventum.

V. Sed et universa Ecclesiæ praxis propositionem nostram corroborat. Non enim legitimo usui ac possessioni refragari licet. At semper factum est, ut Episcopi licet pauciores Summo Pontifici adhærentes prævaluerint super majorem numerum a capite divulsum: Ita Patres Ariminenses, qui ob Nicænam Fidem exularunt, quanquam pauciores cæteris qui formulæ arianorum subscripsere, adhærentes tamen Liberio R. Pontifici prævaluerunt: Ita et S. Hilarius aliique pauciores in Concilio Seleuciæ habito arianos et semiarianos superarunt: Ita et in pseudosynodo Ephesina S. Leo per suos legatos, et orientales aliquot restitere Elpidio et majori numero, atque utique vicerunt; quod et in Chalcedonensi Concilio contigit circa Fidei formulam quæ ab eutychianis proponebatur: Atque ita S. Julius I. cum aliquot Episcopis arianorum pseudosynodos exsufflavit, Athanasium obstrepente arianorum turba in propriam sedem restituit, et Nicænam Fidem immaculatam servavit. Hoc verò majori solemnitate ostenditur ex Conciliorum confirmatione. Ab ipsis enim Ecclesiæ incunabulis Concilium nullum etiamsi generale robur habuit, nisi Summi Pontificis accedente suffragio. Quædam hinc approbata Concilia, quædam secundum partem tantum aliquam, cui pondus addidit R. Pontifex, confirmata. Ita Concilium generale II. vim habet dumtaxat pro priore Fidei Canone a S. Damaso approbato: Ita Chalcedonense pro sex prioribus tantum sessionibus a S. Leone approbatis auctoritatem obtinuit. Major

ergo Præsulum pars a capite divulsorum minori non prævalet numero Ro. Pontifici consociato.

VI. Id præterea confirmant veteres Patres, qui aliquam Fidei definitionem ratam nunquam habuere nisi Summi Pontificis calculo communitam. Hoc S. Athanasius ex professo declarat in Tractatu ad id ostendendum expresse exarato, quod et exemplo suo confirmavit, dum spretis arianorum turbis ad unum confugiebat Ro. Pontificem, qui Episcopis aliquot congregatis hæreticorum molimina subvertebat. Quare ipsamet generalia Concilia nil potius habuere, quam ut eorum Acta Pontificiæ auctoritatis pondere confirmarentur, ut Nicænum I. Episcoporum CCCXVIII. cæterorum omnium norma et exemplum in sua Epistola ita Silvestrum Papam alloquens: *Quidquid constituimus, praestolamur, ut vestri oris consortio confirmetur*. Quapropter gravissimi Theologi inter quos præcipue S. Thomas, S. Bonaventura, Melchior Canus aliique innumeri docent, pondus Conciliis dare Summi Pontificis auctoritatem, *quae si adsit*, inquit Canus, *centum Patres satis sunt; sin desit, nulli sunt satis, sint quantumlibet plurimi*. Hinc S. Athanasius sentiebat, quod Synodi etiam particulares, quoties fuerint Summo Pontifici conjunctæ, se habeant uti œcumenicæ et quasi generales, ut censet de secunda synodo Alexandrina anno 319 celebrata, quam propterea idem S. Doctor Generale Concilium appellat. Modo, *Fidei catholicae doctrina per praxim innotescit universalis Ecclesiae*, ut catholici consentiunt omnes; Ecclesia namque Universalis promissionem divinam habet non errandi. Sed praxis Ecclesiæ semper agnovit a Romani Pontificis auctoritate et confirmatione

robur pendere definitionum Fidei; quicumque igitur Episcoporum numerus cum Papa consentiens emittet Fidei regulam et definitionem.

VII. Neque hic adversarii mirentur, nos superius majorem requisivisse Episcoporum numerum, ut Pontificia definitio dogmatica evadat; non enim absolute illud definivimus, quasi absque majori numero Fidei non adsit definitio; sed mens fuit ostendere, quando id contigerit, ambigi sine piaculo non posse, quin definitio illa pro Fidei regula habenda sit, detrectantium numero non obstante. Est itaque propositio adversus eos, qui unanimitatem moralem postulant; sed cum illa assertio demonstratur, non hæc altera excluditur, quæ priorem potius confirmat. Probant itaque præcedentis propositionis argumenta, potiorem numerum Ro. Pontifici adhærentium ad majorem conferre judiciorum solemnitatem, ne fidei hostes audeant obstrepere, et *ut obstruatur os loquentium iniqua*; at nostram hanc sequentem non excludunt propositionem. Constat enim solos Romanos Pontifices tribus prioribus Ecclesiæ sæculis varias hæreses condemnasse, quorum definitionibus Ecclesia numquam adversata est; potiori ergo jure nunquam repugnabit, dum Summus Pontifex quibusdam electis Præsulibus sibi consociatis aliquod fidei dogma definiverit; tunc enim clarius in Capite et in Pastoribus ei adjunctis Ecclesiæ auctoritas repræsentatur. Quod si Patres quandoque affirmant, pauciori numero non esse standum, de inferiori numero id intelligunt a Summo Pontifice divulso, non vero si eidem consociatus sit. Hinc est, quod Justinianus Imp. curaverit, ut Vigilius Papa Concilium adprobaret Quinisextum, cujus in Ecclesia definitiones non

invaluere, quoadusque suffragium Pontificis non accessit. Stat ergo Ro. Pontificis auctoritas in hypothesi etiam, quod inferior Episcoporum numerus cum eodem consociaretur.

CAPUT XXX.

QUOD SUMMUS PONTIFEX ALIQUEM FIDEI ARTICULUM DEFINIENS ATQUE ECCLESIÆ TOTI EX CATHEDRA CREDENDUM PROPONENS SIT INFALLIBILIS HABENDUS, EJUSQUE JUDICIUM IRREFORMABILE.

I. Hæc propositio opponitur Articulo quarto declarationis Cleri Gallicani an. 1682. his verbis exarato « In fidei quæstionibus præcipuas quidem Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere; non tamen irreformabile esse judicium ejus, nisi Ecclesiæ consensus accesserit » Sed contra opinionem hanc, quæ solemnia Summi Pontificis judicia circa fidem reformari ab Ecclesia posse supponit, stat omnium ferme catholicorum consensus, si non paucos inter hodiernos Gallos exceperis et nonnullos extra Galliam novitatum cupidos, qui illorum mali nominis opinionibus adhærere affectant, quique omnes spiritu partium ducti, aut ne errasse videantur, nihil veriti schismaticis favere aut etiam hæreticis, ab avita atque antiqua scholæ Parisiensis doctrina deficientes contrarium asserere audent. Nam positam a nobis propositionem licet nondum ut fidei dogma definitam, tamen ut certam et verissimam in Ecclesia haberi ex iis constabit quæ sumus summatim dicturi; ita ut gal-

licanam opinionem nonnisi speculative et in abstracto tractari ac teneri toleret Ecclesia, in praxi vero quidquam secundum eam peragere vetet atque gravissime interdicat.

II. Et quidem ut jam sæpius vidimus 1. Ex Sacris Literis edocemur, Christum Dominum fundasse Ecclesiam in Petro ejusque successoribus eis tradens Claves regni Cælorum, atque potestatem impertiens universum Christianum gregem in Fide ac veritatis doctrina pascendi, proque ipsis orans, ne unquam illorum deficiat fides. Ex his ergo omnibus effectus indefectibilitatis in Fide ex vi promissionis et precationis Christi manifesta deducitur consecutione. Præterea ex his Scripturæ locis Catholici omnes Romani Pontificis Primatum agnoscunt; sed hæc eadem loca apertè indicant huic Primatui inerrantiam in docenda Fide esse conjunctam; ex Catholicorum igitur consensione R. Pontifex infallibilis habetur in decretis fidei edendis. Hujus autem prærogativæ prænuntium habebatur in Veteri Synagoga, quæ ut Apostolus ad Hebræos testatur, Christi Ecclesiam præfigurabat. Nam Aaron in ea ejusque in supremo Sacerdotio successores constituti a Deo fuerant, qui Levitis cæteris præeminerent, et Religionis causas expenderent, ut habetur Deuter. XVII. 8. his verbis: *si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris . . . . et judicum inter portas tuas verba videris variari; surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad Judicem qui fuerit illo tempore quaeresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem ... sequerisque sententiam eorum, neque declinabis ad dexteram neque ad sini-*

stram. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio... morietur homo ille, et auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. Hic autem sermo non est de Concilio Sacerdotum Oecumenico, quod nullibi jubetur, nec in omni causa cogi potuisset, verum agitur de Judice supremo, ac de summo Sacerdote qui esset illo tempore ad summum cum suo consilio, qui peculiari certè divino auxilio judicaturus erat *judicii veritatem*. Potiori ergo jure in Nova Lege quæ per universum terrarum orbem erat diffundenda de Supremo hoc Judice provisum est. Quare Christus Dominus suæ Ecclesiæ Caput et Legislator, atque a Deo Patre Sacerdos in æternum constitutus antequam ad Patrem ex hoc mundo ascenderet suum in terris, in iis quæ sunt ad Deum, Vicarium et Pontificem summum visibilem Petrum decrevit, qui ad consummationem usque sæculorum haberet in sua dignitate successores: *plures enim,* ut ait Apost. ad Hebr. *facti sunt Sacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere*. Quemadmodum ergo vetus ille Judex judicabat *judicii veritatem*, quis unquam nisi per summam audaciam inficiaturus est ejusdem Christi Vicario hanc eandem prærogativam in tantæ Ecclesiæ bonum et incolumitatem vertendam? At Ecclesia non solum est hæres ex asse supernaturalium omnium donorum, quibus Synagoga vetus cumulata fuerat, sed et potioribus muneribus ex omnium consensu est divinitus insignita. Hinc est quod, in quantum spectat ad hanc inerrantiæ prærogativam, a primis usque Ecclesiæ temporibus ad summum ejus Sacerdotem Fideles omnes in dubiis fidei semper confugerunt, ejusque judicia ut

veritatem ipsam semper amplexi sunt. Neque præte-reundum, hanc judicii veritatem Christi in terris vice fungentibus non obscure Dei Spiritum pollicitum fuisse apud Isaiam C. LIX. 21. ubi Deus Pater ita alloquitur Filium suum missum in mundum: *Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum.*

III. Præterea Summum Pontificem in proponenda Ecclesiæ doctrina nec fallere nec falli posse constat ex consensu Ecclesiæ omnium temporum; quæ, ut ex Ecclesiastica historia edocemur, nunquam fidei doctrinas nisi per summorum Pontificum definitionem judicatas habuit; atque etiam cum de his doctrinis Concilia sunt habita, tunc ut ultimò decisæ receptæ sunt cum per eos fuerunt illorum acta recognita et confirmata: secus vero, ut non raro contigit, Conciliorum definitiones nullum pondus nullamque auctoritatem consecutæ sunt. Quod ostendit, Ecclesiam semper existimasse, suam inerrantiam et constantiam in Fide in Summo Pontifice fundatam esse. E contra quoties a Ro. Pontificibus hæreses proscriptæ sunt, uti peremptorie damnatas et proscriptas habuit Ecclesia tota, quin unquam solemnitatem requisierit generalis Concilii; quæ si aliquando celebrata sunt, non habita fuere in gratiam fidelium, quasi eorum fides ea solemnitate indiguerit; sed in gratiam hæreticorum collecta fuere, et ad eorum contumaciam validius comprimendam, atque ad eorum dolos et artes superandas. Hinc affirmabat Augustinus *ad Bonif.* c. ult. rarissimas extitisse hæreses ad quas damnandas synodi congregatione opus fuerit, quod ex perantiqua Ecclesiæ constat consuetudine. Ut enim li-

quot ex Chronologia Binii suæ præfixa Conciliorum editioni, quotquot emerserunt hæreses ab Ecclesiæ exordio ad hæc usque tempora suis decretis Romani Pontifices anathemate percusserunt. Ita primo Sæculo Ebionitæ, et secundo, Manes, Marcion, Novatus et Novatianus proscripti sunt. An. 158. S. Hyginus Cerdonem excommunicavit, Zephyrinus Marcionem et Cataphrygas ab Ecclesia ejecit, et Victor Quartodecimanos damnavit. Sæculo vero III. S. Stephanus rebaptizantes proscripsit, et S. Dionysius Paulum Samosatenum in utroque Antiocheno Concilio quod suo calculo communivit: deinde S. Melchiades Donatistas in Concilio Romano, qui et a S. Silvestro damnati sunt an. 314. in Arelatensi cui præfuit per suos Legatos, quod et præstitit contra Arium in utroque Alexandrino ab ipso approbato. Præterea Damasus damnavit Macedonium, S. Cælestinus I. Nestorium, Innocentius et Zozimus Pelagianos, S. Leo Eutychetem, Vigilius tria Capitula, Agatho Monothelitas quos antea damnaverat S. Martinus I., Adrianus I. Iconomachos, Adrianus II. Photium in VIII. generali Synodo, Leo IX. Berengarium, Eugenius III. Gilbertum Porretanum, Leo X Lutheranos, S. Pius V. Bajum, Urbanus VIII et Innocentius X. Jansenium, Innocentius XI. Molinosii quietismum, Clemens XI. Quesnellium, atque alii Pontifices errores plures usque ad Pium VI. et Pium VII. qui Eybelium aliosque per dogmaticas Constitutiones, *Super soliditate*, et *Auctorem Fidei;* Pius vero VII. per Const. *Ecclesiam a J. C. Servatore nostro institutam*, editam Idib. Sept. 1821. proscripserunt.

IV. Sed et hæc Pontificum decreta veri fideles minime expectato Ecclesiæ per orbem diffusæ consen-

su illico suscipiebant, et ut fidei regulam sequebantur, ut de Liberii judicio scribit Sozomenus L. VI. C. XXI. *cui*, inquit, *singuli acquievere*. Nempe: *Episcopus Urbis Romae Liberius scripsit ad Orientis Ecclesias, a .... quo facto utpote controversia judicio Romanae Ecclesiae terminata, singuli quievere*: damnabantur autem qui Spiritus Sancti divinitatem impugnabant. De iis vero quæ jam decreta essent ne quidem in Conciliis generalibus dubium examen unquam instituebatur, sed tantum quod rem exponeret ac declararet, ut fuse ostendit Cardinalis Ursius, sicut et non raro de ipsis fiebat Oecumenicarum Synodorum decretis. Nec nisi pervicaces hæretici illis obsistebant aut Concilia postulabant, ut suis erroribus aliquam prætenderent excusationem, de quibus propterea aiebat Augustinus loco cit.: *Audacter istorum superbia .... hanc gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis et Occidentis Synodus congregetur*. Hinc quoties Ro. Pontifices aliquos condemnassent, ii a cunctis statim fidelibus uti hæretici habebantur, adeout ipsemet Tertullianus decretum Pontificis Montanistas damnantis *peremptorium* appellaverit. Et revera si ad inconcussam et irreformabilem reddendam Pontificiam fidei definitionem requireretur, ut accederet aliarum Ecclesiarum consensus, ea certe ratione quilibet homuncio infallibilis dici posset; atque hoc posito vana prorsus et ludicra fuissent Christi promissa; quæ et absurda sunt et in Ecclesia nunquam audita. Hæc igitur Ecclesiæ perpetua praxis, hic universalis sensus aut Romanorum Pontificum indeficientiam in Fide supponit, aut illam testatur atque ostendit.

V. Hanc ipsam veritatem Patres omnes luculenter

declarant. Hanc enim 1. aperte significat Irenæus L. III. C. III. cum affirmat, *ad hanc R. Ecclesiam necesse esse Ecclesiam omnem convenire*. Ubi non dicit, Romanæ Ecclesiæ Fidem esse cum cæterarum Ecclesiarum Fide comparandam, sed cæterarum omnium fidem conferendam esse cum Fide Romanæ Ecclesiæ; quasi manifeste doceat, hujus Fidem Ecclesiæ totius normam et regulam esse oportere. 2. Tertullianus eodem sæculo, ut L. *de Praescript*. C. XXXVI. hæreticos revincat, postquam ad Ecclesias Apostolicas eos revocavit, ei tandem sufficit solius Romanæ Ecclesiæ Fides, inquiens: *Videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum africanis quoque Ecclesiis contesseravit*. 3. S. Cyprianus Sæculo III. mediante ad Cornelium Papam scribens: *Hortati sumus*, inquit, *ut Ecclesiae Catholicae matricem et radicem tenerent etc*. Et ad eundem scribebat « *Navigare audent ad Petri cathedram et ad Ecclesiam principalem unde unitas Sacerdotalis exorta est . . . Nec cogitare, eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum* » qui cum alibi affirmet, esse cum Romano Pontifice, esse idem ac cum Catholica Ecclesia communicare, et qui cum Cathedra Petri non communicat, jam in Ecclesia non esse, quis non videat ejus fidem indefectibilem agnovisse? 4. Hieronymo absurdum videbatur, aliam teneri doctrinam præter illam, quam R. Ecclesia probaret, L. III. adv. Ruff. Deinde præter alia plura, hæc ad eundem Ruffinum habet Lib. II. « *Scito Romanam Fidem Apostolico ore laudatam istiusmodi praestigias non recipere: etiamsi angelus aliter annuntiet quam semel praedicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari* »

At si Romana Fides immutabilis est, quis non infallibilem prædicabit? 5. S. Ambrosius Epist. XI. ad Ageruchiam ait: *In omnibus Romanae Ecclesiae formam et typum sequimur*. In Orat. vero in funere Satyri, idem ipsi est *cum Ecclesia Catholica et cum Romana Ecclesia convenire*. 6. Inter plura quæ habet S. Augustinus memoratu digna sunt quæ docet Epist. 157. *In verbis*, inquit, *Apostolicae Sedis tam antiqua atque fundata, certa et clara est catholica Fides, ut nefas sit dubitare christianis*. Si ergo hujus Sedis decreta fidei adeo certa sunt, ut non liceat christianis de iis ambigere, sunt ergo per Augustinum infallibilia. Nisi fortasse velint adversarii de nullius Sedis judiciis dubitari posse. 7. S. Cælestinus I. hæc habet ad Galliæ Episcopos: *Satis sufficere credimus quidquid secundum praedictas regulas Apostolicae Sedis nos scripta docuerunt; ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit praefixis sententiis contrarium*. Et ad eundem scribebat de Nestorii hæresi S. Cyrillus Alex. *Digneris proinde, quid hic sentias, declarare, quo liquidò constet, an communicare nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè eidem denuntiare etc.* Per illum ergo Patriarcham a Cælestini ore pendebat, Nestorium habere hæreticum vel non habere; neque Concilii sententiam postulat, ut id *liquidò* constet. 8. S. Prosper adv. Collatorem. N. XV. ajebat: *Sacrosancta B. Petri Sedes per universum orbem Papae Zozimi sic ore loquitur*. Quo nempe significet, R. Pontificem organum esse doctrinæ apostolicæ qui propterea falli non possit. 9. Eidem consentiebat S. Petrus Chrysologus dum scribebat ad Eutychetem: *Hortamur te, ut his quae a beatiss.*

Papa Romanae civitatis scripta sunt obedienter attendas, quia B. Petrus, qui in propria Sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. Quid clarius pro Pontificia inerrantia optari posset? 10. S. Maximus Martyr Epist. ad Marinum « *Unicam basim ac fundamentum*, inquit, *habent fidei suae Christiani omnes Romanam Ecclesiam, adversus quam juxta Salvatoris vocem portae inferi haudquaquam praevaluerint ... In hanc veluti in solem sempiternae lucis respiciunt universi* ». En græcus scriptor qui de Pontificis inerrantia luculentius loqui non poterat. 11. Jure igitur scribebat Sæculo V. S. Gelasius ad Dardaniæ Episcopos « *Sicut id quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit; sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit* » 12. S. Leo IX. Epist. ad Michaelem Cerularium Cpolitanum Patriarcham, qui infandum schisma moliebatur, ita scribebat: *Hactenus Fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in saeculum saeculi: Erit ergo quisquam tantae dementiae, ut orationem illius cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare?*

VI. Non arbitramur plura in hanc rem testimonia congerere, cum Patres omnes sive Græci sive Latini, cum se occasio offerebat, hanc prærogativam in Petri successoribus vel intellexerint vel declaraverint; ut si vocabulum infallibilitatis dempseris, quod certe latinum non est (1), clarius et vividius loqui non potuerint

(1) Licet *infallibilis et infallibilitas* voces sint iufimæ latinitatis Sæculo XIV. usurpatæ, dogma tamen iis significatum a Christianæ Religionis exordio in orbe viguit, ut jam ostendimus.

ad eam dotem exprimendam et confirmandam; quod lucidius demonstrabitur, quoties loca singula simul conferantur atque his quæ attulimus alia addantur innumera a Cardinalibus Bellarmino, Sfondrato, et Ursio, nec non a Petro Balleriuio, Sandero, Sommierio, Petitdidierio, Soardo, Zacharia, atque ab Auctore operis *Oecumenica Cathedrae Apostolicae Auctoritas*, et a Roccaberto Valentiæ Archiep. in Præfatione ad Bibliothecam Pontificiam aliisque, qui ex cunctis Patribus et Conciliis usque ad SS. Bedam, Hincmarum, Ivonem, Anselmum, Bernardum, Thomam, Bonaventuram præclaras collegerunt auctoritates ad hoc argumentum declarandum et ostendendum, quod præterea manifestis plurimarum rationum ponderibus communiverunt, ita ut Honoratus Tournely gravissimus Doctor Sorbonicus, licet ex parte suae scholæ huic Thesi nostræ adversus, asserere coactus sit: *Non dissimulandum, difficile esse, in tanta testimoniorum mole non recognoscere Apostolicae Sedis seu Romanae Ecclesiae certam et infallibilem auctoritatem*.

Subdole igitur Galli quidam ex harum vocum novitate inferre vellent, doctrinam hanc tunc invaluisse, cum eæ primum adhibitæ sunt; quasi non idem de Concilii œcumenici auctoritate dici posset. Sæculo itaque XIV. cœptum est quidem de hoc dogmate disputari, cum inter Catholicos nemo antea de eo dubitasset. Compendii autem causa eæ sunt voces adhibitæ, non quod hoc dogma tunc primitus invaluerit, sed ut antiqua doctrina clarius exprimeretur: *Neque enim* (ut de Romanis Pontificibus jam olim affirmabat Augustinus Epist. 105.) *sua sunt, quae dicunt, sed Dei, qui in Cathedra Unitatis doctrinam posuit veritatis*.

CAPUT XXXI.

QUO LOCO STET ILLORUM OPINIO QUI R. PONTIFICUM INERRANTIÆ ADVERSANTUR.

I. Ab avita sententia circa R. Pontificis indefectibilitatem in fidei articulis definiendis famosam Cleri Gallicani declarationem recessisse, non pauci ejusdem nationis viri celebres ingenue fassi sunt; inter quos præstat audire Andream Duvallium doctorem Sorbonicum in Opere insigni quod inscripsit *de suprema Romani Pontificis potestate*, in quo authenticis prolatis testimoniis ita ex veteris suæ scholæ comparatione dissentientes perstringebat: « *Velint itaque nolint adversarii, liquido constat, veteres Ecclesiae Gallicanae Proceres hanc in Summis Pontificibus Petri successoribus infallibilitatem semper agnovisse, Christique Domini orationem in Petro non stetisse; eosque qui hanc veritatem impugnare conati sunt a ducentis circiter annis, quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, coepisse* » Aequissimæ huic sententiæ plurimi adhærebant in Galliis, ut sunt Ruardus Tapperus ad Concilium Trid. Theologus, Mich. Nauclerus lib. *De Monarchia Divina*, Card. De Aguirre, Antonius Charlas, Petitdidierius, aliique plurimi, quorum doctissimorum virorum cura fiebat, ut sæculo præsertim XVII. percurrente rari admodum in Galliis in opinione illa persisterent, etiamsi damnatis Richerii et Launoii Libellis non pauci perverterentur. Atque ita quidem illam rubiginem quam ex tem-

porum perversitate contraxerant sensim Galli excutiebant, cum ecce derepente novæ exortæ hæreses occasionem dissidentibus dedere errorem hunc renovandi, atque ansam Regi irato, ut a Cleri parte aliqua adoptaretur, præbuere, plurimis licet reclamantibus et ægre ferentibus. Verum quam infaustis auspiciis modo breviter primo videndum est.

II. Constat enim, declarationem illam, quam Clerus an. 1682. Regis jussu emiserat, post annos decem non modo Clerum sed et ipsum Regem Epistolis ad Innocentium XII. datis retractasse, atque Regem ipsum pollicitum fuisse, illam ex publicis tabulariis jussurum deleri. Hinc in suis Epistolis singuli qui ad eam declarationem partem habuerant, hæc testabantur: *Quidquid in iisdem Comitiis circa Ecclesiasticam potestatem et Pontificiam Auctoritatem decretum censeri potuit, pro non decreto haberi velle: mens quippe nostra non fuit quidquam decernere*. Præterea illa declaratio ab Innocentio XI. et Alexandro VII. improbata est ac nulla et irrita declarata, atque juramentum pro illa tuenda præstitum invalidum fuisse et vacuum sancitum est; eamque recenter rejecit quoque Pius VI. in Bulla *Auctorem Fidei*. 3. Universa Catholica Ecclesia docet, decretis Summorum Pontificum omnino esse parendum, iisdemque non modo externam, sed et internam ac sinceram mentis obedientiam et devotionem esse præstandam; ita ut obsequiosum ipsum silentium absque sincera mentis subjectione, quod nonnulli prætendebant, Ecclesia ut subdolam et hypocrisi plenam doctrinam damnet; idque jure optimo, nam potestati a Christo collatæ obtemperandum est; sed hanc Petri successoribus contulisse jam supra

abunde ostensum est, et in hoc dogmate universa Ecclesia semper consensit; non ergo hunc internum consensum ei detrectare licet eo prætextu, quod nondum sit universæ Ecclesiæ propositum ut fidei dogma credendum, decreta nempe Summorum Pontificum de quibus loquimur esse irreformabilia et Fidei Regulam constituere: Non, inquam, id licet: 1. enim, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita esse debet. 2. Universa Ecclesia antiquitus et recenter iis decretis plenam obedientiam esse præstandam censuit, eaque in praxi uti fidei regulam semper secuta est, ac esse talia habenda universim pro certo tenuit. 3. Quia exterius obsequium dant adversarii eis præstari debere; potiori igitur jure ne ficti et mendaces simus, iis interiorem assensum tribuere necesse est. Ex hac verò doctrina liquido infertur, ea decreta infallibili pollere auctoritate. Nam cum Ecclesia Catholica errori nunquam subjecta esse possit, et interim fideles Ecclesiam catholicam constituentes eis decretis parere et assentiri teneantur; sequitur eam nunquam, ut errori credatur; posse jubere, sed ea certa semper et infallibilia fore, quæ credenda proponit. Præmissas propositiones Galli renuentes concedunt, sed ajunt eam consequentiam non necessario ex iis descendere, aut eam illationem non evidenter cognoscere; atque hoc effugio a nostra communi sententia amplectenda recedere posse arbitrantur.

III. Praeterea aliis præjudiciis ea Gallorum opinio laborat; nam 4. Comitia, in quibus famosæ propositiones declaratæ sunt, speciem potius conventiculi habuere, quam conventus legitimi Clerum Gallicanum repræsentantis. Pauci Præsules convenere, ac tumultuarie res gestæ sunt ad aulicorum magis voluntatem

quam ad Cleri sententiam, qui maxima ex parte ei declarationi contradixit, ejusdemque receptioni celebres Universitates Parisiensis et Duacensis fortiter restitere; plures verò per vim aut metum subscripserunt, ac non pauci quod subscribere, aut jurare noluerint in exilium acti aut in carcerem trusi; quæ cum aliena prorsus sint a legitima doctrinæ definitione, hinc factum est, ut infanda hæc historia huic conventui dedecus insigne attulerit. 5. Hæc declaratio valde fuit ab hæreticis laudata, qui suæ a Romana Ecclesia defectionis causas inde prætexebant, ac præsertim Jansenistæ motiva sumebant suæ ad futurum Concilium appellationis, atque ex ea rationes dabant Pontificiis decretis contra eos latis resistendi. At ea doctrina quæ hæreticis favorem præstat et schismata fovet, falsa sit oportet, et a Christi institutione aliena. Hinc his perniciosis opinionibus in dies invalescentibus, Religionis cura et amor sensim in Galliis extingui cœpit, et populus ferme universus in anarchiam et in manifestam apostasiam tandem erupit. 6. Etiamsi daremus eam doctrinam tolerabilem aliquam pati posse interpretationem, eo tamen ex capite suspecta est habenda, quod in pravum sensum detorta ea abusi sint postremis etiam hisce temporibus Religionis hostes, ut legitimam Ecclesiæ excuterent auctoritatem, et Clerum præcipue a Supremi Pastoris communione alienarent. Ad quid enim anxietas tanta tantaque violentia ut ea declaratio subscriberetur ab omnibus et jurejurando firmaretur? Doctrina ergo quæ fomitem schismati præbet abjicienda est. 7. Cum inter cæteras propositio Petri Oxomensis « Ecclesia urbis Romæ errare potest » uti scandalosa et hæretica primum damnata fuerit in Concilio Complutensi ab Ar-

chiep. Toletano, ac eadem censura fuerit a Sixto IV. confirmata an. 1479., deinde vero Alexander VIII. an. 1690. propositionem damnaverit qua asseritur, sententiam de summi Pontificis infallibilitate *futilem esse ac toties prostratam*; inde sequitur, saltem implicite damnatam esse propositionem, quæ hanc inficiatur prærogativam, ut a viro catholico teneri tutò non possit.

IV. Sed præter recensitos nævos, quibus inficitur ea Gallorum opinio, nullum ulterius habent non modo ex Patribus sed neque ex celebrioribus Theologis quem sequantur. Nam ii, quos in suæ causæ tutelam advocant adversarii, ut Joannes Gersonius Sæc. XV; et Jacobus Bossuetus Episc. Meldensis Sæculo XVII. (cui opus posthumum tribuitur *Defensionis Cleri Gallicani*) hi duo, inquam, valde se nutantes præbent ac secum discordes, ut ignores in cujus partis patrocinium eos pertrahas. Et Gersonius quidem in Sermone quem habuit coram Alexandro V. apertis verbis Pontificis indeficientiam tuetur inquiens : *Latinitas ipsa purior et immaculatior Sedem habet Petri, pro cujus Fide ne deficeret, specialiter oravit ille, qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia.* Atque hinc infert, *A Romana Ecclesia Fidei certitudinem esse petendam.* Sed et doctissimorum sententia est, Gersonium, et illius præceptorem Card. de Ally docuisse quidem, Sum. Pontificem errare in fide posse sed uti privatam personam, non autem cum publicè nempe *ex cathedra* et ex officio universam docet Ecclesiam, et authenticis edictis catholicam fidem definit. Præclara vero sunt Bossueti in genuinis suis lucubrationibus testimonia inerrantiam R. Pontifici vindi-

cantia. Quin in ipso *Defensionis* relato opere huic indeficientiæ illustre testimonium redditur toto præsertim Lib. XV. ubi inter alia C. VII. hæc luculenter dicta occurrunt: *Omnes ergo Ecclesiae subsignata formula profitebantur Romanam Fidem . . . Sedis Apostolicae et Romanae Ecclesiae Fidem integra et perfecta soliditate constare, ac ne unquam deficiat certa Domini pollicitatione firmatum*. Omnes ergo Ecclesiæ hodiernam Gallorum opinionem condemnabant.

V. Quinimo non veteres tantum, sed et recentiores omnes catholici generatim tam ultra montes quam citra eidem sententiæ adhærent; nam et maxima Gallorum pars eidem favet ac eandem sequitur saltem in praxi. Non enim Gallorum voluntas ex editis libris tantum perpendenda est ac æstimanda, cum plurimi vel noluerint, vel peculiaribus circumstantiis, respectibus, vel timoribus præpediti quid sentirent publicè non aperuerint; quod plures testati sunt (1). Non mirum propterea si celebris Fenelonius Cameracensis Episcopus hanc eandem sententiam vehementer tutatus sit atque demonstraverit invictis argumentis in dissertatione quam *de Summi Pontificis auctoritate* habemus editam Tomo II. Operum, quæ recenter Versaliis

(1) Inter hos audiendus est auctor Operis: *Discours sur les preuves des verites de la foi etc* Nancy 1738. in 12. ubi L. III. C. XIV. scribit: *Cette infallibilitè des Papes est etabilie dans toutes les nations catholiques. En ce Royaume meme il y a une infinité de gens qui la tiennent et qui la defendent. Parmi ceux meme qui la contestent ouvertement, il y en a plusieurs qui ne voyent pas plutot un Decret de Rome, qu' ils crient, qu' on doit s'y soumettre: ce qui a fait dire tres judicieusement a un homme d' esprit, que les Eveques de Rome jouissoient en France d' une infallibilité de fait,*

impressa sunt. Hujus autem præstantissimi auctoris argumentatio huc redit; quod nempe Galli omnes Fide teneant, Apostolicam Sedem ex Domini institutione fundamentum esse perpetuum, caput et centrum catholicæ unitatis; at meridiana luce clarius est, quod talis non esset, si hæresim toti Ecclesiæ credendam unquam proponeret aut definiret; Galli ergo cuncti credunt, Sedem Apostolicam nunquam posse hæresim definire, neque eam universæ Ecclesiæ ad credendum proponere. Addit autem clariss. Præsul, quod si quis hujus vim consecutionis inficiaretur, is certe non sibi cohæreret: nam si Apostolica Sedes in docenda veritate semper mansura est catholicæ veritatis centrum, patet, quod errorem publicè docendo et a sua communione dissentientes separando, eo tempore doctrinæ catholicæ fundamentum et centrum unitatis esse desineret, ut non perpetuo talis foret: quin potius fieret centrum erroris, et veritatis labile fundamentum, unde mala orirentur innumera. Nam. 1. ruinam excitaret totius Ecclesiæ. 2. Schismatis caput evaderet, orthodoxos a sua communione amovendo. 3. Centrum erroris ac falsæ traditionis fieret; ut non amplius dici posset: Credo Apostolicæ Sedi, eamque æternum esse Fidei fundamentum et caput catholicæ unitatis. Quicumque igitur confitetur, Apostolicam Sedem nunquam defuturam, ac in docenda Fide æternum fundamentum mansuram et Ecclesiæ centrum ac verticem; aut id ficto animo confitetur, aut quidnam pronunciet non intelligit, aut certè agnoscit, quod Sedes Apostolica hæresim toti Ecclesiæ de Fide credendam nec proponet unquam, nec umquam definiet. Ab eo dilemmate ipsis a tanto Præsule constructo viderint Galli adversarii quomodo

se poterunt expedire. Interim cum hoc ipsum argumentum a Pet. Ballerinio eodem modo ferme fuerit adornatum, et anonymus quidam ei opposuisset, hanc illationem non necessario descendere; cum singuli Episcopi jus habeant exigendi a diœcesanis obedientiam et Fidem suis decretis, quin propterea inde sequatur singulorum Episcoporum inerrantia in Fide; respondebat Ballerinius (in Manuscripta *Apologia* forte adhuc inedita), eam non stare paritatem, cum discrimen immane intercedat inter jus et Primatum Romani Pontificis, ac aliorum Episcoporum. Hi enim peculiarium Diœceseon primates ac rectores sunt constituti nec universam repræsentant Ecclesiam cujus nec centrum sunt nec perpetuum fidei fundamentum positi, uti Romanus Pontifex ex omnium Catholicorum sententia est constitutus; quare eorundem Primatus, et jus obedientiam a diœcesanis exigendi subjectum est Romano Pontifici cum quo fidei communionem servare tenentur; ut nequeant a suo peculiari grege exigere obedientiam et Fidem nisi stent cum Romana Sede conjuncti, nempe cum fundamento fidei, et cum centro catholicæ unitatis.

VI. Hæc et alia cum solidioribus antiquitatis testimoniis conjuncta tanti ponderis visa sunt, ut prudentiores Galli ac Religionis amantes ab infausta illa Cleri Gallicani declaratione recesserint, et in dies ad communem et veram Ecclesiæ sententiam revertantur; ut hinc sperare liceat, brevi omnes id fore sensuros et ad avitam suorum doctrinam regressuros. Et meritò quidem cum plurimi sint Ecclesiæ Patres, qui ea Christi verba « *Ego pro te rogavi Petre ut non deficiat Fides tua* » non de Petro tantum sed et de successori-

bus ejusdem intelligenda esse voluere, inter quos a S. Leone M. exordiendo decem et octo Summi Pontifices recensentur. Præter quos eandem sententiam confirmavit Martinus V. qui Decreta Concilii Constantiensis circa Romanum Pontificem non confirmavit, et Eugenius IV. qui Basileense proscripsit. Insuper Martinus V. in Concilio Constantiensi sua Constitutione vetuit appellationes a Papæ judicio ad futurum Concilium; quod et præstitit Pius II. pœna excommunicationis imposita. Tum Sixtus IV. Complutense Concilium confirmavit, et Constitutionem edidit, quibus Petri Oxomensis contrarius error damnatur; nec non Leo X. Constitutionem condidit in Concilio Lateranensi V. qua sententiam de Romani Pontificis præstantia supra Concilium tenendam esse declaravit. Quid plura? Ipsimet Galli nobis adversantes, Bossueto duce, fatentur omnes, Sedem Romanam, sive Apostolicam Sedem judicandi infallibilitate potiri, etiamsi id negent Personæ Romani Pontificis, distinctione interposita inter Sedem et Præsidentes. Hinc Honoratus Tournely *De Eccl.* Part. II. Q. V. Art. III. *Nec alia ratione*, inquit, *Theologi illi se expediunt a tot veterum in gratiam infallibilitatis Pontificis Romani testimoniis, quam ea non de ipso Pontifice, sed de Romana Ecclesia seu Apostolicâ Sede interpretando;* quod etiam Launojus aliique sentiunt. At cum ea distinctio, quantum ad rem nostram, precaria sit omnino ac nullius roboris; sequitur adversarios, velint nolint, hanc inerrantiam confiteri debere.

VII. Et quidem contra distinctionem illam, quæ Achilleum veluti argumentum a gallis habetur, audiendus primo loco est D. De Colongue Aptensis Episco-

pus (in suo Mandato die 20. Decemb. 1717.) ubi his verbis ex gallico translatis ita adversarios insectabatur; « *Aliquis fortasse asserere hic audebit, quod isti novatores magnum ponunt discrimen inter Sedem Apostolicam et Romanum Pontificem eam occupantem: quod ubique se obsequiosos profitentur et obedientes decisionibus augusti illius tribunalis quod esse infallibile agnoscunt, dum interim in eo sedentem erroris accusant. Ne quaeso in hac immoremur abstracta distinctione, et ab haereticis ad suam damnationem eludendam conficta, quam Cyprianus nunquam agnovit, qui pronunciat, quamlibet Ecclesiam in suo esse Episcopo*: Ecclesia est in Episcopo: *distinctione, inquam, a S. Petro Damiano proscripta, qui Romano Pontifici Alexandro II. olim dicebat*: Vos Apostolica Sedes, vos Romana estis Ecclesia, etc. » At neque eam distinctionem agnoverat S. Hieronymus qui ad Damasum Papam scribit: *Ego Beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri communione consocior*. In Sinuessana etiam Synodo a Donatistis conficta Patres inducuntur Marcellino Pontifici dicentes: *Tuo te ore judica, nam prima Sedes a nemine judicatur*: Hæc autem verba, licet ab hæreticis inventa, antiquissima tamen sunt, ostenduntque, quid per Romanam Sedem veteres intellexerint. Dedecet ergo adversarios ea distinctione abuti alio in sensu a S. Leone Mag. usurpata, cum de Sede Alexandrina ajebat: *Aliud sunt Sedes, aliud Praesidentes*: Ea enim non quod isti autumant, sed merita Præsulum a Sedium juribus distinguit. Episcopum nempe considerat sive uti privatam personam, sive ut personam cathedræ dignitate ac auctoritate pollentem; quod nemo erit qui

non intelligat, nemo quod non ultro fateatur. Verum hæc minimè juvant Pontificiæ auctoritatis oppugnatores; si enim Romanæ Sedis prærogativa est, ut nequeat in Fide deficere, jam Petri Sedes ita indefectibiliter per sui Pontificis sic ore loquitur. Quærimus enim ab Adversariis, quisnam fruatur juribus et prærogativis alicujus Sedis. Non ne illius Episcopus? Ita sane, cum Ecclesia juxta Cyprianum sit in Episcopo: Ergo Summus Pontifex quo adusque Romanus Pontifex est, Cathedræ Petri jura possidet, inter quæ cum hæc infallibilitas recenseatur, ad quemnam præterquam ad ipsum spectabit? Neque enim adversarios stupidos adeo censemus, ut ad materialem thronum ea jura velint pertinere, qui neque loquitur certe, neque sentit, nec quidquam operatur.

VIII. Quare qui eam distinctionem in hanc controversiam invexere, illamque tantopere deprædicarunt turpiter eo sophismate abusi sunt quod a logicis dicitur, argumentum institui *a sensu composito ad sensum divisum*, sive *a concreto ad abstractum*; quod fallaciæ genus est prorsus eruditis et philosophis viris indignum: Nam si *Romana Sedes*, et *Pontifex Romanus in abstracto* considerentur atque *in sensu diviso*, idem non sunt: si vero *in concreto* sive *in sensu composito* accipiantur, uti revera considerari debent, tunc sunt unum et idem. Nam in primo sensu est notio abstracta, qua per mentem tanquam per se subsistentia considerantur jura, prærogativæ et officia divino jussu a S. Petro huic Sedi relicta et ad successores transmittenda, licet revera per se non stent; sed ea jura ita considerantur absque relatione ad aliquam determinatam personam, quæ illam Cathedram impleat et

ea jura exerceat, ut Sede vacante contingit; tunc enim illa jura veluti suspensa manent. In secundo autem sensu est notio *concreta*, nempe est ipsa Persona Romani Pontificis, quatenus illam cathedram tenet, atque uti Petri successor ejus Sedis jura possidet ac exercet. In sensu abstracto igitur Patres aliquando locuti sunt, ut S. Leo, quemadmodum supra dictum est. At cum de jurium exercitio sermonem habuere, locuti sunt semper in sensu concreto, ut cum ex. gr. verba fecere de Romano Pontifice prout suo Primatus officio fungitur, dum ajunt nempe Apostolicam aut Romanam Sedem definivisse, docuisse, dispensasse etc. aut cum dicunt, convenire aut communicare cum Petri Cathedra oportere, aut esse eidem obtemperandum: tunc enim *in concreto*, sive de persona Summi Pontificis prout illa jura exercet, semper locuti sunt. Et revera illa Sedes *in abstracto* considerata, sive a Pontifice divulsa nihil præcipere, nihilque definire potest, cum per se hæc jura stent, nec quidquam operentur, sicuti de abstractis notionibus patet. Quare prorsus ridendi sunt Galli neoterici non pauci dum Launojum vel Auctorem Defensionis secuti pecudum more, quin eam unquam perceperint, eandem semper fallaciam recantant, dum nempe ea dividunt, quæ reapse dividi nequeunt: scilicet jura Pontificatus dividunt ab ipsa persona summi Pontificis etiam cum supremi Ecclesiæ Capitis officio fungitur; quam sophisticam divisionem nunquam Patres noverunt, imo respuerunt omnino ut ex Hieronymo, Cypriano aliisque vidimus. Quinimo ipsa Pontificis persona vel in *sensu diviso vel in composito* consideranda quandoque, ut supra adnotavimus Cap. XXVI. N. 1. Sicut ergo componi non debent quæ sunt

dividenda, ita neque dividere oportet quæ componenda sunt, nisi per sophisticam fallaciam cum adversariis ineptire voluerimus. Hæc autem latius exponere necesse fuit, ut intelligant tyrones quam labili fundamento, ne dicam ridiculo, adversarii innitantur, quod in fumum abiisse nemo non viderit. Nam quod opponunt, Justinianum Imp. ad Concilium V. scripsisse, ut ex Sacris dypticis expungeretur nomen Vigilii Papæ uti hæretici Nestoriani, ita tamen ut unio cum Sede Apostolica conservaretur; quasi eam distinctionem ipse notam habuerit: Hoc, inquam, parvi sane momenti est; cum notum sit eruditis, tum Vigilii Epistolas tum Justiniani supposititias esse, ut commentitia est Vigilii hæresis, in cujus falsa suppositione dicta ea fuissent. Quod si concederemus, Justinianum eas scripsisse, quid inde pro adversariorum causa, nisi illum eo paralogismo fuisse usum, quo ipsi utuntur? Nam quid Justinianus respondisset alicui dicenti, contemnatur Imperator, at Imperiali throno unusquisque subjectus sit? Responsionem quam tunc dedisset Imperator, nos quoque dabimus. Cæterum notum est, eam phrasim a nonnullis schismaticis postea frustra fuisse adhibitam, ut secessionem a communione cum Ecclesia Romana declinarent, licet ab ejus Pontifice fuissent anathemate ab ipsa expuncti.

IX. Alii hostes cum viderint ea distinctione perditam suam causam ægrè defendi posse, alteram commenti sunt. Nam per Romanam Sedem intelligi volunt Ecclesiam Romanam, quam duplici rursus sensu accipiunt: nempe aut per universam Catholicam Ecclesiam: aut per peculiarem Romanam Diœcesim. Verum utrumque est reprobandum effugium. Et primum qui-

dem, quia cum de Apostolicæ Sedis indeficientia in Fide Patres locuti sunt, non certe, ut ex contextu liquet, catholicam Ecclesiam intellexere; alioquin nihil peculiare dixissent præter id quod unicuique Ecclesiæ convenit catholicæ communioni consociatæ. Sed neque ipsemet Bossuetus id intellexit unquam cum scripsit, *Catholicae Ecclesiae Fidem semper Fidem esse Romanae Ecclesiae*; quibus verbis non utique dicere voluit, catholicæ Ecclesiæ Fidem semper Fidem esse catholicæ Ecclesiæ, quod ridiculè ac sophisticè esset idem enunciare per idem. Ab illo itaque æquivoco dejecti ad universum Clerum Romanæ Ecclesiæ adversarii confugiunt, videnturque Clero et populo Romano hanc inerrantiam potius quam Petri successoribus impertiri. Hujus opinionis videtur fuisse Auctor Defensionis Cleri Gallicani, eamque tenere Jac. Hyacinthus Serry in opere *De Ro. Pontifice in ferendo de Fide judicio fallere et falli nescio*. (1) At ea opinio adeo futilis et absona est, ut neque refutatione indigeat. Undenam enim ei Clero tam nobilis prærogativa? Scimus quidem omnia Christi Domini eloquia Petro ejusdemque in munere successoribus eam dotem tribuisse; at in iis de Romano Clero ne verbum quidem; quomodo ergo Christi verba tam clara et aperta ad societatem quandam Ecclesiasticam sibi arrogant detorquere? Verum quo tempore Romani Pontifices Avenione Sedem fixerant, penes quem populum aut Clerum stabat infallibi-

(1) Serry hujus Operis C. I. N. V. hanc thesim statuit: *Ubi Pontifex, Ecclesia Urbis Romae assentiente, consiliumque dante, pronunciat, errare omnino non potest.* Eadem erat opinio Ludovici Maimburgi in Op. *De statu Ecclesiae Romanae*, et quorundam aliorum, qui facile refelluntur.

litas? Nisi ergo adversarii ineptire voluerint, in Romano Pontifice eam sitam esse prærogativam fateri coguntur; qui media et consultationes prævias confundere non debent, quibus uti solent R. Pontifices, cum suprema eorum ac divina potestate causas judicandi, et ad quam Patres semper respexere, ut Augustinus, qui Innocentii Decretum contra Pelagianos vocat *Apostolicae Sedis Episcopale judicium*. Ita Concilium Chalcedonense ajebat: *Petrus per Leonem locutus est:* Ex quibus et similibus loquendi formulis ipsemet Bossuetus Lib. X. C. V. *Defensionis* hæc fateri coactus est: « *Neque propterea dicimus, ipsam Sedem aliquid exercere posse potestatis aut jurisdictionis quam per ipsum Praesidentem* ». Ut ergo Romana Sedes infallibilis est, ita infallibilis ipsius Præses.

X. His dispulsis, en aliud adversariorum inventum: Ajunt, Romanam Sedem considerandam esse veluti ex omnibus Petri successoribus simul sumptis constantem, atque ita acceptam nunquam fore erraturam, eo quod uno deficiente Pontifice tunc ab alio emendabitur. Nova certè excogitatio ad argumenti vim eludendam; at quia nova, ideo falsa manifestè deprehenditur. Sanè tunc actum esset de universæ ipsius Ecclesiæ asphalia, statim ac unitatis centrum in Fide deficeret. Quis enim tunc de sua Fide certus esse posset? Cum quanam alia Ecclesia posset altera suam conferre Fidem? Si Pontifex unus errorem Ecclesiæ toti credendum proponeret, atque illum alter emendaret, quis judex inter utrumque sederet? Quis scire posset an unus vel alter erraverit? Quomodo verum esset, *B. Petrum in Sede sua vivere et praesidere, ac praestare quaerentibus fidei veritatem*; ut testatur Chry-

sologus? Aut quomodo staret illud Hieronymi: *Inter omnes unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio?* Ac tandem quomodo tunc starent ipsa Christi promissa? Neque dicant, eo in casu omnia a Concilio restituenda fore. Dato enim Concilium tandem veram Fidem docturum, interea temporis Ecclesia non ne aut prorsus defecisset, aut in obscuro saltem latuisset? Quod impium est cogitare. Sed hoc Concilium quando, ubi, quomodo celebrabitur, aut quisnam illud legitime convocabit: a quonam confirmabitur: quinam illi adhærebunt? Fingamus paulisper quod hæreticè supponebat pseudosynodus Pistoriensis, *postremis* nempe *hisce temporibus sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti spectantes ad Religionem et quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Jesu Christi*: Quis jam catholicam Fidem in ea falsa hypothesi discerneret? A quanam Ecclesia Fides petenda foret? Forsan a Pistoriensi? An a Parisiensi? Quonam id jure? Quisnam de illarum Fide nos certos reddat, cum fateantur omnes, Ecclesias peculiares errori esse posse subjectas? Ergo in ea hypothesi incerta omnia. Videant quo ruant, qui absurda hæc paradoxa defendunt. Hic recantant adversarii, non paucos Pontifices scripta sua Apostolicæ Sedis correctioni supposuisse. Quæ cum objiciunt, miramur, adversarios non animadvertisse, hos Pontifices loqui de his, quæ uti privatæ personæ aut scripsere aut egere; non vero de his, quæ uti universæ Ecclesiæ Pastores atque Doctores Apostolico munere fungentes ex Cathedra decrevere. Priora vero quis negaverit a successoribus Pontificibus ex cathedra definientibus aut approbari potuisse aut reprobari? Adversarii ergo in-

gratiis licet, nisi inepta prorsus et absona loqui voluerint, dum R. Apostolicam Sedem dant inerrantiæ prærogativa frui, dotem hanc in Romano Pontifice inesse haudquaquam inficiari poterunt; atque propterea irreformabile esse illius judicium concedant oportet, *cujus in Fidei quaestionibus praecipuas esse partes fatentur*.

XI. Non hic tandem reticendum quod habet Bossuetus sive Auctor Defensionis (in Coroll. paragr. 8.) ubi celebris illius Declarationis arcanum sensum detegere profitetur; nempe, *non edixisse Gallicanos Patres, ne R. Pontifex infallibilis haberetur, sed ad praxim maxime eis respicere placuisse, atque illud pro certo figere, Pontificium decretum non haberi pro irreformabili neque ultimum robur esse consecutum, nisi Ecclesiae consensus accesserit... quasi voluerint, quod certissimum signum sit pro cathedra esse dictum, cum accesserit iste Ecclesiae consensus* . . . Nam inquit, *certum est apud catholicos Concilia generalia infallibilia esse; at cum dubitari possit, Concilium ne aliquod generale sit, id ex Ecclesiae consensione repetatur: ita certum firmumque, si velint, habeatur, Pontificem pro cathedra docentem esse infallibilem; at cum dubitari possit cum pro cathedra dixerit, adhibitis omnibus conditionibus, ultima nota ac tessera sit Pontificis ex cathedra docentis cum Ecclesiae catholicae consensus accesserit. Id si Romae placeat, pacique profuturum sit, haud quidem contradixerim*. Hæc Bossuetus, quæ refert etiam Ab. Emery in editione ipsi tributa Opusculorum Fleuryi sub hoc titulo. *Nouveaux Opuscules de M. l'Ab. Fleury ... a Paris* 1807. 12. *pag.* 178.

XII. Verum ea interpretatio mitigat quidem Quarti articuli asperitatem; at nec eam Gallicani communiter recipere amant, nec facile ex Articuli verbis eruitur. Non etiam valde Bossuetum juvat Duvallii auctoritas, qui nuspiam scribit, Sedis Apostolicæ judicia esse posse reformationi subjecta, sed tantum non constituere penes fideles fidei regulam nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Id autem vult Duvallius non jam ob vitium aliquod, quo fortasse laborare possint Apostolicæ Sedis Judicia, sed ob defectum solummodo authenticæ et publicæ promulgationis; ita ut ea conditio non Judicium afficiat in se spectatum, sed promulgationis formam. E contra Quartus articulus aperte notat Judicium ipsum, quod cum affirmetur *non esse irreformabile*, supponitur, etiam in se spectatum erroneum aliquando esse posse quoadusque de illius veritate reliqua Ecclesia veluti a Pontifice sejuncta, et quasi ejusdem decretorum judex examen non instituerit, ac sententiam non tulerit. Quod absonum prorsus est et januam pandit latissimam contumaciæ ac rebellionibus. Absurdum utique, cum nec ubi, nec quomodo, nec quando illud esset judicium institutum quisquam unquam scire posset: absurdum etiam, quia particulares Ecclesiæ mediis quoque necessariis destitutæ principalem Ecclesiam et omnium matrem ac magistram judicarent; nisi forte ad generale Concilium illud judicium referre placeat, quo in casu in ea incommoda et in eas syrtes impingeremus jam N. X. adnotatas: absurdum denique, quia divinæ promissiones vanæ et futiles redderentur. Rebellioni etiam viam aperit Articulus ille, cum prætextu requisiti consensus, qui a refractariis nunquam datus haberetur, eorum nemo obtemperaret,

atque interea error grassaretur impune, quod esset maxime Dei providentiæ injuriosum. Aliud igitur est, Decretum aliquod non constituere Fidei Regulam quoadusque non fuerit sufficienter per adhæsionem peculiarium Ecclesiarum promulgatum: et aliud est, erroneum esse posse, et spectatum in se reformationi subjectum; quod ab omni veritate abhorret, estque Ecclesiæ incolumitati adversum. Laudandus tamen Bossuetus, qui illius Articuli acerbitatem emollire sategit, in cujus sententiam quoties Gallicani concederent, haud difficile esset aut illud discordiæ pomum e medio tollere, aut sanioribus verbis ipsum articulum reformare.

CAPUT XXXII.

EX OBJECTORUM SOLUTIONE COMMUNIS SENTENTIA CONFIRMATUR.

I. Etiamsi Pontificiæ inerrantiæ osores clypeo se contegere curent famosæ Cleri Gallicani Declarationis, tamen Clerus ipse quam alienus fuerit ab illa saltem in praxi adoptanda non semel testatus est; ut 1. cum anno 1647. Innocentius X. propositionem damnavit, quæ omnimodam inter S. Petrum et S. Paulum æqualitatem statuebat sine subordinatione ulla in potestate suprema et in regimine universæ Ecclesiæ. 2. Cum Innocentius XII. anno 1699. *Quietismum* damnavit in Opere Episcopi Cameracensis: *Explication des Maximes des Saintes;* quam condemnationem ipsemet Episcopus Fenelonius miro obedientiæ exemplo primus contra seipsum promulgavit. 3. Cum in postremis il-

lius Regni seditionibus Galliarum Episcopi ob civilem cleri constitutionem ad Pium VI. confugerunt, ejusdemque regimini se penitus subjecere, datis tum ad R. Pontificem tum ad populum Epistolis in quibus obsequium erga R. Sedem ac devotionem testabantur. Sed audiantur ii, qui sub prætextu gallicanæ opinionis R. Pontificis prærogativis seu potius Ecclesiæ Catholicæ incolumitati insidiantur; quorum argutationes operosum non fuerit dissipare.

II. Et primo magno apparatu opponunt nonnullos Patres inter quos Augustinum, quos docuisse ajunt, Claves Regni cælorum non Petro sed fuisse Ecclesiæ traditas, cujus figuram Petrus gerebat, et a qua ipse Petrus ejusdemque successores illas acceperint, ut sint Ecclesiæ subditi sicut fideles cæteri, nec ullam inerrantiam sibi inhærentem præseferre queant: Et revera, inquiunt alii, soli Ecclesiæ *quae columna est et firmamentum veritatis* infallibilitas concessa est. Sed prior difficultas mera est hæresis jam olim damnata in Richerio, et ætate nostra anathemate confixa uti hæretica a Pio VI. in Constit. *Auctorem Fidei* contra Pseudo-Synodum Pistoriensem in 2. et 3. prop: quæ his exprimuntur verbis « Propositio quæ statuit, *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicetur Pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum*, sic intellecta, ut a communitate Fidelium in Pastores derivetur Ecclesiastici ministerii et regiminis potestas, *haeretica est*: Insuper quæ statuit, *Romanum Pontificem esse caput ministeriale*; sic explicata, ut R. Pontifex non a Christo in persona Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius, ac totius

Ecclesiæ caput pollet in universa Ecclesia propositio pariter *haeretica est* » Nam qui immediatam hanc traditionem Clavium impugnant, Salvatoris verbis expresse contradicunt, qui declarat luculentissime, Petro in præmium confessionis Claves regni cælorum fore collaturum : ***Tibi dabo Claves Regni Caelorum***. Cum itaque Augustinus aut etiam alii Patres ajunt, Petrum Ecclesiæ tunc figuram gessisse; id naturali verborum sensui minimè opponitur: significat enim, Christum Claves Petro et per eum Apostolis totique Ecclesiæ tradidisse. Quæstio igitur non est, utrum Christus cum Clavium auctoritatem Petro contulit, toti simul Ecclesiæ tradiderit; in hoc enim consentiunt omnes: sed illud inquiritur: an potestatem hanc Petrus ab Ecclesia, an vero Ecclesia a Petro acceperit: Hoc alterum verò affirmat S. Optatus (L. VII. *cont. Parmen.*) cum ait; *Bono unitatis B. Petrus et praeferri omnibus Apostolis meruit, et Claves regni caelorum communicandas caeteris solus accepit*: Huic vero assertioni antiquorum nemo contradixit, ut inde constet, hanc fuisse tunc Ecclesiæ doctrinam et traditionem quam Innocentius I. confirmabat Epist. 91. apud August. ubi ajebat: *A B. Petro ipse Episcopatus et tota auctoritas hujus nominis emersit*. Hoc ipsum S. Leo, aliique testantur. Sed omittendus non est S. Augustinus cujus auctoritate adversarii abutuntur; qui dum ait, Petrum Ecclesiæ figuram gessisse, tantum abest, ut eidem aliquid detrahat, quin potius ad excellentiorem ejus dignitatem significandam eandem doctrinam prædicet Serm. XXIX. *de Sanctis*, inquiens: *Solus Petrus inter Apostolos meruit audire, Amen dico tibi, quia tu es Petrus et*

super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: Dignus certè qui aedificandis in Domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, Clavis ad Regnum. Quod autem addit Auctor *Theologiae Lugdunensis*, infallibilitatem fuisse Ecclesiæ collatam, id non impedit, quominus fuerit etiam tributa ejusdem Ecclesiæ Capiti, *pro quo ne deficeret, oravit ille, qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia*, ut Jo. Gersonius graviter pronunciavit. Quid impedit revera, ut Ecclesiæ simulque Summo Pontifici inerrantia collata sit? Non obstitit initio Ecclesiæ, ut in bonum orbis ea pluribus conferretur, nempe toti Ecclesiæ una cum Petro, tum Petro ipsi, imo extraordinario privilegio Apostolis singulis in omnem terram ad prædicandum missis. Ita opportunum erat, ut modo etiam eadem proprietas tum Ecclesiæ cum Petri Sede conjunctæ tribueretur, et ad ejus quietem ac incolumitatem ipsi etiam Petri Successori ut conferretur opus erat; quemadmodum sæpissime experientia docuit (1).

(1) Auctor Theol. Lugdun. cujus est hæc imbecilla objectio, repetere non semel affectat, non videri *in gratiam R. Pontificis*, eam prærogativam eidem fuisse concessam. Quod ad invidiam creandam insulsè profert; quasi non in gratiam totius Ecclesiæ ea dote suffultus sit, sed ad pompam, aut in privatæ suæ personæ ornamentum; quod certe nemo somniavit. Summus itaque Pontifex *Legatione pro Christo fungitur*, ut ait Apost. et ea dote in bonum Ecclesiæ illius ornandus erat. Atque utinam nunquam fuisset opus, ut ea potestate uteretur. Sed quid ab homine expectes, qui appellationes ad futurum Concilium œcumenicum ratas habet, ad judicem scilicet qui non adest, quique forsan neque post annos centum venturus est, ut ita omne judicium appellantes facile declinent: Sed præterea hic Auctor vult suffragiorum moralem unanimitatem, ut ita facile possit a Concilii etiam generalis sen-

III. Non hic adversarii quiescunt, quin et Concilia in suæ causæ patrocinium proferunt: ajunt quippe Concilium V. Oecumenicum docuisse, controversias fidei per Concilia esse finiendas; quod argumento est, R. Pontificum inerrantiam ignorasse. Sed et Concilia Constantiense ac Basileense affirmant definivisse, Concilia esse supra Pontificem quibus, in rebus etiam fidei, subjectus sit. Quibus non operosum est respondere; et quintum quidem Concilium sive Cpolitanum II. exponit utique discussionis necessitatem ut veritas elucescat, laudatque Conciliorum utilitatem, at non affirmat, ea unicum esse medium per quod pateat fidei veritas. Revera quomodo ignorare potuissent illi Patres, sæpenumero Ecclesiam ex orbe toto ad Romanam Sedem confugere consuevisse, ut hæreses plurimæ damnarentur? Auctoritas autem Concilii Constantiensis non ejus roboris est, ut adversarii contendunt: imo si Gallicani Theologi accuratius illam expendissent, non utique a communi doctrina discessissent. Nam 1. generatim responderi posset, quod si tanti valeret decretum illud, ut ipsi volunt, jam præstantia Sum. Pontificis supra Concilium ejusdemque infallibilitas minimè a viro catholico defendi liceret; cum interim maxima catholicorum pars eas prærogativas Romano Pontifici semper vindicaverit ac tutata sit. Quinimo Concilium ipsum suorum Actuum confirmationem a Martino V. postulavit, qui eam non præstitit, nisi pro iis quæ contra

tentia se subducere, ac ita licenter vivere. Sed et hujusmodi appellationes recentes in Ecclesia sunt, nec ultra sæculum XIV. assurgunt, et quæ nec Pontificem ipsum Romanum excludunt; nihilominus ab omnibus improbatæ sunt et uti scandalosæ ab Ecclesia proscriptæ.

Wiclefum, Hus, Jacobum Parvum, et Bohemos de Fide fuerant definita. 2. Martinus ipse in eodem Concilio Bullam edidit, qua, nemine ex Patribus reclamante, appellationes prohibebat a judiciis Summi Pontificis ad generale Concilium; quod sane cum doctrina de præstantia Concilii stare non posset. 3. Decreta illa Constantiensia ab omnibus ferme nullius ponderis habita, præsertim extra circumstantiam qua edita fuere, et si quid valuissent, a Florentini Concilii Decretis ab omnibus receptis abrogata sunt, ut nullam propterea vim habere possint. 4. Respondetur, id meritò factum esse; Synodus enim Constantiensis in primis iis Sessionibus nondum fuerat œcumenica. Erat quippe Ecclesia in tres factiones conscissa, quarum una Joanni XXIII. altera Gregorio XII. tertia Benedicto XIII. obsequebantur, atque sola tunc Joannis obedientia Constantiam convenerat, Synodumque conflaverat. Nec, qui tunc Præsules aderant, in eam sententiam omnes consentiebant, cui potius ipse Joannes fortiter restitit, eamque doctrinam uti erroneam reprobavit, ut Cardinalis de Turrecremata testatur, qui illi Concilio interfuit, juxta quem Virum doctissimum (qui optimè noverat, quidnam ea de re illius ævi Theologi sentirent), decretum illud auctoritatem non excedit alicujus academiæ sive Theologorum cœtus; *quoniam plures doctissimi illius obedientiae illis decretis non praestiterunt consensum aut assensum*, *imo nec ipse in sua obedientia vocatus Joannes XXIII.* inquit a Turrecr. (*Sum. de Eccl.* L. II. C. XCIX.). Neque his obstat Synodi Tridentinæ exemplum, cui omnium nationum Episcopi ab initio non interfuere; hæc enim Synodus in postremis Sessionibus tota ab omnibus

confirmata est, Constantiensis verò nec illa solemnitate indicta, nec ea confirmatione in omnibus suffulta fuerat, sicut Tridentina. Narrat denique idem Card. a Turrecremata, *quod illi Constantiensi decreto duae aliae obedientiae Gregorii nempe et Benedicti apertissima contradictione in plena se congregatione opposuere, et eorum contradictio fuit acceptata*: ut quid ergo illius decreti vim tantopere adversarii extollunt (1)?

IV. Præterquam quod est etiam quinto loco adnotandum, quod decretum illud IV. et V. Séssionis Constantiensis Synodi non modo a Martino V. confirmatum non fuit; sed et Patres ipsi Papam Concilio subjiciendo id tantum disciplinam spectare existimabant, materiam scilicet reformationis, ad quam melius procurandam conducere arbitrabantur, si Pontifex ipse

(1) Sed et his inconsultis decretis non modo Episcopi plures atque ipsi Galliarum Præsules fortiter restitere, verum etiam Carolus VII. Galliæ Rex, qui ex temerario illo ausu sapienter prævidebat, homines eo pravo exemplo ad regiam ipsam auctoritatem imminuendam prosternendamque facile progressuros; ut postea, hac nostra præsertim ætate contigisse conspeximus; eversa quippe suprema in terris divinitus posita potestate, quomodo regia auctoritas incolumis stare posset? Hinc Rex Carolus Legatos amarè objurgans, qui facinus illud eidem nuntiaturi venerant: Ecquis *eam vobis licentiam dedit*, ipsis graviter dixit, *ut auderetis in Pontificem Romanum manus injicere, eique dignitatem et Infulas adimere, quod nuper Constantiae fecistis? Postquam ergo eò audaciae pervenistis, quid aliud superest vobis, quam ut pari facinore Regi, Regiisque Principibus Coronam et imperium involetis? Sed enim ne id vobis procedat, maturè praeveniam.* Ex Maimburgo *Grand Schisme d' Occid.* L. V. et ex Spondano ad an. 1415.). Videant ergo Reges quidnam moliuntur, cum Pontificiæ potestati non pro viribus patrocinantur.

Synodis œcumenicis subderetur. 6. Considerandum est, decreta illa pro conditione temporum lata esse; dum nempe diro trium Pontificum schismate scissa esset Ecclesia; ac propterea de Synodis tempore schismatis celebratis ac de Pontificibus dubiis esse intelligenda, qui certè auctoritati œcumenicæ synodi subduntur, ut eo pacto schisma sedari queat: *Ecce*, inquit laudatus a Turrecremata, *manifeste patet, quod decretum Patrum non loquitur universaliter de qualibet Synodo, sed de illa singulariter pro cujus tempore non erat in Ecclesia Pastor totius Ecclesiae indubitatus*. Cui doctrinæ non officiunt ea verba, *Pontificem obedire debere cuicumque alteri Concilio legitime congregato*; ea enim verba intelligenda sunt dicta de Synodo occasione alicujus schismatis celebranda, ut ex contextu apparet. Imo existimarunt Patres, Pontificem certum nullius Synodi auctoritati esse subjectum; cum in congregatione habita XI. Sept. 1417. communi calculo decretum sit, *quod Papa ritè et canonicè electus a Concilio ligari non posset*, nec legibus ullis adstringi. 7. Ad synodum autem Basileensem quod attinet, reponendum est: Synodale responsum Legatis Eugenii IV. datum, in quo Pontifex etiam certus et extra casum schismatis concilii auctoritati subditus declarabatur, nauci habendum esse, cum Basileensis conventus ab Eugenio jam tum dissolutus esset, et in schismaticum conciliabulum degenerasset; qui præterea Ecclesiam fœde turbare tentaverat impio ausu Felicem V. eligendo, quem tamen postea omnes cum suo conciliabulo execrati sunt, atque ipse Felix prudenti consilio Pontificatu cessit (1).

(1) Acta quoque Basileensia. in quibus tantopere Galli ho-

V. His clara in luce positis penitusque profligatis, addunt adversarii, plures Pontifices declarasse, ab Ecclesiæ traditionibus se non posse discedere: tum alios non paucos se errori obnoxios agnovisse sive declarando, se contra fidem nihil definire intendisse, sive errores retractando ut Joan. XXII. sive etiam docendo. At hæc objecta parvi sane momenti sunt, et ex dictis satis jam refutata. Nam cum ajunt, R. Pontifices sæpe declarasse, Ecclesiæ Traditionem non posse deserere, hoc eorum inerrantiam confirmat. Quomodo essent enim in Fide stabiles, si Ecclesiæ doctrinam quæ continetur in Traditione relinquerent? Hæc argutatio est Launojo, qui eam protulit, prorsus indigna. Quæ autem proferuntur ex nonnullis Pontificum dictis, qui aut se retractarunt, aut posse in errorem labi fassi sunt; de iis id certe asseruere, quæ uti privatis personis eis for-

dierni dissidentes confidunt, valde improbata sunt a Rege Carolo VII. et a Galliæ Episcopis in Concilio Bituricensi collectis, quorum nomine Meldensis Episcopus Legationis princeps ad Synodum œcumenicam Florentinam hæc perorabat: *Nimio fervore resistendi, ad hanc vesaniam Basileenses devenerunt, quod summam potestatem in uno Supposito consistere negent, sed eam in multitudine collocant; et sic pulcherrimam monarchiam Ecclesiae, quae Christianos hucusque tenuit in unitate Fidei . . . . . . atque pacem et tranquillitatem asseruit, nunc abolere et supprimere contendunt, nobilissimam politiam ad democratiam, vel aristocratiam redigentes . . . . . et hoc animadvertens praefatus Rex Christianissimus vehementi dolore ingemiscit. . . . Porro Concilium Basileenes . . . veritatem de suprema potestate in uno extinguere pertentavit: Concilium autem Florentinum benè hanc veritatem lucidavit etc.* Hæc erat Sæculo XV. Gallorum doctrina a tota antiquitate accepta, quam recentiores quidam nulla suffulti ratione pervertere conantur; quod est manifestum falsæ opinionis indicium.

te exciderunt, aut antequam pontificia fulgerent auctoritate; nunquam verò de dogmatibus quæ uti Ecclesiæ universalis doctores et pastores credenda fidelibus proposuere. Ita Joannes XXII. millenariorum errorem nunquam ex cathedra credendum docuit, neque, ut fabulose scribitur, ab Academia Parisiensi adoptari curavit; etiamsi in eam opinionem quam retractavit propendisse videatur. Quod si Thomam Valesium in carcerem conjici jussit, non ob impugnatum millenariorum errorem, sed ob contumelias et ob prætergressum in Pontificem modestiæ modum, id factum est. Cæterum Joannes in publicis decretis, justorum animas quibus nihil luendum superesset, *in caelum mox recipi* semper docuit, ut an. 1318. in professione fidei ad Regem Armeniæ missa, et in Bullis Canonizationis SS. Ludovici Tolosæ Episcopi, et Thomæ Erfordiensis an. 1320. nec non S. Thomæ Aquinatis an. 1323. At cum nondum definitum esset, an sanctis statim concederetur visio Dei facie ad faciem, cupiebat Pontifex ut ea quæstio resolveretur, ac propterea concessit ut diligens de ea inquisitio fieret, *donec aliquid ordinatum per Sedem fuerit Apostolicam*, ut ipse scribebat ad Philippum Galliæ Regem anno 1333. sed paulo post morte præventus eam definire non potuit. Nondum ergo quidquam sanciverat.

VI. Opponunt alii cum Opstraeto, Gregorium II. errasse, dum Bonifacio respondit, si mulier infirmitate correpta non valuerit viro debitum reddere, posse matrimonium dissolvi, quod, inquit, est doctrinæ Pauli contrarium. At bona Opstraeti et Fleuryi venia animadvertere potuerant, loqui Pontificem de impedimento impotentiæ matrimonium præcedentis. Alii di-

versimode responderunt. Verum cum Epistola non extet Bonifacii, qua hujus casus solutionem petebat, ut hinc ignoretur, in quonam præcise versaretur quæstio, non posset nisi per summam calumniam Gregorius II. ob eam responsionem reprehendi; quam tamen respexisse impotentiam præcedentem matrimonium, illudque dirimentem, patet ex Pontificis verbis, *si non valuerit debitum reddere*. Quare de hac re corrigendum esse Gratiani Decretum eruditi consentiunt. Extat de hoc argumento *Josephi Cantini in Pisana Academia Antecessoris Interpretatio ad Canonem : Quod proposuisti.* Pisis 1820. in 8. lectu digna. Purgato Gregorio ad Zozimum veniamus, quem morosi adversarii accusant, quod Pelagium et Cælestium uti orthodoxos admiserit. Zozimus tamen orthodoxam judicavit fidei professionem quam illi exhibuerant, quæque utique orthodoxa erat: at verò de interna eorum mente nequicquam judicare potuerat; unde Augustinus ea de re ajebat: *voluntas emendationis*, non *falsitas dogmatis approbata est*. Sed quid, instant, de Vigilio dicendum, qui Tria Capitula damnanda esse nolebat? Respondendum scilicet, Vigilii resistentiam, cui totus occidens concors erat, non respexisse intrinsecum trium libellorum meritum, quos neque legerat unquam, neque noverat; sed reprobare eos nolebat in falsa hypothesi, quod fuissent a Synodo Chalcedonensi approbata. Quod autem Vigilius Epistolam Ibæ unquam approbaverit, est id falsum omnino. Cæterum Concilium V. ad trium Capitulorum condemnationem non devenit, antequam eorundem condemnationem non vidisset a Vigilio decretam.

VII. Deinde ex his locis deturbati adversarii con-

tra Bonifacium VIII. aciem instruunt, ajuntque a Philippo Pulchro aliisque gallis fuisse de hæresi accusatum; atque etiam an. 1302. Bullam evulgasse de subjectione Principum S. Sedi etiam in temporalibus, quod et S. Gregorius VII. fecerit. Mirum tamen est, has ineptias adversarios proferre postquam in Concilio Viennensi sub Clemente V. Bonifacius ab accusationibus absolutus est. Quod ajunt de sua Decretali super temporalia Principum promulgata, consentiunt omnes cum Bossueto ipso, non Decretales singulas aut Bullas ad res fidei pertinere, circa quas Ecclesiam esse infallibilem tantum tuemur; unde neque omnia in Synodis generalibus definita ad rem fidei pertinent, sed aut ad Ecclesiasticum regimen aut ad disciplinam. In ea igitur Constitutione subjectio in spiritualibus a subjectione in temporalibus secernenda est, ut prima ad dogma, altera ad disciplinam pertineat. Idem de Bulla dicendum Pauli IV. an. 1558. edita, in quam audacia intoleranda tantopere obstrepit Opstraetus. Nec majoris ponderis sunt, quæ de contradictione afferunt inter Decreta Nicolai III. et Joannis XXII. relatè ad Evangelicam paupertatem, cum ibi nulla extiterit antilogia; Nicolaus enim nihil definierat, Joannes vero definivit tantummodo, erroneum esse asserere, *nihil Christum et Apostolos uti proprium neque in commune possedisse*.

VIII. Non tandem minuta singula enucleabimus quæ asphaliæ Pontificiæ osores in medium afferunt ad ei creandam invidiam quæ apud recensitos auctores invictè dispulsa videri possunt. Ultimo tamen loco expendendum superest Pauli IV. dictum an. 1557. quo fassum fuisse ajunt, Pontifices errare in pluribus potuisse, inquiens in Congregatione quadam in qua ageba-

tur, an dissolvi posset matrimonium quoddam per verba tantum de præsenti contractum: *Ne quaeso vos terreant decessorum meorum facta et exempla . . . Non dubito quin et ego et decessores mei errare aliquando potuerimus, non solum in hoc sed etiam in pluribus rerum generibus*. Quæ refert Joannes de la Haye, quibus præsentem fuisse affirmat. Hac itaque posita rei veritate, de qua contendere non præstat, jam præmonuimus, Pontificiam inerrantiam spectandam esse in dogmatibus fidei ex cathedra promulgatis; non vero in responsis ad consultationes plures, in rebus juris, vel ad regimen aut disciplinam pertinentibus, et in iis potissimum quæ ex humanis testimoniis pendent; de quibus omnibus, ut de rebus Canonicis et Decretalibus, loquitur Paulus IV. In his enim proferendis judiciis probabilitate sæpenumero Congregationes et Pontifices innituntur; nam et Ecclesia in rebus quæ de jure divino non sunt suas habet quas seqnatur probabilitates, ut judices omnes qui in factis singularibus de justitia et jure decernunt. Nihil solidi ergo huc usque adversarii protulere adversus Pontificiam inerrantiam tot tantisque momentis roboratam in rebus quæ spectant ad Fidem Catholicam decernendis; quin potius multa ad eam prærogativam infirmandam allata plurimum ad eam validius demonstrandam contulisse, deprehensum est (1).

(1) Plures jam in superioribus relati sunt Scriptores polemici, qui hoc argumentum egregie pertractarunt, quibus addi possunt Sfondratus in *Gallia Vindicata*. Dissertatione IV. Ballerinius in Append. *De Infallibilitate Pontificia*. Noghera *Riflessioni sulla Infallibilità del Papa*, *Bassano* 1776. *in* 8. *Examen du quatrieme Article de la Declaration etc.* Zacharia *Antifebronius*. P. M.

DE PRINCIPIIS THEOLOGIÆ NATURALIS ET REVELATÆ

SECTIO IV.

DE CONCILIORUM AUCTORITATE DEQUE LOCIS THEOLOGICIS RELIQUIS.

Præter Pontificiam in Ecclesia potestatem, eamque supremam constantem et perpetuam a Christo Domino constitutam, quam superiori Sectione demonstravimus, consuevit aliquando haberi etiam comitia Præsulum, quæ Synodi et Concilia vocantur, de quorum auctoritate ac pondere modo est disserendum; unaque Loci reliqui Theologici expediendi sunt, quibus Sacra Facultas utitur, ut sua dogmata ostendat, confirmetque, quod sequentibus capitibus absolvemus.

Fil. Anfossi *Motivi etc.* T. II. et præterea ejusd. *Confutazione del Card. de la Luzerne sur la declaration du Olerge etc.* Com. Le Maistre *Du Pape etc.* et aliud ejus Opus *De l'Eglise Gallicane. Nouveaux opuscules De l'Ab. Fleury* a Paris 1807. 12.

CAPUT I.

DE CONCILIIS ECCLESIÆ GENERALIBUS INQUIRITUR, EORUNDEMQUE INERRANTIA IN FIDEI DOGMATIBUS DEFINIENDIS DEMONSTRATUR.

I. Augustus ille Ecclesiæ Senatus, qui Synodus græcè appellari consuevit, latinè verò Concilium, a veteris Synagogæ consessibus sive Synedriis in Ecclesiam Christi facilè migravit, ut hanc rem consideranti patet. Jusserat quippe Deus Moysi (Num. XI.) ut septuaginta virorum congregationem institueret, eique dixit: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri ... et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris*. Hunc ergo morem Christus Dominus pro Ecclesia sua juxta opportunitatem et temporum circumstantias sanctificavit, suamque præsentiam ac speciale auxilium pollicitus est cum discipulis dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Saeculi* (Matth. 28.). Apostoli ergo licet pro sua auctoritate controversias definire semper potuissent, cum nihilominus id opportunum judicarunt, divina freti pollicitatione Concilium collegerunt, ut Actorum XV. legitur: *Convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc*; ac divina auctoritate judicium protulere his verbis suffultum: *Visum est Spiritui Sancto et nobis*. Quanquam vero Christi Ecclesiam consideraverimus (Sup. Sect. III. Cap. IX.) per

orbem universum diffusam, eamque infallibili magisterio donatam in dogmatibus tradendis ad fidem et mores pertinentibus juxta ipsius Christi promissa vindicaverimus; modo hac eadem prærogativa frui Ecclesiam præcipue in solemnibus ac legitimis suis comitiis sive conventibus, quæ synodi œcumenicæ ac generales vocantur, demonstrandum est. Hæc autem controversia, quæ supervacanea alioquin videri posset, instituitur contra Lutherum, Calvinum, cæterosque heterodoxos, qui universæ Ecclesiæ in generalibus etiam comitiis congregatæ infallibilem judicandi potestatem denegarunt, et contra Tridentinam Synodum potissimum insurrexere.

II. Concilia vero generatim definiuntur: *Praelatorum Ecclesiae Conventus ad fidei controversias definiendas vel ad Fidelium mores reformandos aut alia Ecclesiae negocia pertractanda a legitimo Capite convocati*. Dividuntur autem concilia in Diœcesana, Provincialia, Nationalia, et Generalia sive Oecumenica. *Dioecesanum* est illud cui sub Episcopo intersunt unius tantum Diœcesis presbyteri: *Provinciale* est, in quod conveniunt unius provinciæ Præsules, quibus Archiepiscopus præest: *Nationale*, ad quod convocantur omnes unius Regni vel nationis Archiepiscopi et Episcopi, Primate vel Patriarcha præsidente. *Generale* demum est cum a Summo Pontifice universæ Ecclesiæ Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi ac Prælati omnes convocantur. A veteribus tamen generalis aut plenarii Concilii nomen datum quoque fuisse constat Nationalibus Conciliis ob plenitudinem relativam eorundem. Quidam etiam distinguunt inter Generale Concilium, et Oecumenicum, ut primum dicatur sive legitimum sive illegitimum esse possit: secundum vero

non nisi legitimum habeatur, quod nempe ab universo catholico orbe receptum sit. Quanquam cum ob vitium aliquod Concilia cessent esse legitima, nec ipsis propterea Ecclesia universa consentiat, non videntur amplius generalia esse, sed potius conciliabula et pseudosynodi; quare omne Generale concilium juxta nominis etymologiam semper Oecumenicum habendum est.

III. Hic tamen nonnisi de Oecumenicis agimus, ad quæ totius Ecclesiæ Episcopi convocantur. Necesse autem non est, ut omnes simul Episcopi ad ea conveniant quod nec unquam factum est, nec moraliter fieri posset. Quare in ipso Hierosolymitano Concilio non nisi quatuor aut quinque Apostoli convenerant, neque in cæteris nisi pars quædam Episcoporum adfuerat; tantus nihilominus ex omnibus partibus numerus colligendus est, quantus Ecclesiæ universali repræsentandæ sufficiat. Ut verò Concilia hæc rite celebrentur omnis violentia ab illis procul sit oportet; atque præterea, ut legitima sit convocatio, auctoritas requiritur sive expressa sive ad minus tacita Summi Pontificis, cum ipse solus in tota Ecclesia Primatu jurisdictionis potiatur, ut vidimus; idque juxta veterem illam Ecclesiasticam regulam a Socrate et a Sozomeno Lib. 2. c. X. memoratam, *ne absque consensu Romani Pontificis quidquam in Ecclesiis decernatur*; ad eundemque spectat his œcumenicis Synodis præsidere sive per se, sive per Legatos a se constitutos. Ut itaque Oecumenica Synodus legitima sit, vimque omnes fideles obligandi obtineat, conditiones quinque requiruntur. 1. Ut a summo Pontifice totius Ecclesiæ capite aut de illius saltem consensu congregetur. 2. Ut omnes Catholicæ Ecclesiæ Episcopi convocentur, licet

non omnes conveniant. 3. Ut Summus Pontifex eidem vel per se, vel per suos legatos præsit. 4. Ut omnibus et singulis Episcopis plena detur potestas sententiam dicendi ac suffragium ferendi, adeo ut Concilium sit liberum; ita tamen ut omnes in rebus fidei ei tandem parti adhærere debeant, quæ idem sentit cum Romano Pontifice totius communionis catholicæ centro et capite. 5. Ut ab eodem Pontifice confirmetur; quæ quidem confirmatio queat etiam nonnulla sanare, quæ superius requisita sunt, quæque fuissent omissa. Has itaque Synodos generales rite celebratas catholicorum una vox est contra heterodoxos, *in fidei et morum decretis errare minimè posse*, non secus ac errare nequit ipsa Ecclesia quam repræsentant.

IV. Propositio isthæc ostenditur 1. ex Concilio Hierosolymitano ab Apostolis habito in controversia Legalium, quod eo fine collectum fuisse apparet, ut Spiritus Dei normam Ecclesiæ præscriberet, quam in controversiis fidei definiendis sequeretur. Hoc itaque in Concilio suam definitionem Apostoli, ut infallibile Spiritus Sancti oraculum, pronuntiarunt Act. XV. dicendo: *Visum est Spiritui Sancto et nobis*. Conciliorum itaque rite institutorum decreta uti Divina oracula habenda sunt. Nec refert Apostolos singulatim sumptos in doctrina tradenda falli non potuisse, qua dote non gaudent ita accepti Ecclesiæ Pastores. Tunc enim Apostolos ea prærogativa uti noluisse, at vero exemplum et normam tradere, quam Ecclesiæ præsules sequi deberent in his comitiis colligendis, simulque eorundem auctoritatem divinam, ex ipso facto elucet. Docuerant enim, Christum Ecclesiæ suæ semper præsto esse, eandemque suam præsentiam in futurum fuis-

se pollicitum; ut propterea exemplum illud tota vetus Ecclesia veluti normam Conciliorum, quæ celebranda forent, semper consideraverit. Id verò confirmatur ex eo Domini dicto Matth. XVIII. quo fideles consolabatur inquiens: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum*. Quanquam enim non ibi directè sermo sit de Episcopis ad agendum de rebus ad regimen Ecclesiæ pertinentibus collectis; at vero de piis hominibus ad orandum convenientibus, quibus præsidium suum Christus pollicetur, dummodo postulent sicut oportet; ea tamen verba maximè favent ad Conciliorum demonstrandam auctoritatem. Nam si spondet Dominus, privatos homines fore exauditurum in ipsius nomine congregatos eisque adfuturum, quanto magis præstiturus erit auxilium Pastoribus, *quos posuit Episcopos regere Ecclesiam suam*, cum legitimè in ejus nomine conveniunt ad ipsius voluntatem cognoscendam, eandemque fidelibus declarandam? Non dubitandum autem quod eadem prærogativa potientur quoque particularia Concilia, quoties legitimè congregata fuerint et in Dei nomine indicta. Verum ut palam fiat divinam eis protectionem adfuisse, opus est ut a Suprema Romani Pontificis potestate confirmentur et rata habeantur. Quis enim tunc posset ambigere per hos sacros conventus Dei nobis voluntatem manifestari, et veritatem quam scire Ecclesia implorat, eidem patefieri? cum id Christus apertè pollicitus sit Joan. XIV. 16. *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis... Ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis*: Quem utique Veritatis Spiritum quandonam

opportunius largiretur Deus, quam cum Ecclesia ad ipsius Dei gloriam et ad fidelium pacem et incolumitatem eum enixè implorat ac deprecatur?

V. Ex his ergo clarum fit, hæc potissimum Generalia comitia in doctrina tradenda falli non posse; ea enim Ecclesiam universam repræsentant, quæ in fide profitenda est, ut ostendimus, ab errore immunis. Universalem verò exhibere Ecclesiam et a convocationis forma, et a summo Pastore eisdem præsidente manifestum est, nec non ab Ecclesiæ consensu omnium temporum, quæ universim uti hæreticos habuit, qui horum definitionibus parere pertinaciter detrectarunt. Quinimo catholici omnes absque hæsitatione ulla uti fidei articulos ea semper dogmata amplexi sunt quæ in his œcumenicis Synodis fuerant definita; quod non fecissent, nisi credidissent firma fide, nec fallere eas nec falli posse. Ergo Catholicæ Ecclesiæ fides est, œcumenicas Synodos non secus ac ipsam Ecclesiam totam errare non posse. Hinc Augustinus L. 1. de Bapt. c. 18. plenarium Concilium vocat totius Ecclesiæ *consensionem*: et Martinus V. synodum Constantiensem dicit universalem Ecclesiam repræsentantem. Neque iis obstat, quod Legati Pontificii renuerint, ut Synodus Tridentina universam Ecclesiam repræsentans diceretur. De hoc enim nulla controversia movebatur, idque aperte constabat ex titulis *oecumenicae ac generalis Synodi*; sed ob alias causas id omittendum censebant, nempe quod veteres Synodi eo titulo usæ non fuerint, licet omnibus certum esset hanc gerere speciem ac repræsentationem; quare Nicæna I. contra Arianos ajebat: *eos anathematizat catholica et Apostolica Ecclesia*; qua certe phrasi non usa esset, nisi Ecclesiam

totam repræsentare existimasset. Ne igitur eo titulo minime necessario hæretici offenderentur, neve eis daretur vitilitigandi occasio, eo titulo abstinendum esse censuerunt, quod etiam Paulus III. his de causis approbavit. Cæterum hæc Synodorum judicia, ut ab universa Ecclesia edita esse consideranda, ab ipsa Ecclesiastica Historia evincitur; tanta enim apud veteres de harum Synodorum divina auctoritate persuasio inerat, ut fideles omnes pro earum tuendis judiciis exilia, bonorum expoliationem, et mortem ipsam subire non dubitaverint, ut factum est in persecutione Ariana, et sæpius etiam in Vandalica persecutione a Victore Vitensi descripta. Quod et auctoritate Patrum roboratur. Athanasius enim Epist. ad Epictetum: *Qua*, inquit, *audacia fit, ut post tanti Concilii* (Nicæni) *auctoritatem, disceptationes aut quaestiones instituant?* S. Basilius Epist. 114. Patres Nicænos *non sine Spiritus Sancti afflatu locutos fuisse* affirmat. Ambrosius vero Epist. 32. *Sequor autem*, ajebat, *tractatum Nicaeni Concilii, a quo me nec mors nec gladius poterit separare*. Tunc enim illud tantum fuerat celebratum. S. Cælestinus I. Epist. ad Ephes. Synodum P. II. Actione II. scribebat: *Spiritus Sancti testatur praesentiam congregatio Sacerdotum*; atque ita cæteri passim, ut S. Gregorius Mag. L. 1. Ep. 24. scriberet: *sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor*.

VI. Quid plura? Nonne ipsi Protestantes qui tanta audacia, non in Concilium modo Tridentinum, sed et in plura alia in Catholica Ecclesia celebrata insurrexere; dum tamen aliud agunt, hanc eandem doctrinam ipsa rei veritate coacti confessi sunt, et confirma-

runt? Hanc enim Ecclesiæ repræsentationem atque hanc eandem Synodorum auctoritatem, quam impudenter inficiantur de synodis Ecclesiæ catholicæ, iisdem plane momentis suis conventiculis tribuere nituntur. Nam ipsi Calvinistæ in synodo Vitriensi an. 1617. omnes solemni juramenti religione se obstrinxerant ad recipiendas synodi nationalis definitiones, *ex firma persuasione*, ut ibidem dicitur, *quod Deus ei praesidebit, eamque in omni veritate et aequitate per verbi sui regulam diriget*. Persuasi erant ergo de synodi infallibili judicandi potestate: Alioquin jusjurandum illud vel sacrilegum plane erat, quoties synodum falli posse crederent, vel erat illusorium si ea sub conditione synodo se adhæsuros jurabant, quando eam a recta fidei regula sibi non deviasse constaret; qua sub conditione non modo hæretici Synodis nostris sed et nos hæreticorum synodis adhæsuros jurare possemus, quoties nempe a veritatis tramite non deflectant. Sed graviora sunt quæ pseudoreformati in sua synodo Delphis celebrata decrevere, quæ à Dordracena etiam confirmata sunt et a Calvinistis Helvetiæ et Galliarum. Ibi ergo Sessione 6. legitur; quod cum Pastores ad judicandum colliguntur, credendum sit Jesum C. juxta sua promissa eisdem præsentem fore, eumque impediturum, ne quidquam contra veritatem decernatur (1). Et paulo

(1) Refert hujus protestantium synodi verba subjicere, quæ ita se habent loco cit. *Que quand plusieurs bons et sçavans pasteurs envoyés de differentes Eglises de la Christienté s' assemblent pour juger selon la parole de Dieu ce qu' il faut enseigner on rejetter dans son Eglise, on doit croire avec une entiere confiance, que Jesus-Christ, selon sa promesse, se trouverà dans cette assembree, et qu' il ne manquera pas de*

post hæc notanda habet; quod nempe nullus in Ecclesia ordo regnaret, si privato cuicumque prædicare liceret quod collibitum est, nec teneretur judicio synodi se subjicere juxta Apostoli jussa. Post quam apertam rei confessionem qua fronte synodorum Ecclesiæ Catholicæ auctoritati detrahere pergant, sibique illius usurpare jura, nec ejus judiciis unquam parere voluisse, nec initio suæ hæreseos, nec temporis decursu cum ex orbe toto Concilium celeberrimum collectum est, planè videre non datur. Quibus accedit, Protestantes in conciliabulis Dordrectano et Charentoniano Remonstrantes ac Independentes uti putrida membra a sua synagoga rejectos habuisse; quod abnegata infallibili Conciliorum auctoritate judicium fuit omnium iniquissimum. Hanc verò infallibilem judicandi potestatem, quam suis conventibus tum verbis tum factis tribuunt protestantes, scire vellemus quonam titulo, quonam jure eam sibi arrogent, dum hanc asphaliam, qua semper jure optimo gavisa est catholica Ecclesia, ejusdem œcumenicis Synodis petulanter ac impie contra tantam nubem testium, quos protulimus, abnegare non cessant. Omni igitur argumentorum genere, atque etiam ad hominem, Synodorum œcumenicarum infallibilis auctoritas demonstrata est.

l'eclairer et de la conduire par son Esprit, a fin qu' on n'y decide rien au prejudice de la verité. Postea vero subdit: *Qu' il n'y auroit point de tout d'ordre dans l'Eglise de Dieu, s'il etoit permis à chaque particulier d'enseigner ce qu'il lui plait, et qu'il ne fut pas obligé de rendre raison de sa doctrine, et se soumettre au jugement d'un synode, selon le comandement de l'Apotre, qui ordonne, qu'on juge de ce qu'enseignent les prophetes.* Quis unquam crederet, huic manifestæ confessioni omnia prorsus contraria protestantes egisse?

CAPUT II.

IMBECILLA HÆRETICORUM OBJECTA INERRANTIAM CONCILIORUM CATHOLICÆ ECCLESIÆ LATIUS OSTENDUNT.

I. Nulla est catholica veritas quam majori furore heterodoxi impugnare aggressi fuerint, ut illa est, quam de solemnium judiciorum, quæ in œcumenicis Synodis habentur, infallibili auctoritate sibi a Christo Domino concessa universa tenet et confitetur Ecclesia. Nec mirum; ea enim semel admissa, heterodoxi causa sua excidissent, ac illegitimè et impiè a R. Ecclesia discessisse fateri cogerentur. Quod cum pertinaciter facere nolint, hinc nullum non movent lapidem ut inerrantiæ generalium Synodorum detrahant ac auctoritati, antesignanos suos imitantes, Calvinum scilicet *in antidoto concilii Tridentini*, aut lutheranum Chemnitium in *Examine* ejusdem Concilii. Quam infeliciter tamen, modo videndum est.

II. Et quidem incredibile videtur, quot vana incerta, aut a longè deducta vel alio prorsus respicientia ex utroque Testamento collegerit olim Jo Gerhardus ad hanc Ecclesiæ labefactandam αναμαρτησιαν, ut mirum sit virum alioquin eruditum argumentorum, quæ profert, vanitatem non vidisse. Ea quippe vel synagogam respiciunt de qua nobis sermo non est, vel ad privatas referuntur personas, vel ex nonnullis textibus male intellectis vult conditionatas fuisse promissiones, non absolutas, de Ecclesiæ indeficientia a Christo factas, ut cum ait Jo. XV. *Vos amici mei estis, si fe-*

ceritis quae praecipio vobis: ubi hebraismus intelligendus videtur, ut particula *si* pro *quia* sumi debeat, nempe *quia facitis, quae ego praecipio vobis*. Nos tamen non ambiguis textibus usi sumus, at catholicam veritatem claris apertisque testimoniis demonstravimus ab universa traditione adhibitis ad Ecclesiæ hanc prærogativam absolutè vindicandam; ut si quædam in Scripturis incerta occurrant, juxta Criticæ leges ad hujus doctrinæ normam exponenda sint. Quid enim magni Christus Ecclesiæ suæ spopondisset, si nihil pollicitus esset aliud, quàm nunquam eam erraturam, quandiu verbo Dei adhæsisset? Non ne fuisset idem ac spondere, eam non aberraturam quoadusque non aberrasset? Quidnam ergo hæc significasset logomachia? Plus certè aliquid ipsi Ecclesiæ polliceri voluerat cum dixit, portas inferi eam nunquam fore superaturas, seque usque ad consummationem sæculi cum illius Pastoribus futurum; quod ipsimet hæretici ut supra innuimus agnoverunt.

III. Sed nemo somniasset, furorem Concilia calumniandi eò usque hæreticos invasurum, ut asserere non vererentur, ipsum Hierosolymitanum Concilium cui Apostoli præsidebant et causam definiverunt, errasse, decreta secum pugnantia, ut ajunt, condendo; dum statuit, legales cæremonias esse abrogatas, et interim præcipit abstinentiam a sanguine et a suffocato; quo sane objecto non modo probarent concilia esse errori obnoxia, sed et ipsos Apostolos qui id jusserunt fuisse deceptos, idque in re tanti momenti; quod est absurdum. Nimis ergo probaret adversariorum argumentum, ut propterea sit nauci faciendum. Sed nec pugna ulla in primi illius Concilii sanctionibus inest.

Nam licet legalium observantia abrogata esset, aliqua tamen ratio fuerat habenda circa præceptum de carnibus cum sanguine non comedendis, quod post diluvium Deus jusserat Noe (Gen. IX. 4.), quodque proinde non ad Hebræos tantum, verum etiam ad gentes pertinebat, quarum non paucæ eam abstinentiam servabant. Ob aversionem itaque Judæorum ab eo cibo contingebat, ut cum gentilibus communi mensa uti nequirent. Hoc tamen præceptum ad disciplinam spectans temporarium erat; quare aversione cessante quam Judæi et gentiles nonnulli ad esum sanguinis habebant, prohibitio etiam cessavit. Hæc etiam abstinentia non erat ritus qui ad legem Evangelicam significandam referretur; ut absque superstitione servari posset, aut etiam impunè omitti.

IV. Transgrediuntur exinde hæretici ad singula fere Concilia rimanda, et ea partim ex rerum ignoratione, partim dolosè erroris audent accusare. Ipsum Nicænum I. inquiunt, erravit, nam canone XIX. decrevit rebaptizandos esse hæreticos Paulianistas; cum sit validum Baptisma ab hæreticis collatum: et can. XII. eos, qui militiæ cingulum iterum sumpsissent, decem annorum pœnitentiæ subjiciendos statuit, etiamsi licita militia habenda sit. Verum in his non Concilium aberravit quod optime noverat ea de quibus decernebat; sed errant sophistæ qui hæc opponunt. Testis enim est Augustinus *de Haeresib.* n. 44. Paulianistas, sive sectatores Pauli Samosateni qui Trinitatem negaverat, regulam Baptismi vitiasse, ut in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti illud non conferrent, atque ea de causa eorundem baptisma fuisse irritum declaratum. Cum vero canon iste solos Paulianistas rebapti-

zandos statuit, jam cæterorum hæreticorum Baptisma validum æstimabat. Quantum ad Can. XII. ostendit Van-Espen, esse de iis intelligendum, qui Licinii grassante persecutione posthabita Religione militiam sumpserant, quæ sine idololatriæ crimine in Licinii exercitu fieri non poterat. Refert enim Eusebius L. X. c. 8. Licinium cunctos milites, qui idolis sacrificare nollent, militiæ honore spoliari jussisse. Ob illud ergo crimen pœnitentiæ subjecti fuerant, quo in statu militiam resumere eis non licebat.

V. Frustra vero errores Conciliorum objiciuntur vel in factis vel in ordine, vel etiam quæ illicitè congregata aut peracta sunt. Nos enim hic de Synodis agimus ritè celebratis, non de conciliabulis hæreticorum aut schismaticorum, ad quæ etiamsi catholicorum non pauci convenissent, libera tamen potestas sententiam ferendi iis facta non est; ut S. Leo testatur necessario in Conciliis esse servandum Epist. XL. *ut nempe omnium sententiis ex libertate prolatis id tranquillo et aequo constituatur examine, quod fidei congruat et errantibus subveniat*. Perperam ergo in medium afferuntur congressus habiti Arimini et Seleuciæ an. 359. ab Arianis, in quibus Constantii violentia omnia peracta sunt; ut etiam Ephesinus ab Eutychianis coactus an. 449. in quo a Dioscoro Patr. Alexand. omnia turbata sunt, quod propterea latrocinium Ephesinum dictum est, et a fidelibus cunctis execrationi habitum. Hæc enim conventicula tantum abest ut in Christi nomine congregentur, ut non sint nisi satanæ synagogæ, quas excitari sinit Deus ut sinceri fideles probentur, ut admonet Apostolus ad Cor. 2. *Nam oportet*, inquit, *et haereses esse, ut qui pro-*

bati sunt, manifesti fiant in vobis. Eodem morbo laborabat Cpolitana synodus an. 861. qua S. Ignatius e Patriarchatu deturbatus est, et Photius suffectus: tum altera habita an. 879. cum contra decretum Synodi VIII. œcumenicæ Photius iterum restitutus est, in quibus illicita multa perpetrata sunt, ut hinc a Romanis Pontificibus Nicolao I. et Joanne VIII. rescissæ fuerint ac rejectæ. Cum ergo palam et aperte constabit, hominum perversitate in Conciliis violentiam et malas artes fuisse adhibitas, quilibet facile vitio laborasse cognoscet; quod si res in ambiguo sit, Ecclesiæ judicium et potissimum Romani Pontificis confirmatio aut rejectio formidinem omnem ac dubitationem tollet. Quantum verò ad alia quæ in Conciliis peraguntur, quæ ad fidei non pertinent expositionem, respondendum est cum Melch. Cano Lib. V. C. Ult. ad 7. Arg. ***Nos in dogmate fidei et in decretis ad salutem fidelium necessariis Conciliorum auctoritatem asserimus: nec in iis quae parum aut certe nihil ad nos attinent, tempus et operam sumimus.***

VI. Quid tamen dicemus, instant, de Concilio V. sive Cpolitano II. anno habito 552. quod fuit œcumenicum; et nihilominus longo post tempore tantùm fuit ab Hispanis, Venetis et aliis receptum? Non ne inde patet, Concilia utut œcumenica veteres non putasse ab errore libera esse et immunia? quod contigit etiam synodo Nicænæ II. sive VII. Generali anni 787. quæ in Francofordiensi Concilio an. 794. a tercentis Patribus rejecta est circa cultum Imaginum, et rursus in Parisiensi sub Ludov. Pio an. 825. quod et in Libris Carolinis factum est; quæ omnia Concilia Generalia ut infallibilia non fuisse agnita ostendunt. Hæc

vero licet speciem quandam difficultatis præseferant, ad historiæ veritatem exacta evanescunt, nec quidquam detrimenti afferunt inerrantiæ Ecclesiæ aut Conciliorum. Occidentales enim non pauci quintam Synodum recipere diu recusarunt, non quod arbitrarentur Oecumenicis synodis impunè refragari posse; at quod putarent œcumenicam non fuisse; ut revera convocatione non fuerat, sed confirmatione dumtaxat, qua Vigilius Papa, et successor ejus Pelagius eam Synodum recepere, quibus tota occidentalis Ecclesia subinde adhæsit, nec multo post ipsi Episcopi Istriæ ac Venetiarum, qui diutius cæteris eidem restiterant. Nec refert, quod S. Gregorius M. cum Theodelinde agens Longobardorum Regina de ea Synodo nullam mentionem fieri passus sit; id enim ejus prudentiæ tribuendum, cum necessarium non esset eam expressè recipere, quæ nihil novi circa fidem definiverat, sed de opusculis tantum proscribendis egerat. Videri enim poterat eidem Reginæ, Quintam synodum Quartæ Chalcedonensi contradixisse, licet inter eas nulla pugna intercederet, cum hæc de personis egisset, illa de scriptis. In Chalcedonensi Theodoretus et Ibas ob resipiscentiam et sinceræ fidei significationes in communionem recepti sunt et ad pristinum honoris gradum restituti: In Quinta vero Synodo post annos centum celebrata eorum scripta cum opusculis Theodori Mopsuesteni ad trutinam revocata sunt, quæ cum eutychianismi errore scaterent, eisdemque Eutychiani in patrocinium suæ hæresis abuterentur, meritò condemnata sunt; cum Chalcedonensis Synodus eorum examen non instituisset. Nihil quoque reprehensione dignum in synodo Secunda Nicæna actum est; sed cum Francofordienses ac Pari-

sienses Patres eam synodum minimè œcumenicam haberent, quod pauci ex occidente, nullique ex Germania, Gallia, et Hispania ad eam convenissent; hinc licitum sibi duxere eam ad examen revocare, cum Hadrianus Papa nondum solemniter eam confirmasset. Decepti sunt autem Francofordienses, interpretis vitio malè translatis ejus synodi Actis, quod falsò putaverint in ea synodo attributam fuisse sanctorum Imaginibus adorationem latriæ; qui error etiam in Capitularia Caroli M. transivit. Verum quantum ad doctrinam ac rei substantiam neutra pars discrepabat, omnesque Hadriano Pontifici adhærere profitebantur. Hinc tandem perspecta rei veritate Synodus VII. ut œcumenica ac proinde infallibilis communi Ecclesiæ suffragio recepta est. Hæc summatim collecta, licet incredibilia videantur, certis tamen historiæ monumentis constant.

VII. Speciosum deinde argumentum ab adversariis elaboratum modo expendendum est. Licet enim, inquiunt, S. Petrus totam Ecclesiam dum Claves accepit repræsentaret; tamen est incertum inter Catholicos, an privilegium infallibilitatis acceperit ad successores R. Pontifices transmittendum: incertum ergo erit quoque an privilegium illud ad Ecclesiam universam foret transmissurus; quamvis ergo Concilium, ajunt, universam repræsentet Ecclesiam, non proinde conficitur infallibilitate potiri. Hoc tamen argumentum est plane sophisticum: laborat enim ea fallacia, qua a particulari concluditur de universali. Licet itaque esset incertum, an R. Pontifex solitariè acceptus sit infallibilis, non inde utique sequeretur, quod judicans cum Ecclesia in Conciliis œcumenicis congregata, tam ipse quam Ecclesia tota errori subjecti esse possent; cum

Ecclesiæ inerrantiam ex Christi promissis demonstraverimus independenter ab inerrantia Summi Pontificis. Neutra ergo circa hujus infallibilitatem sententia Conciliorum auctoritatem labefactare potest. Nemo enim dixit R. Pontificem totam esse Ecclesiam, at verò omnes consentiunt, Petrum Ecclesiam repræsentasse ut futurum cum successoribus Caput ipsius visibile. Oecumenicæ igitur synodi cum Ecclesiæ capite R. Pontifice infallibiles erunt. Qui autem infallibilem R. Pontificis auctoritatem tuentur, facilius etiam promissiones Petro factas cum Traditione conciliant. Nec refert quidquam, quod catholicorum nonnulli dubium moverint, an Concilia inerrantiam a Pontificis confirmatione, an vero a seipsis eam obtineant; quasi ea durante controversia nullius roboris habenda sint. Quidquid enim sit de controversia illa, id apud catholicos certum est, Concilia hæc a R. Pontifice confirmata esse infallibilia. Quæcumque autem sit quorundam Gallorum opinio, nunquam tamen dixere, per Pontificis confirmationem Concilia vitiari, quinimo eam majus robur iisdem addere fatentur; cum inde magis pateat Capitis cum tota Ecclesia consensio, et omne dubium tollat circa legitimam synodorum celebrationem.

VIII. Opponunt alii, Veteres Patres hanc peremptoriam judicandi potestatem in Conciliis non agnovisse, cum eorum damnent convocationem: ita Gregorius Nazianzenus, qui ad Theodosium scribens horum celebrationes improbabat: tum Augustinus, qui L. 2. de Bapt. c. 3. ajebat, Concilia plenaria priora sæpe a posterioribus emendari: et etiam Leo M. qui ad Pulcheriam Augustam scribit, multa in Concilio Chalcedonensi ambitiosè ac temerè gesta fuisse; quæ

neque infallibilitatem, nec Spiritus Sancti præsentiam arguunt. Quæ licet ab adversariis amplificentur, minimè derogant Conciliorum auctoritati, nec laudes infringunt quibus Patres hæc sacra Comitia exornant. Sedulo sunt enim in iis secernenda quæ geruntur divina virtute, et quæ ab hominum profluunt infirmitate. Divina itaque protectione fit, ut ea in revelata doctrina proponenda et judicanda minimè aberrent; at his in casibus non promissa jam est singulis Patribus immunitas a quibuscumque defectibus et peccatis quæ ab humana pendent infirmitate; sicuti neque ipsis dispersis hæc a peccato immunitas tributa est. Nazianzeni itaque mens est, ut Synodi, quarum auctoritatem sæpius testatur, absque Ecclesiæ necessitate non convocentur, ne humanis affectibus detur occasio ad motus concitandos, ut contigerat in conciliabulis hæreticorum, aut in particularibus synodis de quibus præcipuè loqui videtur. Augustinus verò per Concilia plenaria non intelligit œcumenica, quorum sua ætate duo tantum fuerant celebrata; unde nec sæpe emendari dicere poterat, nec unum alterum emendasse; sed loquitur de Nationalibus, ac de emendatione in disciplina, quæ mutationi obnoxia est. Loquitur denique S. Leo de prærogativa Patriarchatus Episcopo Cpolitano tributa in Synodo Chalcedonensi, quæ cum in detrimentum vergeret Patriarcharum Alexandrini et Antiocheni, eam Romani Pontifices non nisi ægrè et serò confirmarunt; at quæ dogmata respiciebant, plenis suffragiis ab universa Ecclesia semper recepta sunt.

IX. Præterea heterodoxi potestatem sibi arrogare contendunt ad examen revocandi synodorum etiam generalium sanctiones; idque sibi vindicare nituntur au-

ctoritate Hieronymi et Tertulliani, quorum prior Epist. 119. ad Minervinum ajebat: *Nec juxta Pythagorae discipulos praejudicata doctoris opinio, sed doctrinae ratio ponderanda est*: Tertullianus vero Apol. c. 4. *Suspecta lex est*, scribebat, *quae probari se non vult: improba autem, si non probata dominetur*. Sed in pravum sensum ea dicta detorquent adversarii; cum Hieronymus de privata sua auctoritate loquatur, non verò de auctoritate Ecclesiæ, de qua in eadem Epist. scribit: *Meum propositum est antiquos legere, probare singula, retinere quae bona sunt, et a fide catholicae Ecclesiae non recedere*. Utinam heterodoxi ita se prudenter gessissent, qui in tot absurdos errores tunc delapsi non essent! Sed neque Tertulliani verba quidquam in rem nostram faciunt; agit enim de humanis legibus in Christianos latis, quæ cum nulla justitia suffultæ essent, ut ad examen iterum revocarentur, postulabat. At Ecclesiæ auctoritatem ubique deprædicabat, ac potissimum Romanæ Ecclesiæ, *cui*, inquit de Præscr. c. XIX. *totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt*.

X. Infiniti essemus si tricas omnes vellemus expedire, quibus adversarii nos implicare non cessant; quæ tamen ex dictis satis superque resolvuntur. Ut cum ajunt, modo etiam inter Catholicos controversias vigere, quas Ecclesia non dirimit; quasi non se in his definiendis Ecclesia infallibilem agnoscat. Quæ sanè puerilia sunt; non enim Ecclesia de re quacumque, at verò de doctrina sibi a Christo tradita judicat. Controversiæ itaque inter catholicos agitatæ huic doctrinæ ab Ecclesia definitæ minimè adversantur; ut propterea nec eas vetet, nec silentium circa eas jubeat, sed ju-

stis de causis judicet, sententiam circa eas suspendere. Sane, ajebat Augustinus L. 2. de Pecc. Orig. c. 13. *et multa ignorari possunt salva Christiana fide, et alicubi errare sine aliquo haeretici dogmatis crimine licet*. Nec etiam sequitur, ut contendunt, quod posita infallibili Ecclesiæ judicandi potestate, inutile foret sacrarum Literarum studium, quia sufficeret suprema Ecclesiæ Oracula audire et nosse; semper enim utilissimum est studium illud sive ad fidem confirmandam, illustrandam, augendam; sive non modo ad præcepta et exempla, sed et ad agnoscenda consilia, quæ magnum singulis conferunt adjumentum: utilissimum quoque est ad convincendos hæreticos, qui Ecclesiæ definitiones respuunt, atque ad incautos præmonendos. Sed quamvis sit hoc studium apprimè utile, non singulis tamen est necessarium, ut alibi diximus. Hinc plures populi etiam sine Sacris Literis crediderunt, ut refert Irenæus; et modo etiam a rudibus et a catechumenis professionem symboli exigimus, quanquam Scripturas sacras non legerint; cur ergo recipere, ac eadem ratione firmiter credere non poterunt sine sacris Literis dogmaticas Ecclesiæ definitiones?

XI. Sed ecce tandem Bayle, la Placette, Boilier aliique veluti cuneo facto, qui non Facultatem modo Sorbonicam, sed et totam provocant Romanam Ecclesiam ut hoc eis argumentum solvat: Non constat inter catholicos, ajunt, ubinam resideat suprema illa judicandi potestas, cum quidam Romano Pontifici, alii generalibus Conciliis, alii demum Ecclesiæ toto orbe diffusæ eam attribuant; quod cum sit eis incertum, concludunt: constat catholicos in mero scepticismo versari. Eo tamen sophismate nihil ineptius proferri

potuerat. 1. enim quisnam his tenebrionibus dixit, non constare inter catholicos, quod hæc judicandi potestas agnoscenda et confitenda sit in Ecclesia sive ea consideretur toto orbe diffusa, sive in Conciliis œcumenicis congregata, quo in utroque statu eadem semper est Dei Ecclesia divino spiritu et favore suffulta? Itaque Catholici omnes supremam hanc et infallibilem judicandi potestatem in Ecclesia Universali agnoscunt, sive illa sit in Conciliis œcumenicis legitimè congregata, sive toto terrarum orbe dispersa et in unam eandemque doctrinam cum Romano Pontifice visibili Ecclesiæ Capite moraliter consentiens; ita ut nullus sit fidei articulus, qui ab Ecclesia sine summo Pontifice definitus habeatur. Si claram hanc et apertam catholicorum doctrinam hæretici non intelligere fingunt, non est doctrinæ defectus, sed pervicaciæ eorundem. Cæterum Bælius ipse (*in Diction. Art. Maimburg. Rem. D.*) Scribebat. « In omnibus societatibus esse tribunal debet a quo suprema sententia prodeat . . . . alioquin turbæ impediri non possent, et controversiæ in æternum durarent ». Cur ergo heterodoxi quod in singulis societatibus necessarium deprehendunt, id fidelium societati tanto molimine denegare pergunt, ut neque in Conciliis illud tribunal nolint confiteri? 2. Ex quo suprema illa potestate Ecclesia fruatur in Conciliis collecta, non videmus cur ea gaudere nequeat etiam per orbem diffusa ac in eandem sententiam cum suo Primate consentiens; nulla enim est inter utrumque Ecclesiæ statum pugna, et confitentur catholici omnes tam collectam quàm diffusam juxta Christi promissionem semper eam inerrantia in fide potiri. 3. Neque ex eo quod communis et probatissima sententia tenet,

hanc supremam judicandi potestatem esse in Summo etiam Pontifice agnoscendam, ullam inde pugnam et contradictionem oriri posse conspicimus; quin potius in hoc Dei providentiam agnoscimus, ut fusè jam demonstratum est. Quod si in exordio Ecclesiæ ea potestas residebat in Petro et in Conciliis a Petro collectis, imo singuli etiam Apostoli sive collecti sive divisi infallibiles erant, quin ulla inde oriretur pugna; cur in præsens, quando major etiam hujus potestatis necessitas adest, ea prærogativa residere in Ecclesia non poterit sive in Conciliis collecta, sive divisa et cum suo Capite consentiente, atque etiam in Romano Pontifice seorsim sumpto, ut ea potestate cum opus fuerit ad commune bonum utatur, præsertim cum non semper possit Concilium cogi, nec Ecclesia clarè audiri per orbem diffusa? Cum ergo Pontificiæ infallibilitatis vindices eandem prærogativam toti etiam Ecclesiæ tribuant, in fumum abit adversariorum sophisma, atque tantum abest ut Catholici incerti sint cui credant, et pyrrhonismo laborent, ut potius sibi multiplicent infallibilem auctoritatem cui firmissime absque erroris formidine assentiantur. Sed quid immeritò scepticismum catholicis exprobrant heterodoxi, in quem ipsi ex suo systemate præcipites ruunt, ut sæpius ostensum est, qui summa Ecclesiæ rejecta auctoritate, nihil eis jam superest, cui tutò adhæreant, sed incerti semper fluctuent necessum sit? (1)

(1) Invictè id recenter ostendit etiam ***Ab. F. de la Mennais*** in Opere ***Essai sur l'indifférence en matière de Religion.*** **Paris 1820. in 8. praesertim T. 2. quod opus opportunum est, ut omnes perlegant veritatis amantes.**

CAPUT III.

DE TRIDENTINI CONCILII AUCTORITATE.

I. Incredibile dictu est, quot inter heterodoxos calamum in Concilium Tridentinum acuerint, quorum antesignanos extitisse Calvinum in *Antidoto* et Chemnitium in *Examine Concilii Tridentini* perspectum omnibus est. Hos secuti sunt Car. Molinæus, Gentiletus, Jurius, aliique, quos solide refutarunt Didacus Payva d' Andrada Lusitanus unus ex cœtu Patrum Tridentinorum, Natalis Alexander peculiari dissertatione ad Sæculum XVI. Bossuetus, aliique innumeri inter quos eminet Cardinalis Pallavicinus in Historia Concilii Tridentini contra Paulum Sarpium. Cœptum est autem Concilium hoc sub Paulo III. an. 1545. completum vero an. 1563. die 4. Decembris sub Pio IV. continuatum nempe per annos integros decem et octo, illudque subscripserunt Patres numero ducenti quinquagintaquinque. Nemo autem miretur, Protestantes, qui omnia ferme Concilia hactenus ab Ecclesia celebrata, primis quatuor exceptis, parvi faciunt, contra nullum ita furiosè insurrexisse, ut contra Tridentinum. Ab hoc enim eorum errores omnes ita proscripti, condemnati, explosi, et præoccupati fuere, ut nullum eisdem effugium reliquerit. Qui cum resipiscere a suis hæresibus debuissent, furenter se agitare cœperunt, cæterorumque pravum hæresiarcharum exemplum secuti, sicut Nicænam Ariani, ita et ipsi Tridentinam Synodum impetere ac subvertere impiè conati sunt.

II. Quapropter cum jam Ecclesiæ summam auctoritatem et ab errore immunem demonstraverimus; et cum hæc potestas contra recentes hæreses in Tridentina synodo maximè effulserit, opportunum ducimus eam ab heterodoxorum dicteriis et criminationibus vindicare in præcipuis præsertim capitibus, in quibus ejus auctoritatem labefactare impio ausu aggressi sunt. Hic autem initio querelas heterodoxorum non morabimur, quibus Romanum Pontificem Concilium convocasse lamentantur, quod volunt ab Imperatore fuisse convocandum et in Germania colligendum. Quæ insulsa omninò sunt. Summus enim Pontifex, ut jam vidimus et inferius etiam demonstraturi sumus, ab ipso Evangelio et a tota antiquitate jure potitur Concilia œcumenica convocandi et ea in urbe colligendi ubi expedire eidem visum fuerit; nec a rebellibus aut ab hæreticis legem unquam accepit. Hinc refert Socrates Hist. Eccl. L. 2. c. 8. Concilium Antiochiæ celebratum ideo nullum fuisse habitum, quod Ro. Pontifex nec per se nec per suos Legatos eidem interfuisset, *cum Ecclesiastica regula interdictum sit*, ait, ne præter sententiam R. Pontificis in Ecclesiis quidquam decernatur: Του κανονος Εκκλησιαστικου μη δειν παρα την γνωμην του Επισκοπου Ρώμης τας Εκκλησιας κανονιζειν. Quod reliqua monumenta testantur, quibus consentit Sozomenus L. 3. c. 10. affirmans: *Legem esse Sacerdotalem, ut irrita habeantur quae praeter sententiam Romani Episcopi gesta fuerint*. Ridendi sunt igitur heterodoxi, cum volunt, ut eorum gratia Ro. Pontifex suis se Primatus juribus exuat, quibus ad Ecclesiæ bonum et incolumitatem divinitus donatus est. Sed dato etiam quod Concilium in Germania Imperator congregasset,

an ne regiones reliquæ, quæ ipsi non subsunt, ad illud convenissent? Aut fuisset ergo particulare Concilium, quod causam peremptoriè non potuisset definire: aut si generale esse debuerat, nonnisi Pontificia auctoritate, quæ per orbem universum extenditur, indicendum fuerat. Et quidem causa hæc non ad Germaniam tantum, at verò ad universam pertinebat Ecclesiam. Quod si Leo X. novatorum errores in antecessum proscripserat, id egit quod Summi Pontifices ut suo muneri satisfacerent semper agere consuevere. Nec enim pati debuerat, ut perniciosi errores impunè grassarentur, præsertim cum non tam facile œcumenicum Concilium colligi posset, ut experientia et historia testis fuit.

III. Insana est etiam protestantium querimonia, quod in ea Synodo Ecclesia Catholica fuerit pars simul et judex, quia, inquiunt, causa erat inter Catholicos et protestantes judicanda; nempe, quod idem est, inter legitimam auctoritatem et rebelles. Quis audivit unquam tale! Sed ad quodnam tribunal supremam in terris potestatem provocare voluissent? Non ne videbant errones isti, quod hac semel admissa absurditate, nemo amplius in terris judicari posset, nec ulla unquam hæresis condemnari? Nam causa semper inter Ecclesiam catholicam et novatores agebatur, eodemque prætextu ab Ecclesiæ judicio se subtrahere semper potuissent Arius, Macedonius, Nestorius et quotquot in Synodis œcumenicis condemnati sunt; eo itaque jure quo illi hæresiarchæ, eodem planè proscripti sunt Lutherus, Calvinus, et asseclæ eorundem. Revera audiendam esse Ecclesiam Christus jusserat Matthei XVI. legitimos nempe Ecclesiæ Pastores, *quos*, ut ait Apostolus Act.

XX. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: novatores autem qui huic potestati resistunt, præceptum est, ut infideles habeantur. An Lutherani et Calvinistæ ostenderunt unquam se veram esse Christi Ecclesiam, aut esse Episcopos positos a Spiritu Sancto? Et non potius dictis factisque demonstrarunt se fures esse ac latrones, qui non per ostium (Jo. X.) sed ascenderunt aliunde ut mactarent et perderent? Hæc in Evangelio ita clara sunt, ut ipsi hæretici, qui Ecclesiæ formam imitari affectarunt, non aliter adversus contradicentes se gesserint, ut contra Remonstrantes, et deistas, qui eorum synodis nulla suffultis auctoritate parere nolebant. Quanto magis igitur supremæ Catholicæ Ecclesiæ auctoritati a Domino institutæ et a Sancto Spiritu directæ protestantes parere tenentur.

IV. Ludicra etiam sunt, quæ opponunt, ut Concilium hoc non fuisse œcumenicum contendant; quod nempe ad illud græci schismatici non convenerint, aut quod protestantes ad illud vocati non sint. Ajunt etiam exiguum adfuisse Episcoporum numerum, initio præsertim sub Paulo III. et contra sessiones sub ipso habitas reclamasse Germanos, et Gallos reclamasse contra Sessiones sub Julio III. celebratas. Atque tandem volunt, Concilium hoc non fuisse ubique receptum, ut in Galliis. Quæ omnia aut malè ab hæreticis relata sunt, aut pro ingenio suo conficta. Quantum enim ad priora duo attinet objecta, hanc Synodum verè fuisse œcumenicam constat ex Bulla convocationis, et ex sollicitudine Romanorum Pontificum, ut major, qui fieri posset, Episcoporum numerus ex provinciis omnibus conveniret. Licet autem Concilium unicuique nationi et schis-

mati etiam pateret, ut ad illud accedere omnes possent pro suis causis componendis, non tamen unquam factum est, ut qui ob hæresim aut schisma ab Ecclesia disjuncti essent ad Concilium vocarentur, ut græci dissentientes quorum causa in Florentina Synodo jam fuerat definita. Nihilominus protestantes fuerant invitati, et amplissima potestate communiti, quo possent de rebus quæ in ipsa Synodo tractari debuerant plena libertate remotis conviciis disputare et conferre, nec non tutò quando eis placuisset a Concilio recedere; eademque potestas ad omnes dissidentes extensa fuit, ut ex Actis Concilii patet, qua tamen uti noluerunt. Frustra igitur conqueruntur, quod inauditi condemnati fuerint. Quanquam nemo nominatim damnatus sit, sed errores tantùm proscripti quos in suis Libris disseminaverant et ab auritis testibus referebantur. Quare inauditos fuisse eorum errores condemnatos, cum sua id culpa evenerit, non nisi immerito conqueri possunt; potissimum cum eorum causa in suis libris et actis diligenter expensa fuerit, ut testes sunt historici luculentissimi.

V. Quod ajunt de exiguo Episcoporum numero ad Sessiones sub Paulo III. habitas aut sub Julio III. deque oppositionibus a Germanis et Gallis factis, nullius ponderis pariter habendum est, postquam decisiones omnes ac doctrinæ totius Concilii in postrema Sessione fuere demum unanimi calculo comprobatæ, et ab universa Ecclesia receptæ. Sed et Concilium jure indictum omnibus omninò catholicis Episcopis patebat, ut si exterarum nationum pauci interfuere nihil deroget ejusdem auctoritati, cum eorum pluribus cæterorum suffragium fuerit demandatum, tum Concilium

ab universo orbe Catholico fuerit receptum; potissimum cum non de nova statuenda doctrina sed de antiqua testanda ageretur. Nihil etiam impedit parvus numerus, nam ad Tridentinum plures convenere Episcopi quàm ad nonnulla veterum œcumenica, licet major tunc extaret Episcoporum numerus, et ab occidente paucissimi convenissent: ita in Ephesina Synodo plusquam ducenti erant orientales Episcopi, et nonnisi duo aut tres ex occidente: in Chalcedonensi pariter duo aut tres occidentales, orientales vero sexcenti, nec propterea quisquam conquestus est, quasi orientales tunc dominati essent. Persuasum enim semper Ecclesiæ fuit, Conciliorum auctoritatem non a numero pendere, sed ab eorum legitima convocatione et celebratione, quibus tunc Spiritus Sancti præsentia et virtus promissa est.

VI. Falsum quoque est Concilium Tridentinum in toto Orbe Catholico in iis quæ ad Fidem et ad mores pertinent plenis suffragiis non fuisse receptum. Nec dicant, admissam fuisse doctrinam, non vero Concilium ipsum. Nam ubique recepta est fidei professio a Pio IV. edita, quæ a Catholicis omnibus præsertim ab Episcopis, Beneficiatis, et Doctoribus cum opus est emittitur. Hæc autem Professio non tantùm universam hujus Concilii doctrinam summatim complectitur, sed et distincta Tridentini mentio in ea habetur et œcumenicum cum cæteris declaratur, ex quo summa illius auctoritas descendit: ibi enim hæc verba leguntur: *Caetera item omnia a Sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipuè a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor*. Quinimo Natalis Alexan-

der Dissert. XII. in Sæc. XVI. pro certo affirmat, hanc Tridentinam Synodum etiam in Galliis fuisse receptam quoad omnes ejus partes in generalibus Cleri comitiis illam Ecclesiam repræsentantibus an. 1615. quamvis hujus actus promulgationem ob nonnulla ad disciplinam spectantia, quæ Regni consuetudinibus adversari videbantur, hactenus a Rege impetrare non potuerit. Quantum verò ad fidei definitiones Concilium ut par erat fuisse admissum atque etiam publico edicto promulgatum anno 1579. patet ex Petro de Marca *De Concordia* L. II. C. VII. N. 6. Imo constat supradictam Professionem Fidei fuisse adhibitam in abjuratione, quam nomine Henrici IV. Romæ emisere Cardinales Perronius et Ossatus, nec ulla ratio suadet, integrè non fuisse emissam etiam ab illo Rege in Galliis, licet hujus actus exemplar non inveniatur. Quod ergo ajunt, Regem Galliæ, seu potius aulicos et *Parlamenta* Clero sæpius restitisse pro ejusdem Concilii receptione, de rebus intelligi debet et consuetudinibus ad disciplinam spectantibus quas Jurisconsulti galli *Libertates* appellant, sed Clerus cum Claudio Fleury uti *servitutes* considerat quibus a laicis tribunalibus Ecclesiastica auctoritas mancipatur. In rebus tamen fidei nunquam deliberatum fuit, an recipi debuisset; alioquin deliberassent, an catholici esse vellent, nec ne; quod de regno christianissimo nefas est cogitare. At quæ disciplinam spectant pro variis regionibus Ecclesia diversas tolerat consuetudines, ut etiam non rarò antiquitus toleravit. Cæterum quæcumque Decreta etiam circa disciplinam sancita adeo sapienter statuta sunt, ut si toto orbe accurate servarentur, nihil opus esset aliud, ut pax regnaret ubique terrarum, et mores ac Religio florerent.

VII. Demum supervacaneum ducimus in re tam clara et ab universa catholica Ecclesia solemniter recepta minutiora persequi objecta ab hæreticis prolata, quorum invidia, odium et effrænis audacia tot inepta, absurda et impia effutivere contra augustum hunc catholicæ Ecclesiæ Senatum, ut incredibilia viderentur, nisi in eorum libris exarata ea legeremus. Verum cum insolentissimæ insaniæ sit contra auctoritatem tantam disputare quanta in terris nulla esse major potest, hos temerarios et impios obtrectatores in suo cœno deserere satius est quàm ulterius audire. Si quis verò plura cupit in hujus sacræ Synodi patrocinium ac defensionem, adeat recensitos auctores, deinde Cabassutium *Notitia Conciliorum*, Gazzanigam T. I. Bergierium *Diction. Theo.* Art. *Trente Conc. etc.*

CAPUT IV.

QUINAM IN ECCLESIA JURE POTIATUR GENERALIA CONCILIA CONVOCANDI, EISDEM PRÆSIDENDI, EADEMQUE CONFIRMANDI, INQUIRITUR.

I. Quænam conditiones requirantur, ut œcumenicæ Synodi legitimæ habeantur, jam supra innuimus Cap. I. huj. Sect. Nunc verò data opera statuendum est ad quemnam pertineat eas convocare, eisdem præesse, easdemque confirmare. *Has autem partes ad Romanum Pontificem pertinere universa Ecclesia semper agnovit et confessa est*, idque contra Catholicæ Ecclesiæ adversarios invictissimis argumentis ostenditur. Nam 1. id evincit ipsius auctoritas in Ecclesiam

universam, qua pollet jure Primatus; cum eidem a Christo dictum sit in persona Petri: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*. 2. Ut Concilia sint legitima in ipsius Christi nomine convocata esse debent, dicente ipso: *Ubi convocati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* ab ea ergo auctoritate, quam ipse in sua Ecclesia reliquit, colligantur necesse est, nempe a successore principis Apostolorum; alioquin ejus ordo perverteretur, et spuria esset congregatio. Hinc primum Apostolorum Concilium a S. Petro indictum est, Actor. I., et S. Jo. Chrysostomus super ea verba *Exsurgens Petrus in medio fratrum dixit*: hanc tradit explicationem, nempe *utpote fervens, cui grex a Christo concreditus erat, atque ut primus in choro, primus semper sermonem orditur*. 3. Id semper antiqua novit Ecclesia, ut constat ex veteri illo Canone, quem Julius Papa I. Epist. ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ Apostolicum vocat, quemque Alexandrina Synodus Epistola ad Felicem a Nicæna I. renovatum esse testatur, quo statuitur: *Praeter sententiam Romani Pontificis non posse Concilia celebrari*: ut referunt etiam Socrates et Sozomenus (Cap. præced. N. II.). Id confirmarunt PP. Chalcedonenses qui Dioscorum Alexandrinum Patriarcham inter Episcopos sedere non permisere, quod inconsulta Romana Sede ausus fuerit Synodum congregare, quique clamarunt, *id nunquam factum, id nunquam licitum fuisse*; quod constat præterea ex facto Concilii Romani IV. in causa Symmachi, in quo Patres conquerebantur, non a Theodorico Rege, sed a Papa Concilium debuisse convocari; nec quieverunt donec Pontifex testatus est, suum consensum præbuisse. 4.

Ab eo indici debet generale Concilium, qui omnes potestatem habet congregandi: at nullus unquam Rex, nullus Imperator tam latè dominatus est, ut Ecclesia tota; a totius igitur Ecclesiæ Primate, cui potestas universam Ecclesiam regendi collata est, œcumenica Synodus est congreganda. 5. Denique summa in Ecclesia confusio et perturbatio oriretur, si aut Patriarchis singulis, Archiepiscopis, aut etiam Imperantibus jus esset Ecclesiæ præsules colligendi; Deus ergo, cum sit Deus ordinis, repugnat ut eam confusionem unquam voluerit aut constituerit in sua Ecclesia, quam sicut aciem ordinavit.

II. Cur ergo, inquiunt nonnulli, priora octo generalia Concilia ab Imperatoribus convocata sunt? Quibus respondendum, clarum esse cum ex jure tum ex historia, Imperatores non ordinaria id potestate fecisse, at modo cum cooperatione aut consensu, modo etiam ad preces Summorum Pontificum: Ita de prima Nicæna Synodo legitur in Sexta Synodo Act. XVIII. *Constantinum et Sylvestrum Synodum apud Nicaeam congregasse*. Damasus etiam scribit in Pontificali, cum Sylvestri consensu habitum fuisse in Nicæa Concilium. Patres quoque Concilii Cpolitani I. ad Damasum scribunt: *Mandato literarum superiore annò a vestra reverentia ad SS. Imperatorem Theodosium missarum ad iter dumtaxat Cpolim usque faciendum nos praeparavimus*. Damasi mandato igitur Theodosius synodum illam indixerat. Prosper etiam in Chronico non obscurè indicat, Ephesinam synodum Cyrilli sollicitudine, ac Cælestini auctoritate coactam fuisse. In Actis quoque synodi Chalcedonensis legitur Epistola ad Leonem Imp. in qua hæc habentur: *In*

Chalcedonensi civitate multi sancti Episcopi convenerunt per jussionem Romani Pontificis Leonis, qui verè caput est Episcoporum. Atque ita de singulis dicendum. Revera quis unquam somniaverit, ad civiles potestates aut magistratus pertinere synodorum convocationem, cum hoc sit munus Episcoporum, quos, ut ait Apostolus, Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei? Apostoli id certè ne quidem cogitarunt. Secundo Sæculo decem et octo Synodi numerantur habitæ: tertio Ecclesiæ Sæculo tercentæ circiter: Sæculo IV. centumquinquaginta, quin fuerint ab Imperatoribus congregatæ. Id verò nullo modo facere possent, quoties contingeret, ut hæretici aut apostatæ evaderent.

III. Imperatores tamen catholici ac Reges ab Ecclesia exorantur, ut auxilium et protectionem impendant ac præstent ad synodos colligendas, quod pro Ecclesiæ bono sæpissimè fecerunt, quin unquam sibi potestatem arrogare voluerint Ecclesiæ negotia gerendi. Contendunt quidem nonnulli; posse Principes intra suæ ditionis fines Episcoporum aut Ecclesiasticorum convocationem jubere; at cum id fiat, poterunt quidem uti comitia civilia considerari, non verò ut Ecclesiæ conventus, qui non nisi ab Ecclesiastica potestate, ut vidimus, indici et rata haberi possunt. Sunt etiam qui volunt, in nonnullis casibus ab alio quam a Summo Pontifice Generale Concilium convocari posse, ut causa Schismatis in Romana Sede, quando nullus ab universa Ecclesia legitimus agnoscatur: aut si in aperta Ecclesiæ necessitate legitimus Pontifex synodum colligere nollet, vel si captivus apud infideles teneretur, aut in similibus circumstantiis, in quibus rerum angustiis,

ut Ecclesiæ succurratur, sentiunt, Cardinales posse synodum congregare. Revera inficiari nequimus, accidere aliquando posse, ut licitè a Cardinalibus synodus colligatur. Verum existimandum est, nunquam pro œcumenica Synodo, sed perfectam tantummodo ex parte ac relatè ad circumstantias esse habendam, quoadusque a legitimo Pontifice confirmata non sit.

IV. Requiritur secundò, ut Summus Pontifex Synodis œcumenicis præsit, quod ex eodem Primatus jure descendit, ut consentiunt catholici omnes. Hinc fuit constans Ecclesiæ praxis, ut Orientalibus Conciliis per Legatos suos præsideret; quod per se ipsum præstitit in Occidentalibus, Tridentino excepto cui per Legatos tantum justis de causis censuit præsidere. Quod si legitur aliquando, Imperatores, ut Constantinus aliique, præfuisse Nicæno et aliis Orientis Conciliis; non de præsidatu potestatis et jurisdictionis id est intelligendum, at verò de eorundem præsentia honoris causa, atque interfuisse non ut judices et definientes, sed uti tutores ac defensores, quemadmodum Constantinus ipse testabatur. Quare sicut, Athanasius refert, Hosius jam Nicænæ Synodi Præses pro Sylvestro R. Pontifice Constantio Imperatori scribebat: *Ne nobis in hoc genere praecipe, sed ea potius a nobis: si tibi Deus imperium commisit nobis ea quae sunt Ecclesiae concredidit*. In eam rem concordant Patres omnes Athanasius, Nazianzenus, Chrysostomus: imo Ambrosius testatur ad Valentinianum II. scribens Epist. XXI. idem sensisse ejus patrem Valentinianum I. *Pater tuus*, inquiens, *Vir maturioris aevi dicebat: Non est meum judicare inter Episcopos*. Idem scribit Sozomenus L. 6. Hist. c. 7. qui eundem Valenti-

nianum dixisse refert: *Mihi quidem in laicorum ordine constituto fas non est hujusmodi negotia curiosius scrutari: Sacerdotes verò quibus id curae est, seorsum ubicumque voluerint conveniant*: sed et Constantinus Magnus referente Rufino L. 1. C. 1. Hist. Eccl. respondebat: *Deus vos constituit Sacerdotes et potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi, et ideo nos a vobis ritè judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari*. Eadem sensere Imperatores alii, Theodosius Junior, Epist. ad PP. Concilii Ephesini, Marcianus, in Orat ad PP. Concilii Chalcedon. Justinianus Novella LXXXIII. Basilius Imp. in Orat. ad PP. VIII. Synodi Gen. quibus universa Ecclesiæ praxis concordat, ut ea de re nulli dubium suboriri possit. Facta ergo nonnulla quæ ab hæreticis in contrarium afferuntur, aut nullo jure gesta sunt, aut consentiente ac rogante Ecclesia ad effectum decretorum obtinendum. Nec voces quædam aliquando adhibitæ strictè ac in sensu juridico sumendæ sunt, ut cum Carolus M. ad Elipandum scribit: *Congregationi Sacerdotum auditor et arbiter assedi, discrevimus, ac Deo donante decrevimus* etc. quibus verbis fortasse ad Elipandum fortius commovendum usus est, cum tamen nihil indicare velit aliud, quàm Episcoporum decretis consensum præbuisse; subdit enim: *cum his sanctissimis Patrum Decretis meum consensum subnexui*.

V. Tertio itaque statuendum est, Oecumenicam synodum per Legatos summi Pontificis celebratam firma ac certa non pollere auctoritate quoadusque a Pontifice confirmata non sit. Nam 1. tunc careret confirmatione illius pro cujus fide, ne deficeret, Christus

ipse rogaverat et ad quem fidei summa referenda est. Quidquid itaque in contrarium dicant opinionis gallicanæ patroni, certum est, communi sententia fideles semper existimasse, non teneri se Conciliorum definitiones agnoscere uti erroris expertes et inducentes obligandi vim, quoadusque Summi Pontificis confirmatione et adprobatione caruerint. 2. Huic sententiæ conformis est veteris et recentioris Ecclesiæ praxis; nam Synodus Nicæna I. Epist. ad Sylvestrum Papam, quam in hujus thematis confirmationem adducit Canus de Locis L. V. c. 5. et habetur apud Labbeum, his verbis eam confirmationem efflagitabat: *Quidquid constituimus, praestolamur, ut vestri oris consortio confirmetur.* Cui respondit: *Confirmo.... et probo, quae in vestrum nostrumque manavere mysterium* etc. Idipsum testantur PP. Chalcedonenses Epistola ad Leonem P. et Leonis responsio. 3. Ecclesia ante Pontificis confirmationem nunqnam firmum ratumque habuit, quod a Legatis in synodo præsidentibus definitum est, ut ex Marciano Augusto patet, qui a Leone prædictæ synodi confirmationem postulavit, post quam Leo Epist. LVII. Marciano commendavit, ut sui adprobationem ad omnes Ecclesias perferret. Cujus rei ratio est, quod summus Pontifex cum suæ fidei soliditatem in Legatos transferre non possit, hinc Legati in Synodo ab errore non possent esse immunes, cum non pro Legatis Petri, sed pro Petro rogaverit Christus, ne illius fides unquàm deficeret. Hinc in VIII. Synodo Pontificii Legati conditionatè conscripsere; atque in cæteris quascumque definitiones emiserint, conditio isthæc aut exprimitur aut subintelligitur, ut intelligitur in particularibus Synodis, quæ certè infallibiles per se

non habentur: imo Patres Francofordienses anno 794. apertè declararunt, Concilium nullam vim habere, quod a Papa confirmatum non sit.

VI. His accedit auctoritas Synodi Nicænæ II. sess. III. quæ declarabat, nihil ei derogare Patriarcharum Alexandriæ, Antiochiæ et Hierosolymorum absentiam, potissimum quod SS. Papa Urbis Romæ Synodo assentiretur, eidèmque per suos Legatos interesset. E contra S. Stephanus Abbas cuidam Episcopo iconoclastæ, qui Synodum pro sua causa afferebat, quam laudabat uti œcumenicam, statim respondit: *Quomodo oecumenica, si a Papa urbis Romae adprobata non est, et canones vetent, ne absque ipsius consensu quidquam in Ecclesiis decernatur?* Ita et Nicolaus I. ad Michaelem Imp. in Synodo VIII. Act. VII. Et Eugenius IV. in Decreto super unionem Jacobitarum habet: *Suscepit S. Romana Ecclesia omnes universales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitimè congregatas celebratas et confirmatas*. Hanc eandem regulam sequebatur Justinianus Imp. cum enixè postulabat, ut synodus Quinisexta sive Trullana, quæ œcumenica videbatur, et cum interventu Legatorum Pontificis celebrata, a Sum. Pontifice confirmaretur cum iis emendationibus, quæ Sergio I. ac postea Joanni VII. placuissent. At hæc Synodus, cum nunquam confirmata esset, sine auctoritate ulla in Ecclesia mansit. Hinc ipsa demum generalia Concilia secundum eam tantum partem obligationem inducunt, cui pondus addidit Ro. Pontifex: ita Concilium generale II. pro primo dumtaxat obligat fidei Canone a S. Damaso adprobato, et Chalcedonense pro sex tantum prioribus Sessionibus a S. Leone confirmatis.

VII. Contra hæc acta igitur et probata nullius planè roboris habenda sunt, quæ proferunt nonnulli cum Auctore *Defensionis Cleri Gallicani*; cum ajunt, generalem Synodum per Legatos Pontificios celebratam universalem repræsentare Ecclesiam, ut etiam a Martino V. in Synodo Constantiensi definitum est: atque etiam tales Synodos in Spiritu Sancto esse congregatas, eundemque præsentem habeant et assistentem, ut propterea omni polleat auctoritate nec errare possit, atque proinde nulla indigeat confirmatione; non, inquam, hæc necessitatem hujus confirmationis infringunt, cum ea ad hoc requiratur, ut constet revera usque in finem Synodum legitimè fuisse celebratam, eidemque Spiritus Dei præsentiam adfuisse. Licet enim Legati ad Concilium accedant de Romanæ Ecclesiæ fide instructi, non id tamen semper contingit, et nova ibi tractari poterunt, quæ prævisa non sint. Quare Martinus V. dum generale Concilium ait, universam repræsentare Ecclesiam, de Concilio legitimo id intelligit, cui nempe R. Pontifex præsit, et cui suam conferat adprobationem: posset enim Concilium Legatis et Legati Concilio repugnare, atque tunc Ecclesiam universam non repræsentaret: possent præterea Legati corrumpi, ut contigit in Concilio sub Michaele Imp. in causa Photii celebrato, quemadmodum patet ex Epistola Nicolai I. ad Patriarchas Metropolitas. Ut ergo de Concilii constet actis legitimis, deque consensu totius Ecclesiæ dispersæ, quæ divinæ Providentiæ ope cum Summo Pontifice semper consentit, atque ut Ecclesiæ universæ tandem constet de Spiritus Sancti præsentia et auxilio, requiritur, ut ab Ecclesia tota expectetur, ut semper se gessit, Summi Pontificis con-

firmatio, qua deficiente Ecclesia fluctuaret incerta, quod esse non potest.

CAPUT V.

DE ROMANI PONTIFICIS IN GENERALE CONCILIUM POTESTATE.

I. Controversia modo agitanda est contra secundam propositionem jactatæ *Declarationis Cleri Gallicani* de auctoritate, quam tribuit Concilio generali supra ipsum R. Pontificem certum etiam ac indubitatum, quod fretus spuriis decretis Concilii Constantiensis Sess. IV. et V. declarare posse sibi arrogavit. Dum tamen R. Pontificis præstantiam supra Generale Concilium tuebimur, non jam est animus de iis Synodis loqui a prædecessoribus Summis Pontificibus jam celebratis ratisque habitis, ut manifestum est; at verò de iis quæ universim convocatæ eo ipso tempore celebrantur, nec adhuc legitimæ declaratæ sunt, confirmatæ, et Ecclesiæ universæ propositæ. Præterea considerandum est, posse contingere, ut ob peculiares circumstantias, Synodus generatim collecta supra R. Pontificem juxta communem sententiam potestate fulgeat, idque 1. cum duo vel plures de Summo Pontificatu contendant, nec ullus eorum sit certus et indubitatus Pontifex, aut aliter quàm per Concilium generale contentio dirimi nequeat; tunc enim Synodus generalis a Cardinalibus convocanda est; cum necessitas postulet, ut de Pontifice indubio Ecclesiæ provideatur. 2. Si Pontifex manifestus esset hæreticus aut apostata, adversus quem fo-

ret Synodus indicenda; quo jure tunc etiam Cardinales fruerentur, tanquam si Apostolica Sedes vacaret. 3. Si Pontifex in dementiam insanabilem caderet, et necessitas urgeret Synodum convocandi, idem esset agendum, ac suprema Concilii potestate Ecclesiæ necessitatibus providendum. At vero si tantum in captivitatem incideret apud hæreticos aut infideles, pro eo esset orandum, ut contigit cum Petrus servabatur in carcere (Act.XII.); tunc enim *oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo;* nec absque summa necessitate synodus colligenda. Aberrat itaque auctor *Theologiae Lugdunensis* dum cum suis gallis T. I. Diss. VI. C. II. ait, ultramontanos et præsertim italos nimium studiosos promovendi ultra limites Ro. Pontificis auctoritatem, eum Conciliis generalibus ita superiorem esse contendere, ut si eis non adsit, vel non consentiat, nihil decernere possit Synodus generalis, quod Papam obliget; quam *doctrinam antiquis Patribus inauditam* dicit, cum potius inauditam antiquis gallorum opinionem dicere debuisset, quæ non nisi a Synodi Constantiensis ævo contra totius fere orbis sententiam agitari cœpit (1).

(1) Sunt docti viri, qui hanc thesim de Concilii præstantia supra Pontificem aut ridiculam et sophisticam habent, aut absurdam; cum absque Papa aut absque illius approbatione nullum ratum esse Concilium queat: et quod in ea hypothesi consideretur Ecclesia veluti capite diminuta, aut in suum caput et in centrum unitatis insurgens; quæ æque absurda sunt, et Ecclesiæ naturæ adversa. Imo adeo absona sunt, ut ipsis Protestantibus stomachum moverint, uti Puffendorfio, qui (*De habitud. Christ. Religionis ad vitam Civ.*) hæc scribit : *Concilium esse supra Papam thesis est; sed quod isti quoque hanc propositionem asserere velint, qui Sedem Romanam omnium Ecclesiarum centrum, ac*

II. Quæstio autem hic instituitur de Pontifice indubitato, legitimo, ac certo, ejusdemque supra Concilium præstantiam validisssimis argumentis constare ostenditur. Nam 1. hæc illius excellentia oritur ex ipsius munere ac dignitate, qua R. Pontifex suus a Christo Domino in terris Vicarius constitutus est; ut propterea ejus vices in Ecclesia, sive collecta sit sive per orbem diffusa, gerat oportet. Ut ergo Christus Caput est Ecclesiæ et Princeps Pastorum, ita proportione servata ejus in terris vices gerens. Nec inde confici posset ab adversariis, hoc argumentum nimis probare, quasi diceretur, R. Pontificis auctoritatem æquare potestatem ipsius Christi. Non, inquam, id sequeretur; nam Christi potestas est absoluta, ea vero Vicarii ipsius communicata est, ac limitata ad ea quæ sunt Ecclesiæ regimini necessaria; quæ tamen independens et suprema in Ecclesia esse debet, ut regere Ecclesiam possit quæ, sive congregata sit sive diffusa, eadem semper est Ecclesia, nec ex quo in Synodum colligatur, naturam mutat. Revera Summus Pontifex est supremus Pastor Gregis Christi, cui dictum est in persona Petri: *pasce agnos meos, pasce oves meas:* At pastor semper

Papam oecumenicum Episcopum agnoscunt, id quidem non parum absurditatis habet; cum Status Ecclesiae Romanae Monarchicus sit, ista autem thesis meram aristocratiam oleat. Eam opinionem a Gallis defendi posse mirabantur etiam Moshemius, qui in Dissert. *da Appellatione* hæc habet: *Quod singulis Ecclesiis praeesse Pontificem dicunt, non universae Ecclesiae, id tam mihi scitum videtur, ut si quis affirmaret, membra quidem a capite regi, non verò quod ex membris constat, corpus; et urbes quidem omnes, villas, et praedia subesse Regi, non verò, quae his continetur, ipsam provinciam.* Galli ergo ea opinione ipsis Protestantibus se ridendos produnt.

præest gregi suo sive congregato sive disjuncto. Dum ergo adversarii ajunt, R. Pontificem præesse quidem gregi disperso non verò conjuncto, id dicunt, quod in naturæ ordine non evenit unquam, neque evenire potest. Quando enim contigit unquam, ut aliquis pastor se gregi suo subjecerit sive disperso sive congregato? An cum grex collectus est dominium super pastorem acquirit? Nonne tunc schismaticus grex esset ac perduellionis reus? Non ne grex pastore tunc esset destitutus? Si omnes in Concilio æquali jurisdictionis potestate Episcopi fruerentur, non ne congregatio esset acephala, non ne turba esset inordinata? Quis turbas sedaret, quis partes componeret, quis auctoritate dissidentes compesceret? Non R. Pontifex qui ea congregata multitudine inferior haberetur: Non potiori jure alius quisquam, cum omnes æquales esse vellent, nec unus alteri subjectus? An suffragiorum pluralitas vinceret? Sed non ne adversarii sæpe ajunt, requiri suffragiorum unanimitatem? Videant ergo in quot proruunt absurda. Videntur tamen galli in famosa declaratione rem composuisse cum Prop. IV. statuerunt, *In fidei quaestionibus praecipuas quidem Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere*; . . . Quæ verba si aliquid significant, præstantiam utique denotant super Ecclesiam universam, ac sequentibus verbis supra relatis Sect. III. C. XXX. N. 1. directè opponuntur.

III. Concilium præterea ne sit acephalum, sed verè œcumenicum, opus habet non solum ut a R. Pontifice convocetur et dirigatur, sed etiam ut confirmetur; quæ partes sine superiori potestate expleri non possent, ut cap. præcedenti ostensum est. Habet hic au-

ctor Theol. Lugd. (Diss. VI. C. II. ad 8. Object.) eam confirmationem significare adhæsionem, suique suffragii accessionem, non vero super Concilia auctoritatem; et in exemplum adducit confirmationes Synodorum generalium a posterioribus Synodis factas, constitutionum prædecessorum Pontificum a successoribus, et etiam confirmationes Synodorum ab Imperatoribus petitas et impetratas. Nec nos inficiamur, non rarò confirmare idem significasse ac decretis adhærere, eaque recipere; at fallitur auctor, cum eam significationem ad omnes confirmationis actus extendit. Adducta enim exempla manifestè adhæsionem declarant; Pontificia verò Synodorum confirmatio potestatem innuit super Synodorum decreta, cum iis non modo aliquando adhæreat, sed non rarò ea abroget, suspendat, irrita et nulla declaret, ut vidimus (Cap. præced.), et infra visuri sumus; quæ sane acta supremam ostendunt potestatem. Hinc Hyacinthus Serry Dissert. *de R. Pontifice* maximè urget hoc argumentum ex jure desumptum, quo fruuntur R. Pontifices Concilia Oecumenica confirmandi. Nam eo jure non solum Concilia approbant eisque adhærent, sed jure præditi sunt judiciali; ut authenticè de illorum Decretis judicium faciant, valeantque pro potestate rescindere, infringere, et irritum facere ac inane, quod certè arguit eminentiam potestatis. Nam septem numerantur Concilia convocatione generalia quæ a R. Pontificibus penitus abrogata sunt: sex verò partim confirmata, partim reprobata. Priora sunt 1. Antiochenum an. 345., in quo damnatus fuerat S. Athanasius, a S. Julio I. reprobatum. 2. Mediolanense 300. Episcoporum an 354; ac 3. Ariminense 600. Episcoporum an. 363. utrumque a Liberio rejectum. 4.

Ephesinum II. an. 449. a S. Leone proscriptum. 5. Cpolitanum sub Leone Isaurico an. 730. a S. Gregorio II. damnatum. 6. Cpolitanum sub Copronymo 338. Episcoporum an. 755. a S. Paulo I. rejectum. 7. Pisanum II. an. 1511. ab Julio II. proscriptum in Lateranensi V. in quo præterea Leo X. Bullam directivam edidit *Sacro approbante Concilio* uti regulam Disciplinæ tenendam, qua statuit R. Pontificis auctoritatem supra Generalia Concilia: *Cum praesertim*, inquit, *solum R. Pontificem tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus ac potestatem habere, ne dum ex Sacrae Scripturae testimonio constet etc*: Posteriora autem Concilia ex parte rejecta recensentur Sardicense, Sirmiense, Quinisextum, Francofordiense, Constantiense, Basileense, et alia. Hæc autem gesta non ne supremam demonstrant super Concilia auctoritatem, præsertim quod actum est circa Ariminense et Ephesinum a Liberio et Leone, qui eorum acta non solum resciderunt sed et formulam jusserunt subscribendam omnino illi contrariam, quam Concilia direxerant? Quod si hæc ratio validissima non est, nescio quid aliud fortius afferri queat pro hac summa potestate ostendenda.

IV. Nec desunt alia momenta quibus pervicaces revinci queant. Nam tertio loco id ex eo conficitur, quod, ut omnes consentiunt, Concilio dubio superior semper est Pontifex legitimus ac certus: sed Concilia quæcumque dubiæ semper auctoritatis habita sunt, quoadusque a Pontifice legitimo atque indubio confirmata non fuerint ac roborata; (ex. n. III. præced.) iis ergo superior sit, necesse est. Hinc R. Pontifex

semper ut vidimus, agnitus est caput Ecclesiæ; unde in Concilio Constan. damnatæ sunt binæ propositiones Joannis Hus illud negantis, quarum altera est: *Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia militante conversetur*. Quod si Ecclesia semper indiget suo capite quod eam regat, jam ejus claret præstantia. Revera Concilia acephala, aut Pontifici opposita, vel ab eo non confirmata, nunquam in Ecclesia habita sunt organa certa Spiritus Sancti, nec ab errore immunia; ut ea quæ legitima auctoritate destituta erant; qua de re hæc docebat S. Leo M. Epist. IV. *Non lateat vos, non debere praeter sententiam R. Pontificis Universale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi. Quia etsi licet examinare, definitivam tamen dare sententiam absque consultu R. Pontificis non licet; quod in Sacris canonibus statutum potestis invenire: Scilicet quia omnium Ecclesiarum majores et difficiliores causae per S. Sedem definiendae sunt*. Quod confirmabat Nicolaus I. Epis. VII. scribens: *Denique in universalibus Synodis quid ratum, vel quid prorsus acceptum, nisi quod Sedes B. Petri probavit, ut ipsi scitis? sicut e contra, quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodo constat hactenus reprobatum*.

V. Denique præter plura, hæc doctrina ex Ecclesiæ consuetudine confirmatur. Quatuor enim priores œcumenicæ Synodi confirmationem a R. Pontifice petiere, ejusdemque auctoritatem apertè testatæ sunt; quod erga nullum alium Patriarcham fecere. Et quidem Nicæna I. ad Silvestrum scripsit: *Quod autem*

constituimus, *precamur*, *ut vestri oris consortio confirmetur*. Cpolitana I. item Romæ examinata est, et a S. Damaso confirmata. In Ephesina juxta S. Cælestini I. Epistolas omnia peracta sunt, ut Pontificius Nuntius Synodo gratias egerit, quod *sanctis suis vocibus sanctae Ecclesiae membra sancto suo capiti se exhibuerunt*. Hæc porro in Chalcedonensi clarius quoque præfulserunt, ubi Patres auditis S. Leonis Epistolis illius definitionibus illico se submisere, nec ab ejus mandatis sibi fas esse discedere declararunt: *B. atque Apostolici viri Papae*, ajebant, *praecepta habemus prae manibus*, *quibus praecipere dignatus est . . . . . Hoc nos observare necesse est*. An ne generalis Græcorum Synodus hæc uno ore proclamasset, nisi ipsis R. Pontificis præstantia nota plane atque perspecta fuisset? Hæc autem auctoritas in œcumenicis Synodis, quæ secutæ sunt, magis etiam atque magis elucet, adeo ut Romanæ Sedis judicium semper tamquam ultimum et peremptorium in universa Ecclesia habitum sit. Quare Paschalis I. (de Elect. in C. *Significasti*) hæc ait: *In Conciliis statutum non inveniri*, *quod Romanae Ecclesiae legem Concilia ulla praefixerint*, *cum omnia Concilia per Romanae Ecclesiae auctoritatem et facta sint et robur acceperint*.

VI. Hanc perpetuam Ecclesiæ praxim et jus Pontificium etiam illud ostendit, quod Romana Sedes sit supremum Tribunal, ad quod appellare semper licitum fuerit. At appellationes a Papa ad Concilium nunquam primis Ecclesiæ sæculis auditæ sint, aut si aliquando interpositæ fuerint, statim sint improbatæ et nullæ habitæ. Ita Augustinus L. 4. *ad Bonif.* Pela-

gianos a sententiis Innocentii I. et Zozimi ad œcumenicam Synodum provocantes vocat *lupos rabidos*, *haereticos*, *superbos*, *turbulentos*. Ita Appellationes improbat Nicolaus I. Epist. ad Michaelem Imp. Ita S. Ivo Carnoten. Epist. 183. S. Bernardus Ep. 113. et L. 2. de Consid. c. 2. atque ita passim, donec a Martino V. a Pio II. aliisque Pontificibus sub pœna anathematis latæ sententiæ proscriptæ sunt, ut mirum sit auctorem *Theol. Lugd.* (L. c. coroll. 2.) scribere potuisse, *Licitas*, *imo necessarias esse aliquando appellationes a R. Pontifice ad Concilium generale*; cujus pravæ ac damnatæ opinionis quatuor affert falsas rationes; 1. Quod a judice inferiori ad superiorem appellari possit, quasi demonstraverit, R. Pontificem Synodo generali inferiorem esse, quod nullo modo demonstrare poterat; unde hic *principium petit* sumens pro argumento, quod ad summum esset in controversia positum. 2. Quod jubeat Christus, *Dic Ecclesiae*; quasi Ecclesia hic pro Concilio generali sumatur, ad quod possit a sententia Summi Pontificis provocari, cujus rei nec vestigium quidem hoc in loco habetur; sed Ecclesiæ nomine hic est intelligendus Ecclesiæ Præpositus vel Episcopus a cujus sententia recedere singularibus personis non licet; alioquin quoties quis fraternæ correctioni non obtemperaret, œcumenica Synodus esset colligenda, quod est absurdum. 3. Ait, has appellationes a S. Augustino probari, quod est maximè falsum, et in loco adducto hypotheticè tantum loquatur. 4. Exempla adducit, quæ nunquam approbata fuere, sed semper proscripta.

VII. E contra verò multa adsunt appellationum exempla eaque semper habita licita et rata a Conciliis

etiam generalibus ad summum Pontificem, qui propterea superior habitus est. Et 1. Sardicensis Synodus 300. Patrum Appellationes ad R. Sedem ratas agnovit et confirmavit, easque sancivit. 2. Non modo Marcion an. 142. a suo Episcopo in Ponto damnatus ad S. Pium I. appellavit, sed S. Flavianus etiam ac Theodoretus ab Ephesina Synodo II. quæ convocatione generalis erat, ad S. Leonem appellarunt: Ita S. Jo. Chrysostomus a Theophilo ejusque Concilio ad S. Innocentium I. et S. Macarius Antiochenus aliique a VI. Synodo ad Leonem II. etc. 3. In Synodo Romana sub Symmacho illa Ennodii sententia recepta est, qua R. Pontificis Tribunal tanquam supremum recognoscens, ait: *Aliorum forte hominum causas Deus voluit per homines terminari: Sedis istius Praesulem suo sine quaestione reservavit arbitrio: Voluit B. Petri successores caelo tantum debere innocentiam*. Nulli ergo Concilio subjecti sunt. 4. Multo antea Gelasius Papa Sæculo nempe V. Epist. ad Episcopos Dardaniæ hæc inter alia profert: *Prima Sedes unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat et congrua moderatione custodit pro suo principatu .... Non reticemus quod cuncta per mundum novit Ecclesia; quoniam quorumlibet Episcoporum ligata sententiis B. Petri Ap. Sedes jus habet resolvendi; utpote cum de omni Ecclesia jus habeat judicandi, nec cuiquam liceat de ejus judicio judicare. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellari permissus ... sed nec illud praeterimus, quod Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est, more Majorum, etiam sine ulla Synodo*

praecedente, et absolvendi quos Synodus iniquè damnaverat, et damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Quid clarius? Idque non ex privata Gelasii Papæ sententia, sed *More Majorum, et quod cuncta per mundum novit Ecclesia*. Sed et id probat exemplis jam recensitis SS. Athanasii, Flaviani, aliorumque, et etiam Dioscori, qui a S. Leone damnatus est, licet ei tota Ephesina Synodus consensisset. Quæ omnia a Nicolao I. confirmantur Epistola VIII.

VIII. Hæc omnia firmissima et inconcussa ignorare nequeunt adversarii; quare ne diffusiores simus, hîc non morabimur plura inepta, sublesta aut falsa quæ ab iis afferuntur in perditæ causæ patrocinium, ut cum Auctor *Theol. Lugd.* producit auctoritates de hac re Conciliorum Pisani II. Constantiensis et Basileensis, quas Ecclesia nunquam novit aut approbavit; vel cum affert auctoritatem Silvestri II. Summi Pontificis, quæ unica est ex tot Pontificibus ac Patribus, quam in suæ opinionis fulcimentum adducit; in qua tamen producenda, videtur imperitos lectores fallere velle, dum eos non admonet, non modo definitionem non esse ex cathedra pronuntiatam, sed neque a Silvestro Summo Pontifice scriptam ut a privata persona. Id enim scripserat annis multis antequam Pontifex fieret, et cum esset tantum Gerbertus Rhemensis Archiepiscopus et Papæ auctoritate ab ea dignitate depositus, unde mirum non sit, quod amaro animo in Pontificem ea scripserit. Verum cum pœnitentiam egisset, tandem Summus Pontifex effectus aliter certè sensisse visus est. Hæc itaque primùm prolata a Mornæo in suo *mysterio iniquitatis*, et a Maimburgo *de statu Ec-*

*clesiaσ*na recentioribus dolosè non erant refricanda. Nec validioris ponderis sunt cætera, quæ insulsè recantant. Ut cum ajunt, Concilium Generale esse debere Papa superius, quia totum est majus sua parte. Ridiculum sanè argumentum. Illud enim mathematicum axioma 1. valet de toto physico et homogeneo, non verò de toto morali et ordinatè disposito: ità caput est pars corporis, attamen toti corpori dominatur; atque ita Episcopus comparatus suo gregi, et etiam Rex respectu regni, ac dux relatè ad exercitum: hæ tamen partes utpote in ordine morali præcipuæ reliquis omnibus dominantur eisque præsunt. Præterea ubinam reperitur totum aliquod sine omnibus suis partibus? Papa quidem est pars Concilii, quæ eidem conjuncta unum corpus morale constituit; at vero Concilium suo capite carens dici nequit totum illud, de quo controversia instituta est. Demum non impugnamus, Papam una cum Concilio esse quid majus, quam sit Papa solitarius acceptus. Quis id inficiari posset? Sed consideramus Papam ex una parte, atque acephalum Concilium ex alia, dicimusque, Papam tunc Concilio præstare, non quod Papa tunc solus esset; semper enim secum Ecclesiam per Orbem diffusam haberet; sed quia Papa sua semper frueretur potestate, et ex adverso Concilium nulla auctoritate polleret (Ex Cap. præced.), ut Ariminense, Ephesinum sub Leone, ac Trullanum.

IX. Ajunt etiam, de fide esse, divinam et infallibilem auctoritatem esse penes Concilium: Deinde addunt: Pontificem esse Ecclesiæ filium, ut propterea eidem obtemperare debeat: 3. Plures Romanos Pontifices confessos fuisse, quod sint Ecclesiæ subjecti, et a

Concilio judicari possint. 4. Demum Ecclesiam Pontifices eligere, ut hinc sint eidem subjecti. Quì sanè meri sunt paralogismi, indigni qui a viris prudentibus proferantur. Quantum enim ad id quod primo loco ajunt: De fide quidem est divina, Concilium potestate pollere cum Summus ei Pontifex præest, et cum judicat ac sentit juxta illorum Episcoporum sententiam quì cum Pontifice conveniunt. Non itaque subjectionis causa Pontifex una sentit cum Concilio, sed judicii veritate consentit: ita Concilium unum concordat cum præcedenti, licet ei subjectum non sit; quod non subjectionis causa, sed evidentia veritatis contingit. Si ergo ea concordia cum Summo Pontifice desit, jam vidimus Concilia falli posse. Ad alterum: Pontifex est quidem Ecclesiæ filius, si ea consideretur ut corpus mysticum sub uno invisibili capite Christo coagmentatum; quatenus verò externè regitur, Pontifex est Ecclesiæ totius caput, Doctor ac Pater. Est itaque filius regeneratione ac Spiritu; Pater autem regimine ac Pastoris officio; ut habet Pius II. in Bulla *Retractationis* edita an. 1463.

X. Nec gravioris ponderis sunt, quas subdunt, difficultates. Si enim Summi Pontifices fassi sunt Concilio et Ecclesiæ esse subjectos, id in solo declararunt manifestæ hæreseos crimine; cum *de caeteris peccatis solum Deum judicem habeam*, ajebat Innocentius III. Serm. 2. de *Consecr.* in cæteris ergo omnibus judicio Ecclesiæ subditus non est. Jure autem illo in casu Ecclesiæ foret subjectus, cum per hæreseos crimen ipsemet Pontifex extra Ecclesiam fieret, ut non amplius Pontifex esset: id verò tum ex jure divino, *qui enim non credit*, *jam judicatus est*, tum Ecclesiastico jure a

Conciliis et ab ipsis Pontificibus confirmato. His autem decretis quis inficiari posset, Summos etiam Pontifices esse subjectos? Non enim Pontifices ex-leges facimus aut qui pro lubito fidem aut disciplinam condere valeant. Eo itaque in casu Concilium de facto judicaret, qui verò a Pontificatu jam excidisset sententiæ subjiceretur ab universa Ecclesia et ab iisdem Summis Pastoribus ex jure divino sancitæ. Quantum denique ad postremum objectum, certum est Pontificem pendere ab Ecclesia quantum ad electionem, non verò quantum ad potestatem, quæ suprema ipsi immediatè a Deo tribuitur, non ea ab Ecclesia ipsi confertur; sicut hic error in Richerio damnatus rursus damnatus est a Pio VI. in Bulla *Auctorem fidei* edita contra Synodum Pistoriensem in propp. II. et III. in quibus dicebatur: *Potestatem a Deo datam Ecclesiae ut communicetur Pastoribus;* quasi a communitate fidelium potestas in Pastores derivetur: Et *Romanum Pontificem esse caput ministeriale* . . . quasi non a Christo Domino sed ab Ecclesia potestatem accipiat etc. quæ ambæ hæreticæ declaratæ sunt. Quæ cum ita sint, recte S. Fulgentius Episc. Ruspen. olim de R. Pontifice ajebat Lib. 2. de Præd. et Gr. C. 3. *Quantum pertinet ad hujus saeculi vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior, et in saeculo nemo Christiano Imperatore celsior invenitur.* Consulendus D. Comes Le Maistre: *Du Pape* T. 1. C. 3.

CAPUT VI.

DE CONCILIORUM CONVOCANDORUM NECESSITATE ET CAUSIS.

I. Circa necessitatem Concilia convocandi quatuor recensentur sententiæ. 1. Est hæreticorum, qui cum velint Concilia etiam Oecumenica esse erroribus obnoxia, ob impiam hanc opinionem ea propterea cogendi nullam agnoscunt necessitatem. 2. Est illorum catholicorum qui omnia ad solum referunt Summum Pontificem quasi ipse solus ad omnia absque Concilio dilucidanda et pacanda sufficeret. 3. Est novatorum nonnullorum contendentium Generale Concilium semper esse necessarium ad singulas controversias ad fidem spectantes dirimendas, cujus opinionis esse videtur auctor Theologiæ Lugdunensis. Quarta demum sententia eorum est, qui censent Generalia Concilia esse interdum absolutè necessaria, interdum verò tantum utilia. Nos existimamus media hic esse via incedendum, ac facilè demonstrari posse, *Concilia generalia pro dirimendis controversiis fidei, etiamsi aliquando cum Ecclesia id opportunum duxerit valde sint utilia et etiam ex parte necessaria, tamen absolutè et simpliciter nunquam necessaria esse, sed accidentali tantùm necessitate aliquando requiri*; quod sequentibus argumentis conficitur.

II. Nam 1. Ecclesiam perpetuò esse infallibilem jam supra ostendimus. Itaque quotiescumque Ecclesiæ particulares in doctrina revelata tradenda ac prædican-

da cum Romana Ecclesia consentiat, *ad quam ob potentiorem principalitem*, ut ajebat S. Irenæus, *necesse est omnem convenire Ecclesiam*, omnino tunc errare non poterunt. Quicumque ergo hanc docentem Ecclesiam audire voluerit nunquam aberrabit, et via tuta incedet. Sunt quidem qui contendunt, Episcopos extra generale Concilium esse quidem infallibiles in docendo, non verò in controversias definiendo. Quæ tamen distinctio arbitraria prorsus et conficta videtur. Nam cum Episcopi docent, quod Catholica et Romana tenet Ecclesia, nonne tunc veritatem catholicam docendo definiunt? Quid enim aliud Episcopi definiunt in Concilio congregati, nisi quod in suis Sedibus antea docebant? Atque ita generale Ecclesiæ magisterium norma et regula censenda est, juxta quam Conciliorum procedunt definitiones; nisi forte claritas major, majorque conformitas in synodali definitione elucet.

III. Præterea generalia Concilia nec divino jure, nec jure humano præcepta sunt: non jure divino; cum nullibi hoc præceptum appareat: non lege Ecclesiastica; cum, licet Concilia particularia ut sæpe opportuna ac necessaria proponantur, de necessitate generalia Concilia cogendi nulla tamen lex sancita habeatur. Ita ea verba quæ ex S. Cypriano afferuntur: *Necesse habuimus, convenientibus in unum pluribus sacerdotibus, cogere et celebrare Concilium*: de Africæ peculiari Concilio dicta sunt. Et cur non? cum Cypriani ætate nullum adhuc generale celebratum fuerit, et ignoraretur, an unquam celebrari posset? Proferuntur etiam in rem hanc Quinti Concilii verba, quibus dicitur: *Nec potest in communibus de fide disceptationibus aliter (quam per Concilium) veritas mani-*

festari. Quæ tamen verba ad accidentalem quandam necessitatem sunt referenda. Disceptatio enim erat inter orientales et occidentales de sensu trium Capitulorum, quæ cum græcè scripta essent, parum illorum sensus notus erat in occidente, atque in Ephesina Synodo discussa et absoluta putabantur. Sed hîc neque generalis Concilii necessitas exprimitur, nec Synodus V. generalis erat, quæ ex subsequenti acceptatione tantùm generalis evasit.

IV. Adest et 5. ratio; quod nempe si Christus Doctrinæ suæ infallibile judicium ac magisterium Generali Concilio alligasset, ægrè sanè Ecclesiæ suæ securitati et incolumitati consuluisset; nam illud præscripsisset medium, quo non semper Ecclesia, imo rarò admodum et non sine manifesto prodigio uti posset, aut quod saltem maximis semper difficultatibus obsitum inveniretur. Hinc primis tribus Ecclesiæ sæculis œcumenica Synodus nunquam convocari potuit. Cum verò Imperatores Catholici maximam regebant christiani orbis partem facilior quidem erat convocatio, sed nunquam ab ingentibus difficultatibus libera. Nostris autem temporibus quando Ecclesia sub tot principum dominio floret, quorum non pauci sunt alieni a catholica veritate, insuperabilibus impediretur obstaculis; nec nisi speciali Dei providentia et numine Concilium generale congregari posset. Historia postremæ Synodi Tridentinæ id abundè ostendit. Cum ergo incredibile videatur, voluisse Christum Dominum medio tam difficili doctrinæ Catholicæ definitiones coarctare, potissimum post quam ad remota littora ad Indos, ad Sinenses, ad Peruvianos Ecclesia propagata est; hinc ea necessitas Concilia colligendi rejicienda est. Verum

si modo hæc generalia comitia vix cogi possent, Dei providentia media prompta ac tuta Ecclesiæ suppeditavit, quibus a Romana Sede cum opus fuerit decreta per orbem universum diffundantur, ope scilicet impressoriæ artis, quæ ars cum antiquitus non adesset, Synodi utiliores et necessariæ aliquando reddebantur ad rerum veritatem melius dignoscendam atque firmandam.

V. Liquet etiam 4. loco, non esse absolutè necessariam generalium synodorum convocationem ex pluribus hæresibus quæ primis tribus Ecclesiæ sæculis proscriptæ sunt, ut Menandri, Ebionis, Cerinthi, Nicolaitarum, Valentini, Cerdonis, Marcionis, Tatiani, Sabellii, aliorumque qui per Romanæ Sedis sententiam et per universalem Ecclesiæ consensum damnati sunt, et quorum proscriptio in prima generali Nicæna Synodo minimè renovata est; quæ tamen condemnationes rursus ad examen revocandæ erant, si non nisi generali Synodo hujusmodi causæ definiri possent. Neque id tantummodo factum est, dum Ecclesia infidelium Imperatorum jugo premebatur, sed singulis etiam temporibus, ut Augustinus (*Contra duas Epist. Pelagian. l. 4. c. ult.*) scriberet: *Aut verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla haeresis aliquando sine congregatione Synodi damnata sit; cum potius rarissimae inveniantur propter quas damnandas necessitas talis extiterit . . . : hanc etiam gloriam captare intelligitur* (Pelagianorum superbia) *ut propter illos orientis et occidentis Synodus congregetur*.

VI. Quanquam verò Concilia œcumenica ad certam et infallibilem hæreseon damnationem absolutè

necessaria non sint; eorum tamen est in Ecclesia saluberrima auctoritas, ut ipsemet Augustinus ajebat; valent enim quamplurimum tum ad coercendam hæreticorum pertinaciam, qui judicio Summi Pontificis parere detrectant, tum ad apertius ostendendam omnium Ecclesiarum consensionem. Nec alia desunt horum comitiorum bona: tunc enim vera fides et latius dominatur, et clarius a Pastoribus dignoscitur atque recipitur: tum quæ suboriuntur difficultates facilius atque expeditius enodantur et particularia facta, quæ interdum cognoscere præstat, meliori in lumine tot undique testibus adscitis collocantur, atque reluctantes revincuntur. Itaque cum opportunitas exigit, Concilia coguntur, et quamvis, ut scribebat S. Leo ad Synodum Chalcedonensem, *res de qua agitur nequaquam synodali indigere tractatione appareat, attamen hoc solemniori judicio suo Capiti membra concordare evidentius elucet*. Hæc ratio fuit ob quam ad compescendos Judæos ad fidem conversos Petrus et Apostoli congregaverunt Hierosolymitanum Concilium, quo promptius et facilius per universum orbem observantia Legalium sublata est. Uno verbo, cum Christus Dominus supremam auctoritatem tum Petri Sedi, tum Concilio Universo cum Sede Petri conjuncto tribuerit, Ecclesia juxta peculiares circumstantias modo uno, modo altero medio utitur, prout Ecclesiæ opportunum ejusdemque rectoribus magis expedire videtur.

VII. Ex his ergo quæ delibavimus responsio ad argumenta eruitur, quæ a nonnullis pro Conciliorum necessitate proferri solent, quæque Auctor Theol. Lugd. collegisse videtur T. I. Diss. V. C. IV. Quæ, dato

utilitatem aliquando et etiam accidentalem ostendere necessitatem relatè ad tempora et ad peculiares circumstantias, minimè tamen absolutam synodorum generalium necessitatem evincunt. Quod enim ait, Synodis hujusmodi specialem a Deo protectionem promitti Matt. 18. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: quæ verba de Synodis quoque accipi posse non diffitemur; non tamen probant Synodorum generalium necessitatem, ut patet; cum Dei præsentia et auxilio Ecclesia fruatur etiam extra synodum, aut in synodis particularibus in ejus nomine collectis, cum ope divina indiget ad hæreses retundendas, ut sæpe legimus contigisse. Reverà synodis œcumenicis Ecclesia non opus habet ad Catholicam doctrinam dignoscendam aut tradendam; sed potius Synodi colliguntur ad pervicaces solemnius revincendos quàm ad rei agnoscendam veritatem. Affert. 2. loco Synodi Constantiensis auctoritatem, sed quæcumque ea sit auctoritas, probare quidem potest in peculiaribus circumstantiis harum Synodorum utilitatem, absolutam verò necessitatem nullo modo, potissimum si animadvertamus non semper synodos œcumenicas colligi posse. Repentes autem abusus per synodos particulares facilius eliminari possunt, ac disciplina servari, his præsertim temporibus cum singulis disciplinæ capitibus provisum sit per Concilii Tridentini Decreta, quorum custodia Episcopis et Synodis particularibus commendatur; quæ si observentur, sufficit ad optimum Ecclesiæ regimen conservandum. Cætera quæ addit Auctor opportunitatem respiciunt Synodorum particularium, non verò generalium, quæ rarò semper celebratæ sunt. Quanquam dùm illam Synodorum generalium necessitatem

nimium adversarii urgent, suspicionem ingerunt, nullam supremam velle in Ro. Pontifice potestatem fateri; quasi nihil gravioris momenti præter quam in generalibus comitiis a Papa decerni possit, quod et Evangelio contrarium esset et universæ Ecclesiæ praxi adversum. Imo jam vidimus hoc novatorum systema confusionem perturbationemque ingentem inducturum fore a Christi Domini mente atque institutione quammaxime alienum. Optarent enim illud in Ecclesiam invehere, ut se facile ab ejus potestate subducant, nullique pareant auctoritati, contra quos S. Cyprianus Ep. LV, quæ est ad S. Cornelium Papam, de illius potestate ajebat: *Neque enim aliunde haereses obortae sunt aut nata schismata, quam inde, quia Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos et ad tempus Judex vice Christi cogitatur*. Si ergo huic supremo Christi Vicario parere voluerimus, abusus diffugient, schismata et hæreses disperibunt.

CAPUT. VII.

DE ECCLESIÆ JURE IN FACTIS DOGMATICIS DEFINIENDIS.

I. Modo de *factis Dogmaticis* inquirendum, an scilicet de his Ecclesia certum ac de fide judicium ferre possit. Ut autem verba significant, factum dogmaticum est factum aliquod humanum cum doctrina dogmatica seu ad fidem spectante conjunctum. Quod facta quædam dogmatica esse queant nemini dubium suboriri posset, qui animadvertat plurima facta in Sacris Literis enarrari, quæ fide supernaturali credere tenemur. Item fidei

definitiones a Conciliis œcumenicis editæ, ut a Nicæno, a Tridentino, aliisque, sunt facta quibus dogmata conjuncta sunt. Nunquam verò antiquitus fuerat in controversia positum, utrum ad Ecclesiam jus pertineat de factis dogmaticis decernendi, sed eo jure nemine contradicente usa est, donec Jansenistis illud ei contendere placuit; quare quæstionem hanc modo breviter enodandam suscipimus. Meminisse itaque oportet, alibi jam demonstrasse Ecclesiæ inerrantiam in doctrina proponenda et in erroribus proscribendis. Cum verò doctrina tum voce, tum scripto tradatur, *hinc manifestum fit, ad Ecclesiam spectare judicium de bonis etiam aut de pravis libris veritates catholicas et bonos mores tradentibus aut impugnantibus*. Itaque Ecclesia sacros Scripturæ Libros uti divinos antiquitus fidelibus exhibuit, eorundemque sensum cum opus fuit contra hæreticos declaravit. Deinde Conciliorum acta, et SS. Patrum scripta uti catholicam doctrinam complectentia infallibili judicio Ecclesia recepit, librosque hæreticorum uti prava doctrina infectos damnavit atque rejecit. Erat itaque Ecclesia a primis usque temporibus in hujus juris possessione, cum recentioribus sæculis acerrimæ ea de re controversiæ a dissidentibus excitatæ sunt occasione libri Corn. Jansenii cui titulus *Augustinus*. Cum enim a Sum. Pontificibus anathemate percussæ fuissent quinque propositiones ex libro prædicto extractæ, dictumque fuisset eas esse damnatas in sensu ab auctore intento, atque uti tales esse a fidelibus habendas ac rejiciendas; inde factum est, ut Jansenii fautores his Constitutionibus non acquiescentes, etsi propositiones proscriberent, negare tamen cœperint in dicto Jansenii libro eas reperiri, aut saltem non ibi eo

sensu extare, quo fuere damnatæ. Id autem negando, nullam ajebant reprehensionem mereri, cum hæc sit quæstio facti, non juris, atque in factis hujusmodi Ecclesiam errare posse velint, in quibus non semel errasse contra historiæ veritatem contendunt.

II. A vero tamen longè adversarios aberrare facile demonstratu est. Animadvertendum est autem, Judicium quod profert Ecclesia circa doctrinam vel ad fidem vel ad mores spectantem *Judicium dogmaticum* nuncupari, eo quod in doctrinis Ecclesiæ divinitus revelatis *implicitè* vel *explicitè* contineatur. Illud autem judicium exercet vel approbando vel reprobando. Reprobando verò non eandem semper censuram usurpat, sed variam juxta propositionum aut doctrinarum conditionem aut naturam, quas modo hæreticas, modo schismaticas, aut falsas declarat. Hinc judicium dogmaticum ab judicio Ecclesiæ circa disciplinam discriminatur: primum etiam internum jubet assensum; alterum ad exteriores tantum actus refertur, relicta aliter sentiendi libertate, cum sit lex disciplinæ quæ non semper omnes obligat, sed pro circumstantiarum diversitate sit mutationi obnoxia; at judicium dogmaticum nulli subjacet mutationi, atque *irreformabile* nuncupatur, deque eo hîc sermo est. Hoc itaque judicium dogmaticum vel propositiones respicit in seipsis, non habito ad eas proferentem respectu, quales plures habentur a R. Pontificibus damnatæ: vel propositiones respicit uti prolatas, vel scriptas ab ipsis auctoribus quibus tribuuntur et in sensu ab iisdem intento, atque tunc Judicia hæc *facta dogmatica* dicuntur, ut cum Leo X. propositiones damnavit Lutheri, aut Clemens XI. Quesnellii propositiones proscripsit relate ad mentem eorundem

auctorum. Cum itaque propositiones absolutè damnantur et in se consideratæ, proscribuntur in sensu obvio, et quem verba præseferunt: at cum relative ad mentem auctorum damnantur, tunc damnantur in sensu quem intendit auctor, quique non semper est sensus obvius; unde contingit, ut aliqua propositio, vera in se considerata, damnata sit in sensu erroneo ab auctore intento; quod non rarò ad præcavendos errores ab Ecclesia factum fuisse legimus.

III. Triplex quæstio hîc itaque distinguenda est, ut alia sit quæstio juris sive dogmatis: alia quæstio simplicis facti: alia demum sit quæstio facti cum jure ac dogmate simul commixti, quod *factum dogmaticum* propterea dicitur. Facta igitur isthæc non doctrinam in se spectatam, sed doctrinam ut prolatam ab homine, vel scriptis traditam attingunt: Ex. g. An Sabellius pluralitatem negaverit personarum in Deo: Num Arius impugnaverit Verbi divinitatem: duæ sunt quæstiones simplicis facti, sive facti personalis. Si quis autem diceret: Verbum non est Patri consubstantiale in sensu Sabellii: Verbum non est filius Dei in sensu Arii; tunc facta exprimerentur una cum dogmate conjuncta. In causa itaque Jansenii tria quæri possunt. 1. An quinque propositiones hæresim contineant. 2. Num Jansenius earum sit auctor. 3. An jure fuerint proscriptæ in sensu quem præseferunt in libro qui Jansenio tribuitur. Prima est quæstio juris sive de puro dogmate: altera quæstio est facti personalis: tertia est quæstio facti dogmatici. Qui primum itaque negaret, hæreticus esset: qui negaret secundum, temerarius haberetur et Ecclesiæ injuriosus; qui verò tertium impugnaret, de hæresi esset saltem suspectus. Modo circa priorem quæstionem

juris Ecclesiam errare non posse nobiscum consentiunt Janseniani. De quæstione secunda non agitur: nec quidquam Ecclesiæ interest, an liber qui *Augustinus* inscribitur sit Jansenii opus, an alterius cujusvis auctoris: quanquam dicendum est, Ecclesiam vel summum Pontificem dum vi Luminis judicat indeffectibilis, aliquem auctorem esse damnandum aut prohibendum, non falli; sicut non fallitur philosophus cum ex ideis rerum judicat, hunc esse hominem, illum lapidem. Tandem circa quæstionem tertiam, quæ dogmatica respicit facta, dicere oportet, Ecclesiam absque erroris periculo pronunciare de iis ac definire posse; ut ex. g. librum Jansenio tributum quinque propositiones continere in sensu Jansenii hæreticas, nempe secundum doctrinam ab eo traditam in libro, qui *Augustinus* inscriptus est; quod et de cæteris libris dicendum.

IV. Hoc autem judicium esse infallibile pluribus momentis ostendi potest. Et 1. ex Scripturis; nam Christus ad potestatem significandam, quam Petro conferebat, metaphora utitur pastoris et pasturæ ovium dum ei dicit: *Pascè oves meas*. At boni pastoris officium est nedum herbas ab herbis secernere, sed etiam gregem a noxiis pascuis arcere; Ecclesia igitur ejusdemque Pastores non modo inter veram falsamque doctrinam distinguere debent, quæ per herbas designari potest; sed etiam inter doctores et libros pravos aut sanos ubi doctrinæ continentur aut a quibus traduntur, qui per prata aut pascua significantur; ut non solum circa doctrinam definire valeant, sed etiam talem esse ut in hoc vel illo traditur libro. Itaque Deuter. XVII. præcipiebatur: *Si ambiguum apud te judicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes et ad Judicem* . . . .

qui indicabunt tibi judicii veritatem: Ita Ephesini cives ad Pauli prædicationem libros pravas continentes doctrinas a catholica veritate alienas *combusserunt coram omnibus*. Actor. XIX. 19. quod ostendit, judicium de libris ferri posse atque etiam debere.

V. Id præterea ostenditur ex vetustissima Ecclesiæ praxi, quæ et hæreticos et eorum libros damnavit, quæstione facti non rarò a quæstione juris distincta; ut in Ephesino Conc. Sess. 1. *Anathematizamus haereses Arii, Nestorii, Eunomii, et eorum qui dicunt, Carnem Christi esse e caelo*: Ita Cpolitanum I. Theodorcto imperavit, ut doctrinam et Nestorium ipsum damnaret. Synodus V. anathema dixit adversus eos, *qui non anathematizant Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychen, Origenem cum impiis eorum conscriptis*. Atque S. Leo Epist. ad Synodum Chalced. testabatur: Pertinere ad puritatem fidei atque doctrinæ, hæreses cum suis auctoribus damnare. Quæstio itaque de Tribus Capitulis Theodori Mopsuesteni, Theodoreti et Ibæ erat quæstio facti dogmatici, an nempe in eorum scriptis hæresis contineretur, ac propterea causæ Jansenianæ simillima, quorum tamen damnatio facta est. Ita in Synodo Lateranensi damnati sunt Cyrus, Sergius et Pyrrhus *ex temerariis ipsorum scriptis, et una cum omnibus impiis eorum conscriptis usque ad unum apicem*. Revera si Ecclesiæ inerrantia denegaretur in censura librorum, libri omnes forent inemendabiles, nullumque contra eos judicium ferri posset, nullaque hæresis recognosci aut declarari, imo nec hæreses et blasphemiæ ore prolatæ, nec enim scriptum differt a sermone. Quæ si vera forent, ut sunt falsa omnino et

absurda, omnia in Ecclesia incerta et nutantia essent circa doctrinam, nec quid sequendum esset quidve evitandum appareret. Quinimo inde maximum sequeretur absurdum, quod Ecclesia neque de sensu sacrarum Scripturarum, multoque minus de sensu operum SS. Patrum, aut de sensu Conciliorum judicare posset. Non itaque adversarii ad consequentias attendunt, quæ, semel erroneo principio illo admisso, inde deducerentur; ut non injuria id Arnaldo exprobraverit Claudius Pajot minister calvinista in celebri eo colloquio circa doctrinam de perpetua Ecclesiæ Fide realis Christi præsentiæ in Eucharistia, cui ajebat: *si tibi licet, Arnalde, litigare de sensu Jansenii post Ecclesiae definitionem, quid ni licebit nobis de sensu Augustini, Chrysostomi et aliorum disputare in nostra de reali praesentia disceptatione?* Videant ergo quò ruant adversarii.

VI. Non ignoramus interea, plura Jansenistas consarcinasse ad hanc labefactandam veritatem. Ea tamen a viris doctissimis refutata rem hanc magis magisque confirmarunt. Nam quod ajunt, hoc jus libros damnandi ignotum veteribus fuisse, id esse non poterat, atque ex paucis, quæ attulimus, falsum omnino deprehenditur. Nec reponant, non paucos inter veteres sensisse, ut S. Thomas, Ecclesiam in factis errare posse; hi enim de factis merè personalibus loquuntur, ubi testimonia intersunt prorsus humana, non verò sermonem de factis dogmaticis instituunt, de quibus si essent locuti, decepti proculdubio fuissent. Nam quod ajunt, errasse Ecclesiam in damnatione Epistolarum Honorii Papæ, id est falsum omnino. Non enim de illius Epistolis in VI. Synodo ulla mentio aut damna-

tio facta est; et etiamsi juxta nonnullos facta esset, judicium latum fuisset de græcis versionibus in quas monothelitæ suos errores intrusissent, ac de silentio servando judicium. Sed et secunda Honorii ad Sergium Epistola spuria et supposititia a melioribus criticis habetur, ac demonstratur. Quid? quod nec Heraclius in *Ecthesi*, nec Constans in *Typo*, in quibus edictis silentium super unam aut geminam Christi voluntatem et operationem jubetur, mentionem ullam de Honorii Epistolis faciunt, quarum tamen memoria facienda erat, cum idem silentium indicerent, eandemque traderent doctrinam? Imo nec cum apud R. Pontificem Joannem IV. se Heraclius purgabat, Honorii unquam se communivit auctoritate (Vid. sup. Sect. III. Cap. XXVII.). Si ergo de his Epistolis judicium latum est, cum errori faverent, Concilium minimè erravit; at quantum ad Honorii damnationem judicium merè fuit personale, et latum ob nimiam, ut putabatur, indulgentiam ac dissimulationem erga hæreticos, quibus non satis restitisse ut oportebat, creditum est. Hæc autem, si contigerunt, a latinis permissa fuissent, ne apparenti Honorii auctoritate hæretici abuterentur, non quod ipse formalis hæreticus haberetur. Stat igitur jus Ecclesiæ in factis dogmaticis decernendis; nam alia minutiora quæ adversarii urgent plenè dispulsa videri possunt apud recentiores, ut apud Jo. Laur. Berti Lib. XVII. C. V. et VI. Sardagna T. II. Tr. III. N. CCXIII. seq. Bolgeni *Fatti dommatici etc.* Tournely de Eccl. Quæst. V. Art. III.

CAPUT VIII.

DE JURE IN CONCILIIS OECUMENICIS SUFFRAGIUM FERENDI.

I. Hæretici quos inter Lutherus, Molinæus, aliique contendebant, eruditum quemcumque virum in Generali Concilio decretorium, sive definitivum suffragium habere; ut propterea (juxta Brentium) concilium conflandum sit ex piis tantummodo et electis viris. Recens verò anonymus auctor libri cui titulus *Testimonium veritatis*, vult fidelem populum universum ejusque vocem, pondus maximum in definiendis fidei doctrinis habere. At licet non negandum, populorum fidem esse aliquod veritatis signum, cum populi doctrina et mores debeant esse infidelibus unum ex motivis credendi; impugnandus tamen a viris catholicis est hujus novatoris error, statuendumque non modo populum circa res fidei et religionis in generalibus Conciliis jus nullum habere, sed ne quidem Clericos et presbyteros, qui nuper fuit error damnatus a Pio VI. P. M. in Constitutione *Auctorem Fidei*, qua proscribitur Synodus diœcesana Pistoriensis. Hæc enim Prop. X. inter damnatas docebat, quod Parochi, aliique Sacerdotes sint judices fidei jure proprio; quæ prop. falsa, temeraria, ad minus erronea declaratur. Itaque pronuntiandum est, quod *in oecumenicis Synodis soli Episcopi ex jure divino auctoritate potiantur suffragium definitivum ferendi*, ex privilegio autem et consuetudine Cardinales, Abbates, et Generales Ordinum etiamsi Episcopali non fulgeant dignitate.

II. Hoc verò primum ostenditur ex Sacris Literis, in quibus grex distinguitur a Pastoribus, eisque jus traditur, ut per doctrinam atque institutionem gregem pascant ac regant, ut Paulus in Actis c. XX. Episcopos admonebat: In Epistola verò ad Hebræos declarabat, hoc esse peculiare Dei donum, quod nemo sibi arrogare debeat, sed is tantum cui datum est (c. V. 4.): *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*. Hinc Petrus I. c. V. ita ad Episcopos loquebatur: *Seniores . . . pascite qui in vobis est gregem Dei*. Et Apost. I. ad Cor. XII. ajebat: *Quosdam posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Pastores et Doctores*. Et c. V. addebat: *Pro Christo legatione fungimur*. Ad populum vero ajebat: *Vos estis cives sanctorum et domestici Dei superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum*. At juxta novatorum errores nulla distinctio esset Pastorum a grege, doctorum ab auditoribus, quod est contra ordinem hierarchicum a Deo institutum, omniaque turbis, seditionibus, ac erroribus replerentur: quinimo oves pastorem regerent, et cum numero ac vi prævalerent, ei legem imponerent. Uno verbo actum esset de Ecclesia Dei, non modo quia non amplius esset qualis a Christo instituta est, quæque semper anathemate percussit laicos in Ecclesiastica ministeria sese immiscentes; sed etiam quia schismatibus, turbis ac seditionibus redundarent omnia, ut sæculorum experientia edocuit quoties laici in Ecclesiæ negotia se intrusere; atque nemo potestatibus sublimioribus, ut jussit Christus, obtemperaret. Itaque S. Cyprianus Epist. ad S. Cornelium Papam: *Neque enim*, ajebat,

aliunde haereses obortae sunt, aut nata schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos Vice Christi cogitatur. Quapropter ipsi Imperatores causas cognoscere Ecclesiasticas noluerunt, ut Constantinus Magnus causam Donatistarum: Basilius verò Imp. in Octava Synodo Generali ajebat: *Laicorum cuicumque nulla ratione de Ecclesiasticis causis disputandi fas esse dico; nam laicus etsi omni pietatis et sapientiae laude praestet, tamen laicus est: ovis, non Pastor.*

III. Itaque in Conciliis de jure ordinario solis jus esse Episcopis, non verò Presbyteris, quibus nonnisi ex privilegio et ex concessione Ecclesiæ competere potest, rursus ex divinis Scripturis ostenditur; Nam Matth. 28. a Christo Apostolis eorundemque successoribus Episcopis dictum est: *sicut misit me Pater et ego mitto vos: euntes ergo docete omnes gentes.* Hoc igitur docendi munus Apostolis, eorundemque successoribus, et iis qui ab ipsis mittuntur demandatum est; ut non Clericis omnibus, nisi forte quibusdam ex procuratione. Hinc Petro a Christo dictum est Jo. XXI. *Pasce agnos meos ... pasce oves meas*: et Apostolis omnibus Matth. XVIII. *Quaecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelo.* Sunt ergo in Ecclesia Pastores et sunt agni et oves: sunt solventes, et sunt ii qui solvendi sunt aut ligandi. Quare ajebat Apost. ad Cor. l. c. *Nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetae, nunquid omnes Doctores?* Et antea v. 17 dixerat: *si totum corpus oculus: ubi auditus? si totum*

auditus: ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non ergo quisquam alterius munia sibi usurpare debet. Revera populus et omnes obedire Christo debent; et iis ergo qui vice Christi funguntur, quibus ipse dixit: *Qui vos audit, me audit*, etc. Hi autem sunt Ecclesiæ Præsules, quos solos in Religionis negotio audiri Deus vult, cæteros vero sub mortis interminatione silere et obtemperare, ut Deuter. c. XVII. *Et facies quodcumque dixerint: qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio . . . morietur homo ille*. Itaque Christus ipse Matth. XXIV. prohibet cunctis ne eos audiant, quos ipse non miserit: *Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo . . . et seducent multos . . . si quis vobis dixerit: ecce hic est Christus aut illic, nolite credere: surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae*. At certè in Ecclesia non omnes in ministerium missi sunt, nec mitti poterant; legitima ergo tantùm missio agnoscenda est.

IV. Quapropter jus illud Ecclesia semper Episcopis vindicavit. Eusebius Concilia referens Sæculo secundo celebrata super quæstione de celebratione Paschatis Lib. V. Hist. Ecc. c. 23. scribit: *Ob quam causam conventus Episcoporum per singulas quasque provincias convocantur*. Theodosius Junior Epistola ad Ephesinam Synodum jus illud agnovit, cum scripsit: *Illicitum est, eum qui non sit in ordine Sanctorum Episcoporum ecclesiasticis immisceri tractatibus*. Et in Conc. Chalcedonensi cum pro Dio-

scoro monachi et laici ingressi essent, Patres clamarunt: *Mittite foras superfluos, Concilium Episcoporum est*. Hinc est, quod in tota antiquitate Concilia non rarò per numerum Episcoporum qui subscripserant designantur. Ita V. Oecumenica Synòdus Collatione VIII. habet: *Hanc fidem latius exposuerunt trecenti decem et octo SS. Patres Nicaeae congregati ... insuper et centumquinquaginta in Cpoli collecti exposuerunt ... et ducentorum SS. Patrum prius Ephesi collectorum pro eadem fide consensus et quae a sexcentis triginta Chalcedone congregatis definita sunt*. En de solis Episcopis in Conciliis habita ratio. Sed utut exposita momenta validissimi ponderis æstimanda sint, et Ecclesiæ sententiam ac traditionem ostendant; rem tamen extra omnem dubitationem ponit damnata a Pio VI. synodi Pistoriensis propositio supra memorata N. 1. In hujus enim Constitutione, *doctrina, qua Parochi, aliive Sacerdotes in synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo judices fidei, et simul innuitur, judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio et quidem etiam per ordinationem accepto*, damnatur ut *falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumque dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea*. Oportet igitur ut Quesnellistæ, Tamburiniani, aliique hujus farinæ ab eo errore defendendo recedant; causa enim, velint nolint, finita est; cum ea opinio si nondum uti hæretica fuerit proscripta, ad minus erronea sit habenda.

V. Presbyteri ergo, si aliquando in Actis Conciliorum subscripsisse inveniuntur non auctoritate pro-

pria, sed uti delegati suorum Episcoporum subscribunt. Adnotandum etiam, Cardinales, Abbates, Generales Ordinum ex privilegio jus habuisse in Oecumenicis Synodis suffragium decisivum ferendi. Cum enim cooperatores sint sive Episcoporum sive Romani Pontificis, ad illud munus assumi possunt sive cum officio Legatorum funguntur, sive cum mittuntur loco Episcoporum, sive etiam cum in posterioribus Synodis œcumenicis locus eis datus est, ut in Florentina, Lateranensi, ac Tridentina. Hæc licet per se clara et aperta ad omnem tamen tollendam ambagem, quidnam regerere adversarii soleant breviter expendemus.

VI. Ajunt itaque: In Concilio ab Apostolis congregato Act. XV. adfuerunt Apostoli et Seniores atque etiam omnis multitudo; dicitur enim: *Convenerunt Apostoli et Seniores videre de verbo hoc*: et infra: *Tunc placuit Apostolis et Senioribus cum omni Ecclesia*. Evidens ergo est, inquit Tamburinius, suffragium dedisse Apostolos atque Presbyteros. Quæ tamen evidentia est falsa omnino in mente hujus hominis. Licet enim illi omnes convenerint, non eodem jure, at diversimode adfuere. Apostoli quippe convenerunt ut judices, unde Jacobus dixit: *Quapropter hoc ego judico*: Presbyteri verò ut inquirerent et sententias varias hinc inde referrent, de quibus dicitur: *Cum autem magna inquisitio fieret*: Seniores autem et Laici ut in silentio audirent. Cum itaque additur: *Tunc placuit Apostolis et Senioribus* etc. non id respicit judicium circa controversiam dirimendam, de qua jam a S. Petro judicatum fuerat, sed ea verba ad electionem referuntur personarum quæ Antiochiam mitterentur, ut eò Apostolicum Judicium deferrent. Verum nomine

Seniorum, græcè πρεσβυτεροι, hic intelligi possunt Episcopi jam ab Apostolis ordinati, qui Presbyteri sive Seniores non raro a veteribus vocati sunt: imo S. Petrus 1. Epist. C. V. seipsum et Episcopos hoc nomine distinguit, inquiens: *Seniores ergo qui in vobis sunt obsecro Consenior et testis Christi passionum . . . pascite qui in vobis est gregem Dei*: quo nomine se Joannes quoque Apostolus insignivit Epist. 2. et 3.

VII. Illud jus in Parochos et in Sacerdotes omnes derivare ajunt quoque adversarii ex quo hi successores sint Septuaginta duorum Discipulorum (de quibus Lucæ X.), qui Missionem immediate a Christo acceperunt: hinc Episcopus in eorum ordinatione pronuntiat: *Vos in septuaginta duobus viris et senibus signati estis*. Itaque Apostolus Act. XX. *Vocavit majores natu Ecclesiae*, nempe presbyteros, quibus ait: *Vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: qua appellatione tam Episcopos quam Presbyteros Patres esse intelligendos passim affirmant. Quibus respondendum ; quod etiamsi Presbyteri dicantur in LXXII. Discipulis designati , non tamen constat in quonam ea similitudo consistat. Neque in omnibus utique ea consideranda est, cum iis Discipulis potestas etiam data fuerit miracula patrandi , quæ in potestate Ordinis non confertur. Cæterum Missio Discipulorum extraordinaria est habenda, ut populos ad Christi adventum præpararent, eumque præcederent *in omnem civitatem et locum*, *quo erat ipse venturus*. In cæteris autem omnibus Apostolis debuerant esse subjecti. Presbyterorum itaque munus ab Ecclesiæ usu ac traditione desumendum est. Hæc autem eos semper Episcopis subjectos fecit. Si qui verò Patres in allato

textu ex Actibus Apost. etiam Presbyteros significatos intellexcre, non tamen ipsis eandem ac Episcopis potestatem tribuunt, sed uti coadjutores, eisdemque subjectos semper considerarunt. Neque ex quo ad Ecclesiasticam hierarchiam pertineant Presbyteri, ideo in causis Fidei judices erunt; sunt enim varia in Ecclesia ministeria et officia, et judicium illud Ecclesia semper ad majores Præsules retulit. Alioquin etiam Diaconi judices fidei essent agnoscendi, cum et ipsi ad Ecclesiasticam pertineant hierarchiam. Quod si Presbyteris utuntur Episcopi in causis judicialibus dignoscendis, vel si ad Concilia etiam Provincialia vocantur, ut cum Episcopis aliquid judicent aut definiant, ut habet Concilium Toletanum IV. an 633. non inde inferendum, etiam in causis fidei, et in Synodis œcumenicis illud jus sibi vindicare posse.

VIII. Heterodoxi verò qui judicium circa fidem ad laicos etiam extendunt, dicere solent, fidem esse immediatè in fidelibus cunctis; qui propterea veritatis testes esse debeant, dicente Apostolo ad Ro. VIII. *Ipse autem Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Quare scribit Ambrosius Epist. 32. *Iste populus judicat, cujus in corde lex divina est, non humana: lex non atramento scripta, sed Spiritu Dei vivi*; ex quo testimonium veritatis esse ab omnibus fidelibus repetendum contendunt. Quibus dicendnm est; quod fides prius ab Ecclesia proposita et a fidelibus recepta inest quidem in ipsis, sed non antequam proposita sit per articulorum fidei determinationem. Hinc non negandum quidem, populi Christiani fidem esse veritatis infallibile testimonium, ac pro infidelibus motivum etiam *credibili-*

tatis; at negandum planè illud esse fidei judicium. Quare duplex veritatis testimonium, sive fidei infallibilitas distingui debet: Altera *passiva*, quæ posita est in bene intelligendo et credendo Fidei dogmata atque in recte fidem profitendo: Altera *activa*, quæ lex et norma passivæ sit, et in benè docendo et in controversias rectè definiendo consistat. Harum prior ad Ecclesiam totam pertinet, ut hinc Theologi cum Bellarmino propositionem hanc uti certam statuant: *Quod fideles omnes uti fidei dogma credunt, id necessariò verum est, ac de fide habendum*. At infallibilitas activa Ecclesiæ docenti a Christo tributa est, id est Apostolis eorundemque successoribus, qui quoadusque Cathedræ Petri adhærebunt, pro qua oravit Christus ne unquam deficeret, in regula fidei proponenda nunquam errabunt. Quare cum aliqua fidei oritur controversia, populus aut a R. Pontifice, aut a Concilio definitionem petit, cui obedire paratus esse debet. Non ergo populus judex est, qui ab Episcopis doctrinam accipere tenetur; alioquin absurdum illud oriretur in Ecclesia inauditum, quod populus Concilia doceret, grex Pastores duceret, quibus tamen et non populo dictum a Christo est: *Docete omnes gentes*: *Praedicate Evangelium omni creaturae*; *et ecce ego vobiscum sum usque ad finem saeculi*.

IX. Abutuntur ergo adversarii illo Apostoli testimonio, quod non de fidei judicio, sed intelligendum est de conscientia bona, ac de morali securitate status gratiæ, ne aliquis spiritu servitutis ac timoris ut in veteri Lege turbetur aut moveatur; antea enim dixerat: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore*. Nihil ergo ad rem nostram hæc Apostoli ver-

ba. Sed nec Ambrosii testimonium causam juvat adversariorum: Notandum est enim cum Bellarmino judicium publicum, et judicium privatum: primum est Pastorum Ecclesiæ docendi ac definiendi auctoritatem habentium: secundum est auditorum judicium destitutum auctoritate. Judicium itaque publicum in causa fidei nunquam populo datum est, datum verò est privatum, ut ipsemet innuit Ambrosius ibidem subjungens: *Veniant planè, si qui sunt, ad Ecclesiam, audiant cum populo, non ut quisquam judex resideat, sed unusquisque de suo affectu habeat examen et eligat, quam sequatur.* Juxta Ambrosium igitur populus auctoritate ac judicio publico destitutus est, quod ad Ecclesiæ Proceres tantum pertinet. Vid. Boucatus *de Conciliis*: Supplementum ad Theol. Berti *de locis Theol.* Lib. III. Cap. V. etc.

CAPUT IX.

DE GENERALIBUS CONCILIIS IN ECCLESIA CATHOLICA CELEBRATIS.

I. Cum de Synodis œcumenicis, deque earundem conditionibus et auctoritate satis in superioribus peractum sit, modo breviter videndum quænam eæ sint et quot fuerint in Ecclesia celebratæ, quæ necessariis dotibus communitæ ab Ecclesia ut infallibiles fidei regulæ receptæ sunt. Hæc itaque Concilia Oecumenica octodecim recensentur, quorum Octo priora in Oriente celebrata sunt, reliqua decem in Occidente sunt habita. Et Primum quidem, de quo jam sæpe locuti sumus, fuit

Nicænum I. Constantini M. Imperatoris tempore anno 325. cui Episcopi interfuere CCCXVIII. præsidentibus Legatis S. Silvestri I. Osio Episcopo Cordubensi, et Vito ac Vincentio Presbyteris, in eoque adversus Arium definitum est, Verbum Divinum esse Patri *omoousion* sive consubstantiale. 2. Statutum est, Pascha esse celebrandum contra Quartodecimanos die Dominica post diem XIV. Lunæ mensis *Nisan* sive Martii. 3. Canones XX. conditi sunt de reconciliandis ad Ecclesiam, de baptizandis Paulianistis, deque aliis ad disciplinam pertinentibus. Relatum est, nonnullos ethnicos philosophos ad hanc Synodum concurrisse suam eloquentiam ostentandi causa, quorum aliquis ad fidem conversus est. Hujus Synodi Appendix habetur Concilium Sardicense anno 347. celebratum sub Julio I. Sum. Pontifice, quod numero et auctoritate œcumenicum censetur.

II. Sub Damaso Papa tempore Theodosii Magni anno 381. habitum est Concilium Constantinopolitanum I. adversus Macedonium illius urbis Episcopum divinitatem Spiritus Sancti negantem, in quo Symbolum, quod Nicænum vel Cpolitanum dicitur, adauctum et perfectum est. Concilium hoc a S. Damaso in Romana Synodo confirmatum uti œcumenicum ubique terrarum receptum est, ordine Secundum.

III. Oecumenica Tertia Synodus fuit Ephesina I. celebrata anno 431. imperante Theodosio Juniore, et Romæ sedente S. Cælestino I. qui per suos Legatos eidem præfuit. Ea in Synodo unicam esse in Christo Personam contra Nestorium definitum est, ac propterea S. Virginem Mariam esse Deiparam appellandam. Ex Actis autem hujus Synodi, nec non ex Epistolis

ejusdem S. Cælestini constat hujus Pontificis Legatos fuisse S. Cyrillum Alexandrinum Patriarcham, deinde Arcadium et Projectum Episcopos ac Philippum Presbyterum, de quibus ait S. Cælestinus: *qui iis, quae aguntur, intersint, et quae a nobis antea statuta sunt exequantur, quibus praestandum a nobis non dubitamus assensum, quando id quod agitur, videatur pro universalis Ecclesiae securitate decretum*.

IV. Quarta Synodus œcumenica celebrata est Chalcedone anno 451. Marciano imperante et Romæ sedente S. Leone Magno, qui per suos Legatos ei Synodo præfuit, in qua contra Eutychetem et Dioscorum definitum est, duas esse in Christo naturas, divinam nempe et humanam in unam convenientes personam; et in qua latrocinium Ephesinum reprobatum. Interfuere Episcopi DCXXX. et ipse adfuit Marcianus Imp. qui Actione VI. inter alia hæc ad Patres ajebat: *Nos enim ad Fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosi Principis Constantini, Synodo interesse voluimus*. Extat quoque horum Patrum Epistola ad S. Leonem R. Pont. qua Ecclesiæ Romanæ Primatum, ejusdemque dignitatem egregiè commendant.

V. Quinta Synodus generalis recensetur CPolitana II. anno 553. tempore Justiniani Imp. et Vigilii Papæ cujus consensu convocata fuerat. In ea damnata sunt tria Capitula sive opuscula quæ tribuebantur Theodoro Mopsuesteno, Theodoreto, et Ibæ, et quæ Nestorianismo favebant, licet hi multo ante obiissent. Vigilius Papa cum eam causam expendisset, Synodum approbavit, atque ita ipsius acceptatione ab universa Ecclesia ea Synodus œcumenica habita est.

IV. Sequitur Cpolitana III. œcumenica Synodus sub Agathone Summo Pontifice, et Imp. Constantino Pogonato anno 680. præsidentibus Agathonis Legatis Theodoro et Georgio Presbyteris nec non et Joanne Diacono. In ea definitum est contra Monothelitas et Sergium ac Pyrrhum, duas in Christo esse voluntates, divinam et humanam, duasque proinde operationes sive operationum genera in eo esse agnoscenda. Paucis post annis celebrata est Synodus Trullana, quod in Trullo sive Domate Palatii Imperialis celebrata sit a Justiniano II. quæ etiam Quinisexta dicta est, quod Canones suppleverit, quorum nulli in Quinta et Sexta Synodo conditi fuerant; quos tamen Canones cum Sergius Papa confirmare detrectasset, nullius roboris in Ecclesia superfuerunt.

VII. Septima Synodus generalis sive Nicæna II. habita est Nicææ in Bithynia anno 787. Adriano I. Pontifice, et Constantino ac Irene Impp. adversus Iconoclastas sive fractores Sacrarum Imaginum, præsidentibus ipsius Adriani R. Pont. Legatis Petro Archipresbytero, et Petro Abbate Monasterii S. Sabæ; in eaque definitum est, licitum esse sacrarum Imaginum cultum, nec cuiquam contemnere eas licere; qui tamen cultus non absolutus sed tantùm relativus statutus est.

VIII. Octava generalis Synodus collecta fuit Constantinopoli anno 869. Adriano II. Pontif. R. et Basilio Macedone Imp. regnante, adversus Photium qui ejus urbis cathedram invaserat, in quam a Synodo S. Patriarcha Ignatius restitutus est, Photio ad pœnitentiam agendam in monasterium detruso. Hæc Synodus IV. Cpolitana generalis fuit, et postrema in Oriente celebrata.

IX. Nona Synodus œcumenica dicta est Lateranensis I. quod Romæ in Basilica S. Joannis in Laterano celebrata sit an. 1123. Callisto II. Summo Pont. et Henrico V. in Germania imperante, pro Investituris abrogandis, nempe juribus eligendi Præsules et in possessionem mittendi, quæ jura sibi Imperatores sumpserant. Actum quoque est, ut Palæstina et Hispania ab infidelium tyrannide liberaretur.

X. Decima generalis Synodus fuit Lateranensis II. anno 1139. celebrata sub Innocentio II. R. Pont. et Conrado III. Imp. ut comprimeretur schisma Petri Leonis a factiosis in pseudopontificem electi sub nomine Anacleti II. cui suffectus fuerat Victor contra legitimum Pontificem Innocentium II. et præterea ut damnarentur hæreses Petri de Bruis, et Arnaldi de Brixia, qui mala plurima in Ecclesiam invexerant; ac demum ut disciplina Ecclesiastica restauraretur.

XI. Undecima Synodus œcumenica sive Lateranensis III. habita est anno 1179. sub Alexandro III. Papa, tempore Friderici I. Imp. Ænobarbi nuncupati, in qua damnati sunt Waldenses et Albigenses novi Manichæi, et compressi sunt schismatici a Victore IV. antipapa ordinati.

XII. Duodecima generalis Synodus fuit IV. Lateranensis sub Innocentio III. P. tempore Othonis IV. Imp. anno 1215. contra Albigenses, Almaricum, et Ab. Joachimum. Decretæ sunt expeditiones in Terram Sanctam, quæ semper Græcorum perfidia male verterant: tum Canones plures sanciti, inter quos celebres de Confessione et Paschali Communione.

XIII. Decimatertia œcumenica Synodus Lugduni celebrata est anno 1245. sub Innocentio IV. contra

Fridericum II. Imp. Ecclesiæ hostem declaratum. Alia quoque decreta sunt pro Palæstina liberanda, et pro disciplina Ecclesiastica restituenda.

XIV. Decimaquarta Synodus generalis habetur Lugdunensis II. celebrata anno 1274. a Gregorio X. R. P. tempore Rodulfi I. Imp. pro restauranda unione Græcorum cum Latinis, qui simul in Missa solemni decantarunt Symbolum cum particula *Filioque*. Actum est etiam de Christianis in Syria juvandis, deque aliis negociis ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentibus.

XV. Decimaquinta generalis Synodus collecta est Viennæ in Galliis anno 1311 unde Viennensis dicta est, et a Clemente V. celebrata, Henrico VII. Imperium regente. In ea ordo Equitum Templariorum extinctus est, nec non Petrus Oliva, et Beguardi ac Beguini damnati, pluraque pro instauranda Ecclesiæ disciplina et pro subsidio Terræ Sanctæ decreta sunt.

XVI. Decimasexta Synodus est Constantiensis Sigismundo imperante collecta ad schisma tollendum, quo Ecclesia Christi laborabat, anno 1414. cum præter Gregorium XII. qui Pontifex legitimus habendus erat, etiam Balthassar Cossa sive Joannes XXIII. et Petrus de Luna sive Benedictus XIII. pro veris Romanis Pontificibus a non paucis haberentur. Postquam igitur Gregorius XII. Pontificatu se ultro abdicavit, et in legitimum Pontificem electus est Sess. XLI. Otto Columna Cardinalis, qui Martini V. nomen assumpsit, et omnes ferme ex tribus obedientiis in unum corpus coaluere, Synodus Constantiensis verè œcumenica facta est; atque in iis quæ a Martino V. confirmata sunt, et *conciliariter* peracta, circa nempe novi Pontificis electionem, et circa condemnationem hæresum Wicleffita-

rum et Hussitarum, et circa alia legitimè resoluta, plenum robur accepit.

XVII. Decimaseptima Synodus generalis fuit Basileensis sive Florentina, primum ab Eugenio IV. Basileæ collecta anno 1431. ad Bohemos uniendos atque ad Ecclesiam reformandam; quæ cum in conciliabulum degenerasset, et in pluribus ab Eugenio rejiceretur, ab eodem Pontifice Florentiam translata est anno 1438. Alberto II. Imperium regente. Celeberrima sunt præ cunctis hæc Florentina comitia, quod in iis actum sit de unienda iterum græca Ecclesia cum Latina. Aderat Joannes Palæologus Cpolitanus Imperator cum Josepho ejusdem Ecclesiæ Patriarcha et multis aliis Episcopis, qui rebus diligenter consideratis in concordiam cum Latinis rediere. Accesserunt etiam Armeni, Jacobitæ et alii dissidentes Orientales, qui omnes accepta Catholicæ fidei formula in communionem cum Latina Ecclesia recepti sunt; eorundemque plurimi ad hæc usque tempora Catholicæ Ecclesiæ adhærent. Verum Marcus Ephesi Episcopus Latinis semper aversus, cum in Græciam et in Asiam minorem regressus esset, magnam græcorum partem ad novum schisma pertraxit. Hæc tamen Florentina generalis Synodus ob tot fausta tam Ecclesiæ catholicæ, quam Eugenio IV. gloriosissima fuit, semperque erit memoranda. Anno vero 1512. celebratum est Concilium Lateranense V. sub Julio II. et Leone X. Summis Pontificibus Maximiliano I. clavum Imperii gubernante, quod adversus conciliabulum Pisanum coactum est, tam pro morum reformatione, quam pro Gallorum pragmatica sanctione abroganda, quodque à Leone X. confirmatum Generale evasit.

XVIII. Postrema œcumenica Synodus fuit Triden-

tina, cum Tridenti a Paulo III. anno 1545. collecta esset, Carolo V. imperante, contra Lutheranos, Zwinglianos, et Calvinistas, quam Synodum prosecutus est Julius III. R. P., eamque absolvit et confirmavit Pius IV. Imperatore Ferdinando I. anno 1563. Ea Synodo nulla celebrior, nulla solemnior in Catholica Ecclesia unquam habita est, quæ per annos decem et octo perduravit, hæresesque omnes exterminavit, et catholicam Ecclesiam contra impiorum astus in tuto posuit. Atque utinam dissentientes parere eidem vellent! tunc enim beata tempora advenissent, quibus fieret *unum ovile et unus Pastor*, ut tandem ventura fore pollicitus est Christus Dominus. De hac Synodo œcumenica supra egimus Cap. III. Post Tridentinam Synodum nulla alia solemnior celebrata est præter Romanam sub Benedicto XIII. Anno 1725. quæ plura contiuet in Catholicæ Ecclesiæ bonum decreta, quæ operæ pretium est, ut consulantur.

CAPUT X.

DE CONCILIIS PARTICULARIBUS, DE AUCTORITATE SS. PATRUM, DEQUE THEOLOGORUM ET SCHOLASTICORUM AUCTORITATE.

I. Superest modo ut de reliquis Locis Theologicis aliquid attingamus, et universa tractatio de Theologiæ fontibus absolvatur. Cum verò germanæ Theologiæ Principia sint Lumen Revelatum et Lumen Naturale, jam observavimus, Lumen Revelatum totum ab auctoritate pendere. Quæ tamen auctoritas alia certa est et

infallibilis, alia verò tantùm probabilitate innititur. De certa atque infallibili auctoritate super quam Theologia dogmatica ædificata est, fusè uti par erat hucusque disputavimus, eaque, ut vidimus, a quatuor prioribus Locis pendet, ab auctoritate nempe Sacrarum Scripturarum, deinde a Traditionibus Divinis, tertiò ab Ecclesiæ Catholicæ auctoritate ejusque œcumenicis Synodis, et quartò ab auctoritate Romani Pontificis, qui est Ecclesiæ Caput et centrum totius Catholicæ Fidei et unitatis. Modo igitur Quinto loco auctoritas spectanda est Conciliorum particularium seu provincialium, et observandum est, eam probabile tantum suppeditare argumentum ad fidei dogmata stabilienda, quæ in Fide forsan errare possent cum a Summo Pontifice confirmata non sunt. At si Romani Pontificis auctoritate fuerint communita, firmissimum tunc suppeditabunt argumentum in iis quæ ad fidei dogmata et ad mores pertinent; cum hæc particularia sive nationalia Concilia Pontificia auctoritate roborata a Fide non posse deficere, concors et verior sit Catholicorum sententia, quæ tutò ab omnibus servari potest ac debet, ut abunde jam fuit demonstratum.

II. Sextus Locus est Auctoritas SS. Patrum quando sejunctim considerantur; nam dum concordi sententia de aliquo dogmate fidem faciunt, atque etiam dum graves multi, præcipuique doctrinam aliquam uti ad Ecclesiæ Fidem pertinentem docent, tunc eorum auctoritas ad Traditionem divinam revocatur cujus depositarii habentur deque ea testimonium reddunt. At cum hi Patres seorsim considerantur, tunc quo studiosius in suorum temporum erroribus refellendis incubuere, et quo magis Ecclesia iisdem suffragata est, eò

plus ponderis obtinent in iis doctrinis confirmandis. Auctoritas enim in narrantis aut docentis pondere sita est, atque ab ipsius scientia et probitate pendet. Præterea Patres ex triplici aspectu considerandi sunt: vel enim spectantur uti fidei testes ac traditionis suorum temporum: vel uti Sacræ Scripturæ interpretes: vel denique uti privati doctores earum opinionum, quas ipsi fovent, quasque ratiocinando vel ex Revelatione, vel ex recta ratione corrivare student. Et circa hoc postremum, doctrina Patrum, quam ipsi philosophando proferunt, argumentum certum non præstabit pro dogmatibus stabiliendis, nec majus habebit pondus quàm rationes quibus ea doctrina fulcitur. Est hæc ipsius S. Augustini regula Epist. 119. ad Hieronymum, in qua ita scribit: *Ego enim fateor caritativè, solis iis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque referre, ut nullum eórum auctorum scribendo aliquid errare firmissimè credam .... Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ita ipsi senserunt, sed quia mihi vel per alios auctores, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Idem ferme scribit Hieronymus ad Ctesiphontem. Augustinus rursus Epist. 3. ad Fortun. ait se Patrum errores, sicubi sunt, modestè tamen et salva honorificentia quæ illis debetur, arguere et reprehendere, atque subjungit: *Talis sum in scriptis aliorum: tales volo esse intellectores meorum.* Et Hieron. ad Theoph. Patriarcham Alexandr. *Scio aliter me habere Apostolos, aliter reliquos tractatores: illos semper vera dicere, istos in quibusdam ut homines errare.* Non hic Patrum

quorundam sphalmata numerabimus, quorum non nulla in Theologiæ tractatione occurrunt. Tantum regulas indigitabimus, quas in eorum libris legendis Critici servandas præscribunt.

III. Itaque 1. Si quis ex Patribus docuerit, quod postea Ecclesia rejecerit, illius error salva debita reverentia refellendus est. 2. Vir Theologus sedulo cavere debet, ne quemcumque ex Patribus erroris temerè insimulet, sed ambigua illius scripta quantum fieri potest ex aliis locis excuset ac explicet. 3. Plurium Patrum sententia, ubi Ecclesia non judicavit, paucorum opinioni est anteponenda. 4. Patres benignius sunt exponendi, si ante exortas hæreses simplicius ac minus cautè locuti sunt. 5. Sæpius ex eorum scopo sunt interpretandi, ex quo verborum quibus utuntur sensus facilius intelligi potest.

IV. Si verò Patres uti Scripturæ interpretes accipiantur, tunc unus aut pauci, dum cæteri non refragantur, probabilem tantum pariunt auctoritatem: si tamen alii refragentur, res ad auctorum doctrinam ac judicium adducenda est. Quod est potissimum animadvertendum cum Patres Vetus Testamentum interpretantur, in quo ritè intelligendo pluribus in locis linguis orientalibus et arte critica opus erat, in quibus non multi periti habebantur. Qui ergo his adminiculis instructi fuerint, sunt reliquis præferendi. At si omnes Patres omnium sæculorum quædam Scripturæ Sacræ loca eodem consensu interpretantur, tunc aliquid contra moliri impium omnino censendum est. Tunc enim Ecclesiam referunt universam, quæ ut jam demonstratum est, in Sacris Scripturis interpretandis deficere nequit, cum Spiritu Sancto ducatur. Nam errores qui in

nonnullis reprehenduntur, ut error Chiliastarum, paucorum sunt, non omnium, nec omnium temporum; ut ob id immeritò et inverecundè Calvinus Patrum auctoritatem expungere conetur, ut jam vidimus cum de Traditionibus divinis ageremus. Hunc tamen consensum non in singulis Scripturarum quæstionibus, sed in rebus ad Religionem pertinentibus considerare oportet.

V. Quod si Patres uno consensu testentur, doctrinam aliquam ex Apostolica traditione Ecclesiam tenere, sive ad Fidem pertineat sive ad mores, tunc auctoritatem certam Theologo facient, nam tunc etiam universam Ecclesiam referunt. Hoc verò ita veteribus Ecclesiæ doctoribus persuasum erat, ut Christianam Religionem existimarent Traditione potius, quàm Scripturis esse statuendam, inter quos Tertullianus *De Praescriptionibus*: Sed et in his considerandum venit, Patres qui post aliquas scripserunt exortas hæreses, pluris in his quæstionibus esse faciendos, quàm qui antecessere.

VI. Septimus Locus sive Theologiæ fons est Auctoritas Theologorum, quæ ibi initium sumit, ubi series desinit SS. Patrum, a Sæculo nempe XII. et sequentibus, in quorum Operibus conservatur Ecclesiæ Traditio; ut ob eam causam hæretici omni conatu hanc auctoritatem explodere aut saltem elevare tentaverint. Satis tamen superque demonstrata sunt Theologiæ Scholasticæ bona et eximia munia, præsertim ut pertractata est a præstantibus viris antiquitus, a Petro Lombardo, a S. Thoma, a S. Bonaventura aliisque sequentibus temporibus, et nuper ab egregiis Theologia omni eruditione ornatis. Et quidem non esse Scholasticos Theologos contemnendos ipsemet Leibnitius te-

statur, qui etiam in illis veteribus plura inveniri quantivis pretii affirmat. Sanè Grotius opus suum *de Jure Belli et Pacis* totum ferme ex iis expressit, iisque non parum usi sunt Barbeyracius, Puffendorfius aliique; ut si Scholastici non elegantia et eruditione, at certè scientiæ profunditate recentioribus præstent. Cæterum Theologiæ Revelatæ studium iis omnibus prorsus necessarium est, qui vel populos docere vel cum fidei hostibus congredi cupiunt aut debent. Hinc Apostolus ad Titum n. 9. eos hortatur, *ut amplectantur eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potentes sint exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere*. Illi enim parati esse debent, *omni poscenti rationem reddere de ea, quae in nobis est, spe;* ut 1. Ep. C. III. 15. gravissimè Petrus Apostolus monet.

VI. Ad auctoritatem Theologorum auctoritas etiam adducitur Juris Canonici consultorum, ac de utraque sequentes canones statuuntur: 1. Cum inter se pugnantes sunt, atque in duas partes ferme æquales scinduntur, in fidei et morum placitis statuendis infirmum suppeditant argumentum; nec plus illorum valet auctoritas, quàm rationum momenta quibus innituntur. Hinc paucorum sed gravium auctoritas stare optimè poterit adversus multorum auctoritatem. 2. Ex Theologorum communi sententia in re quidem gravi argumenta adeo probabilia sumuntur, ut iis refragari temeritas sit. In omni enim scientia aut arte ratio ac prudentia docent, scientibus et peritis standum esse. 3. Cum omnes concordes sunt et unanimes certum ac invictum argumentum præstant in rebus fidei et morum; ut iis contradicere, sin minus est hæresis, est certè hæ-

resi proximum adjudicandum. Revera quod communi sensu unoque ore Theologi docent, id ipsum est quod universa tenet Ecclesia, quodque propterea sine piaculo oppugnari non potest.

CAPUT XI.

DE RELIQUIS LOCIS THEOLOGICIS, UBI DE HUMANA RATIONE POTISSIMUM DISPUTATUR.

I. Tres demum Loci Theologici, qui supersunt, ad humanam auctoritatem et rationem præcipue pertinentes, modo sunt breviter recensendi, quorum Octavus, unde utilia plurima in scientiam suam Theologus derivabit, est Philosophia ad quam Jurisprudentia quoque refertur, quæ veræ Philosophiæ pars est. Sed rectæ Philosophiæ usus in rationum pondere situs est, vel in consensu optimorum communi, qui est idem cum recta ratione. Quantum verò hujus facultatis studium Theologo utile non modo sit, sed etiam necessarium ex eo liquet, quod nullus athleta esse possit, juxta Clementis Alex. sententiam, qui non se prius ad certamen instruxerit. Theologus itaque, cui cum multiformibus adversariis certamen est ineundum, si multiplici non fuerit disciplina instructus, qua via, quave ratione pugnabit? Philosophia enim ea est facultas quæ mentem aperit, acuit ingenium, animi auget vires, quæque rectè ratiocinari docet, ornatè loqui, ordinatè componere atque dividere, detegere sophismata atque retundere, amphibologias dissolvere, et quæcumque omnia aptè disponere, firmare, tueri. Philosophia igi-

tur Theologo est necessaria triplici ex causa: 1. ad philosophos edocendos: 2. ad refellendos sophistas: 3. ad ornatum et ad orationis suavitatem. Nam multiplex præceptoris doctrina et delectat ac admirationem parit, atque ita auditores captat jucundè.

II. Sed quænam philosophia Theologo erit excolenda? Non contentiosa certè ac inutilis, at gravis et sobria, quæque ad verum cognoscendum ducat, et ad vana sophistarum deliramenta declinanda et refellenda aptos reddat. Ita Apostolum Paulum in medio Areopagi videmus ex mundi visibilis aspectu de unius Dei existentia, providentia, ejusdemque proprietatibus orationem philosophicè habuisse, et cum Epicureis ac Stoicis disserere non detrectasse. Oportet ergo ut eclecticam Theologus philosophiam sectetur, nempe ut optima quælibet ex philosophorum scholis hauriat, et ne in rebus supervacaneis et incertis nimis tempus terat, ut Ecclesiastes monet C. I.; sed ea philosophiæ studia sequatur, quæ ad sacram Theologiam attingendam viam sternant ac parent. Philosophorum tandem auctoritate Theologus rectè utetur, cum ex iis, in quibus prudentiores tum veteres tum recentes consentiunt, sua conflabit argumenta ad prava systemata convellenda, ad epicureismum nempe, materialismum, et idealismum revincendum, atque absurda refutabit, quæ sacræ Theologiæ fundamentis bellum frustra moliri contendunt.

III. Nono recensetur loco auctoritas historicorum, quæ inter Theologiæ fontes meritò adnumeratur, cum ex historia clarissime solidissimeque Theologus catholicam Religionem demonstret ac fidei et morum dogmata, nec non disciplinæ præcepta copiosè eruat, ro-

boretque. Et certè per plura sæcula homines de rebus Religionis non aliter fere quàm per historiam fuere instructi; atque per historiam potissimum Apostoli Christi Religionem propagarunt. Hinc S. Stephani oratio Actor. VII. relata, et plures Apostolorum sermones ostendunt, eorundem disputationes adversus Judæos, et instructiones ad Gentiles traditas in factorum narrationibus semper fundatas fuisse. Ex historia quoque Veteris ac Novi Testamenti potissimum acceptum est quidquid ad fidei et morum ædificationem in Ecclesia prædicarunt post Apostolos aut scripserunt Patres; atque optima est instruendi methodus, et Evangelium etiam infidelibus prædicandi, quæ fit per historiam, cujus methodi specimen exhibet Augustinus in libro *De catechizandis rudibus*. Quin quoad maximam hominum partem Religio melius edocetur ac discitur per historias, ut experientia ostendit, quam per ratiocinationes. Per historiam etiam vera cognoscitur et Apostolica Ecclesia, atque a spuriis et a vera alienis distinguitur; qua vera cognita et Apostolica Ecclesia, facili negotio concluditur, esse credendum, quidquid credendum docet.

IV. Sed inter humanas historias delectus omninò habendus est; quanto enim historia est utilis, tanto fiet noxia delectu contempto. Non hîc sermo est de Sacra Historia quæ idem est cum divinis Scripturis; at vero de historia Ecclesiastica atque profana, de cujus usu sequentes regulæ servandæ sunt. 1. Nulla historia non profana modo, sed neque Ecclesiastica in seipsa spectata certum præbet ac tutum de rebus ad fidem divinam pertinentibus argumentum. 2. Nonnullorum historicorum consensus, dummodo graves sint ac fide

digni, probabile argumentum suppeditat. 3. Sed ut ex historia legitimè Theologus ratiocinetur, debet simul cum historia criticen, prudentiæ regulas, ac ipsam consulere Theologiam, ne ad fidem aut ad mores, quæ ex historia eruit, applicando, in errorem labatur. 4. Tandem si probati gravesque historici in eandem rem gestam asserendam consentiant, tunc ex eorum auctoritate certum desumitur argumentum, quo Theologiæ dogmata firma ratione constituantur. Ita cum graves probatique Scriptores tradant, S. Petrum Romæ Sedem collocasse, ibique martyrium fecisse, id est pro certo et explorato habendum. Itaque probatorum Auctorum consensum rejicere summa est pertinacia ac stultitia abominanda.

V. Nihilominus contra hunc postremum Canonem tres hoc sæculo invaluere errores. 1. Eorum qui volunt, testium auctoritatem majorem tantum aut minorem probabilitatem efficere, nunquam vero rem omninò certam reddere. Qui id affirmant, nolunt animadvertere, esse moraliter impossibile, ut homines variis in locis variisque temporibus, sine condicto ullo, sine ulla utilitate in idem affirmandum conspirent quod verum non sit: id enim esset ac aliquid sine causa fieri; quod est impossibile. 2. Alter error illorum est, qui sibi confingunt, temporis decursu factorum certitudinem sensim imminui: Quod pari modo fieri nequit. Nam quod semel fuit certum in aliqua generatione hominum, in sequentibus generationibus magis potius magisque roborari debet. Non enim fit singulorum testium successio, in qua singulorum testium successione error facile immisceri posset; sed integræ generationis hoc in casu successio contingit, in qua et juve-

nes sunt et senes, quæ veluti testis perennis, qui nunquam intereat, considerari debet; et præterea eadem facta non voce tantum, sed et monumentis pluribus, et libris cujusvis nationis confirmentur, ut testimonia potius augeantur, quàm deficiant; adeo ut si non magis, non minus proculdubio certa sit ætas nostra ex. g. Imperii Augusti Cæsaris ac fuerit ipsa Augusti ætas. 3. Tertius error vult, facta, quæ vires naturales excedunt sive miracula, nullo hominum testimonio certa et credibilia fieri. Sed hic error ex alio profluit, quo quidam stulte aut divinam providentiam negant, aut a Deo rerum ordinem immutari posse nolunt. Hæc autem impia absurda in I. Sectione satis refutata sunt. Sed et facile ex eo revincuntur, quod miracula sint facta, quæ æque sub sensus cadunt ac facta naturalia, ut propterea æque affirmari possint. Ita resurrectio Lazari antea mortui et fœtidi ac postea redivivi, erat factum quoddam, quod testari æque homines poterant, ac ordinaria facta naturalia, quæ intrinsecus non repugnant. In hos errores præ cæteris lapsi sunt recenter mathematici Galli Lacroix et Laplace, qui etiam calculis mathematicis probabilitatem factorum, quæ a testium depositione pendent, subjicere conati sunt, infelici prorsus labore, cum inter effectus physicos et effectus morales ab hominum ratione ac libertate pendentes proportio nulla dari possit. Præterea assumpta, et falsas statuerunt suppositiones quæ admitti non poterant, ut eleganter ostenderunt egregius Card. Gerdilius (*Saggio d' Istruzione ec.*), et Paulus Ruffinius in suis Reflexionibus Criticis (*Riflessioni Critiche... intorno alle probabilità del M. Laplace*) ex quibus eruitur quantum ingeniosi sint homines pravi, ut sci-

psos decipiant sibique illudant in iis veritatibus, quæ ipsis displicent, oppugnandis.

VI. Recensetur tandem inter loca Theologica Ratio naturalis, quæ locum decimum occupat, et quæ licet Fidei semper famulari debeat, suas tamen in Re Theologica partes obtinet, quas antequam exponamus, nonnullorum errores circa Rationem ejusque usum cognoscere oportet. Et 1. error est Anabaptistarum, qui circa res fidei nullum rationis usum admittunt, sed ex interna quadam inspiratione tantùm judicandas esse arbitrantes, in absurda quæque labuntur, latamque fanatismo pandunt viam. Contra quos utique tenendum est, non omnem rationis usum esse ab iis doctrinis removendum quæ ad Theologiam et ad Fidem pertinent. Plura quippe in Theologicis disciplinis ope rationis declaranda et demonstranda sunt, ut cum de existentia Dei, unitate, providentia, cæterisque divinis attributis disserendum est: vel cum de animorum immortalitate, de libero arbitrio, ac de præmiis et pœnis futuræ vitæ tractandum: aut denique cum exponenda sunt et demonstranda motiva *credibilitatis*, quæ divinam Revelationem, sanctamque Religionem ac debitum Deo cultum ostendunt. Abdicato enim quocumque rationis lumine quanam via hæc maximi momenti principia comprobari possent? Meritò hinc Huetius reprehenditur, qui, in *Quaest. Alnet.* ac in Libello *De imbecillitate mentis humanae*, cum nihil humana ratione certò sciri posse contenderit, ad solam revelationem tanquam in tutum portum esse confugiendum docuit. Nam licet mens nostra brevis sit, non inde sequitur nihil a nobis certò ac evidenter sciri posse; cum hæc brevitas efficiat quidem ne omnia evidenter perci-

piamus, ne plura simul, non autem ut quæ evidenter percipimus sint falsa: quemadmodum brevis oculorum vis efficit ne distantiora, ne minutiora videamus; non ut ea esse, quæ clarè cernimus, dubitemus. Qui ergo contra opinantur, dum tutam stationem inquirunt, lumen illud extinguunt a Deo nobis concessum, quo viam tenere, ac dignoscere portum queamus: latissimam præterea fanatismo viam pandunt, Anabaptistæ potissimum interna illa inducta inspiratione, qua nullus est error qui per illam invehi non possit, nec est deterior pestis Religioni et reipublicæ, ut luctuosa experientia docuit. Fanaticus autem dicitur qui falsò a Deo se inspiratum existimat in iis quæ pro religione aggreditur; quare fanatismi vocabulo cæcus intelligitur religionis zelus, quo quis inflammari posset ad facinora quælibet pro religione audenda. Hinc olim divini dicebantur *fanatici*, quod in Fanis deorum responsa darent.

VII. Secundus error est Socinianorum, qui æquo nimium rationi indulgentes, unicam eam volunt esse regulam, qua revelatum a non revelato secernatur, Scripturarumque sensus determinetur, de quo errore jam supra disputatum est (Sect. III. Cap. III. et IV.). Hinc mysteria si rationi eorum non arrideant ab eis rejiciuntur, et loca Scripturarum, in quibus illa asseruntur, ad metaphoricos et alienos sensus detorquere conantur. Contra quos affirmandum est, humanam rationem unicam non esse credendorum regulam, sed multa supra rationem esse a Deo revelata, quæ captum humanum superant. Est enim mens nostra plurium ignara et imbecillis ut ea quæ finita et limitata est. Quare nisi divina regatur auctoritate in pluribus ob

affectus inordinatos in sensu suo abundat, ita ut si res fidei et morum illius relinquantur judicio, nihil sit quod non pervertat aut destruat, ut experientia et in hoc edocemur. Quæ sunt igitur humanæ rationi impervia, cum constiterit a Deo revelata fuisse, fideliter credenda sunt, nec ex quo nequeant comprehendi, id eorum veritati ac securitati nocet, ut in naturalibus multis contingit, quæ licet quomodo se habeant non assequamur, experientia tamen certi reddimur, illa esse. Tunc nobis enim accidit quod in cæcis natis contingit, qui ratiocinio nullo queunt assequi lucis phœnomena, nec quomodo in superficie plana corpus solidum repræsentetur, et alia hujusmodi. Plura sunt ergo quæ comprehendi nequeunt, quæ tamen ut credantur æquum et necessarium est. Hinc stultè nonnulli gloriantur, se nihil credere nisi quæ ipsi intelligunt; qui et cæci sunt, si omnia quæ mente tenent se perfectè comprehendere arbitrentur. Imo qui plus ingenio ac sapientia valent, rerumque naturam intimius contemplantur eo magis essentias rerum esse occultas, earumque operationes arcanis imperviis obsitas vident; ut si quis hæc adyta permeare posset, ea certè narraret, quæ magis incomprehensibilia nobis viderentur, quàm cæcis natis phœnomena lucis appareant. Rerum igitur incomprehensibilitas causa esse non debet ob quam ipsis denegetur fides. Quare non contra rationem, sed est maximè rationi conforme ea credere, quæ tot argumentis Deus nobis revelasse ostendit, ut hinc *rationabile* omninò sit *obsequium nostrum*, cum a ratione edoceamur, Deum existere providentissimum, qui necessaria nobis ad assequendam felicitatem revelavit, et quinam hujus Revelationis sit legitimus interpres agno-

scendus docuit, *ne omni vento doctrinae circumferremur;* quibus optimè cognitis et ope rationis perspectis, tunc certè æquum est, ut ratio fidei planè obsequi debeat et famulari.

VIII. Tertius error illorum est, quibus duplex distinguere placuit veritatum genus, alterum rationis, alterum fidei; iique contendunt, unum alteri posse adversari, ac utrique nos tunc parere oportere; quæ fuit Pomponatii opinio. Verum constat, rationem Fidei adversari non posse, ut inde admitti nequeat duplex opposita veritas, naturalis et supernaturalis. Quare Concilium Lateranense V. eos damnat, qui verum contradicere vero autumabant. Revera si posset id fieri, duo contradictoria esse vera simul possent, atque idem posset simul esse et non esse, ita ut posset Deus revelare, quod esset metaphysicè falsum; quod est prorsus impossibile; cum lumen rationis et lumen revelatum ab eodem Deo sit, qui cum sit summè verax, sibi contradicere nequit. Pomponatius autem aliique hanc invexere opinionem, quod putaverint Trinitatis et Incarnationis Mysteria rationi esse contraria, quod falsum esse Theologi non modo, sed et plures philosophi demonstrarunt.

IX. Quartus tandem error est Petri Bayle, qui non adstruit quidem duplicem sibi adversam Pomponatii veritatem; at contendit, Fidei mysteria posse rationibus evidentibus impugnari. Quod frustra opinatur, cum falsa nunquam possint rationibus evidentibus adstrui. Alioquin. 1. Sequeretur, evidentiam non esse veritatis tesseram. 2. Fieri posse ut idem simul verum demonstretur et falsum. 3. De omnibus proinde esse dubitandum, ex quo pyrrhonismus inveheretur univer-

salis. Quæ omnia absurda sunt, et cunctis ratione pollentibus indigna. Verum Bayle hoc sibi suasit absurdum, quod crederet, aut potius fingeret, argumenta quæ contra Fidei mysteria proferuntur vera gaudere evidentia, cum tamen nihil sint aliud quàm paralogismi sæpius a Criticis et a Theologis exsufflati. Nec est quod Bayle ad varios recurrat evidentiæ gradus. Nam aut veritas impugnatur evidentia tantum apparenti, aut verisimili argumento; atque tunc argumentis verè evidentibus minimè oppugnatur: Aut vera impugnatur evidentia quocumque in gradu sit, atque in dicta absurda, et in pyrrhonismum tunc labimur universalem. Nunquam ergo fieri potest, ut veritas per evidentiam oppugnetur. Quæ cum ita sint, videamus potius quænam circa usum rationis Regulæ sint observandæ.

X. Sit ergo Regula. 1. Si physicæ evidentiæ refragetur clara Dei auctoritas, sensuum evidentia fallax habenda est. Clara enim Dei auctoritas est ipsa veritas et Dei ratio quæ sensibus præponenda est. Quod si clara non fuerit, nondum a physica evidentia erit discedendum. 2. Mathematicæ seu metaphysicæ evidentiæ clara Dei auctoritas refragari nequit; cum sit utraque a Deo, qui sibi contradicere non potest, ut dictum est. 3. Si evidentiæ mathematicæ adversari videatur Dei auctoritas, aut illa evidentia non est, aut hæc non intelligitur. Ut ergo illa perpendatur, sensus communis: ut hæc clarè intelligatur, Ecclesia est consulenda. Sicut enim consensus optimorum communis est evidentiæ judex; ita divinæ auctoritatis interpretandæ Magistra est Ecclesia cui divina Eloquia concredita sunt (1).

(1) A. Genuensis *Artis logico-Crit.* Lib. 3. C. 3. Murato-

XI. Et hæ quidem sunt regulæ circa usum rationis servandæ, quas cum plures in Re Theologica pertractanda tenere noluerint, in errores et absurda maxima lapsi sunt. Sed cum per naturalem rationem non aliud hîc intelligatur nisi rectus ipsius rationis sive intellectivæ facultatis usus, hinc propriè inter Loca Theologica adnumeranda non esset. Non enim ex ea revelata doctrina eruitur, sed est tantum instrumentum quoddam et adminiculum quo ex aliis Locis educitur Sacra doctrina. Hinc ratio naturalis non modo non inutilis, sed est necessaria habenda; cum sine illius auxilio Theologus neque possit ex aliis Locis Sacram Doctrinam eruere, neque erutam aliis probare et persuadere queat, aut adversus impugnatores defendere. Quare eleganter M. Canus ajebat (Lib. IX. Cap. IV.) *Quid enim interest, ratione animi sublata, non dico inter rusticum et Theologum, sed inter Theologum et pecudem, aut saxum etiam aut truncum .... Itaque vacillabit fides, nisi fidelis; quod Petrus ait, paratus sit rèddere rationem, id quod sola fide sine ratione fieri non potest ... Quocirca hoo quidem constat Theologis, inter Theologos necessariam esse rationem, quae est disputationis cujusque fons a natura constitutus. Quid? quod gratia non tollit naturam, sed perficit: natura gratiam non repellit, sed suscipit? Sacra igitur Theologia humanae naturae rationem non abjiciet. Multa etiam in Theologiae principiis continentur, ut vidimus, quae nisi naturali ratione et discursu intervenien-*

ri *de Ingeniorum Moder.* L. 1. Gerdil *Saggio.* pag. 91. Bergier Art. *Raison*. De la Mennais *Essai sur l'indifférence* etc. Tom. 2. C. XIII.

te, intelligi et explicari non possunt. In principiis verò ipsis haerere, a consequentibus et repugnantibus oculorum aciem sevocare, stultum erit. Rationem item si a Theologia submoveas, Theologia ipsa et vim amittet et nomen. Nec enim quidquam aliud est Theologia, si interpretari velis, quam sermo ratioque de Deo. Si autem rem ipsam quaeras, est, ut a veteribus Theologis definitur, Rerum divinarum Scientia: Scientia verò, ut Aristoteles demonstravit, non nisi per syllogismum quaeritur.

XII. Ratio itaque naturalis ad tria potissimum in Theologia utilis est ac necessaria: Hujus enim ope ad fidem adducuntur exteri: in fide confirmantur fideles: et contumaces demum revincuntur. Sed postremò unum est monendum, ut nempe Theologus nec nullum usum, nec usum nimium rationis faciat naturalis. Nam primum Theologum reddit superstitiosum, alterum facit libertinum. Licet enim velit Deus O. M. ut sit rationabile obsequium nostrum; tamen est captivandus intellectus noster, uti par est, ac monet Apostolus, *in obsequium fidei*. Aequum præterea est, *non plus sapere quàm oportet sapere*, juxta eundem Apost. *sed sapere ad sobrietatem*. Ne videlicet nimium rationi tribuendo stultos illos philosophos imitemur, qui evanuerunt in *cogitationibus*, sive, ut græcus habet, *εν τοις διαλογισμοις αυτων*, nempe, *in ratiocinationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum*: dicentes enim se esse *sapientes stulti facti sunt*, ut gravissimè idem Apostolus animadvertebat (Rom. 1.), atque ut quotidiana experientia confirmat.

COROLLARIUM

Postremo hic dissidentes adhortamur, deviosque omnes quotquot sunt, ut si veritas eis cordi est, ablegato partium studio, aut pravis affectibus compressis, a quibus frequenter decipimur, quæ disputata sunt ad trutinam velint revocare. Hoc si fecerint, non ambigimus, quin ad rectum Fidei tramitem sint reversuri, sibique eam comparaturi felicitatem iis dumtaxat rependendam, qui omnia fecerint et crediderint, quæ divinitus præcepta sunt. Ne quis autem miretur, si nonnunquam in heterodoxos duriora quædam prolata sunt, quæ vellemus, ut accipiant non odio in eos, sed in errores fuisse dicta; a quibus nemo satis abhorrere posset. Hi potius recogitent, in tanta, quæ in mundo viget, circa Religionem pugna et dissensione, unam solummodo esse veram posse, quam Deus probet, et quam docuerit hominum genus. Id autem præstitit Deus O. M. tot tantisque signis, apertisque argumentis, ut qui veram hanc Religionem contempserit, aut ignoraverit, non claræ manifestationis defectui, sed utique, ut sibi imputet, æquum fuerit (Ex Sect. I. Cap. IV. et V.) Eam itaque fuisse a Christo Domino Salvatore nostro orbi universo annuntiatam, nemo non viderit, nisi qui, ne illam perspiciat, sibi oculos ademerit (Ex Capp. XVI. et XVII. ejusd. Sect.).

Cum autem non paucæ adsint societates, quæ Christi nomine gloriantur; unicam earundem, quam Deus germanam et ratam habeat, Catholicam esse Ecclesiam, tanto argumentorum pondere contra rebelles et pertinaces ostensum est, ut qui iis contentus non fuerit, neque persuasus existat, vereor, an is etiam Sol sit, an nullus sit, dubitare velit (Ex Sect. I. C. XVIII. nec non ex tota Sectione III.). Enim vero eam Ecclesiam non modo Christi Cultores noverunt omnes, sed et infideles ipsi, hebræi præsertim et muhammedani eam cognoscunt, et a spuriis hujus nominis societatibus probe secernunt, ut cum Christiani fieri voluerint, hanc præ cæteris amplectantur. Sed præterea a veritate defecisse, facile viderint heterodoxi vel ex eorum discessione ab antiquæ Ecclesiæ sinu, vel ex nova, diversa, et varia doctrina, quam identidem secuti sunt, vel ex dissensionibus quæ fervent inter seipsos, vel ex rejectione doctrinæ ac disciplinæ veteris, quibus non nisi errores subrogarunt, cuncta scilicet destruendo, et nequidquam ædificando; quæ omnia manifestæ falsitatis signa sunt; atque demum, ne singula percenseamus, ex nullis motivis, nullisque rationibus, non miraculis, non argumentis ullis, quibus ducerentur, ut crederent hominibus iratis et flagitiosis, qui ad rebellionem, ad rapinas, et ad effrænem conscientiæ libertatem vocabant, impie posthabita summa in terris auctoritate a Christo Domino constituta, cui omnes pareant necesse est, si salvi esse voluerint. Cum itaque sint hæc omnia errorum aperta indicia, incredibile videretur, eruditos alioquin homines ea hæreseos phrenesi adhucusque teneri, nisi illud Apostoli dictum cunctos moneret,

quod nempe *scientia inflat, charitas verò aedificat.*

Tandem devios omnes et præsertim incredulos ad rectum rationis usum adducere conati sumus; qui hac præstantissima facultate abutuntur, qua ut veritatem agnosceremus, cælestemque Religionem lubentes amplecteremur, instructi divinitus et exornati eramus. Sed cum nullum sit Dei donum quo perversi homines non abutantur, hinc infeliciter contigit, ut ex ipso rationis abusu tot hæreses et monstruosi errores in mundum eruperint, qui postquam mala peperere plurima, cum hominum sint commenta, quantocitius cadunt; at veritas semper constans suisque defixa radicibus perpetuò manet. Abusus itaque rationis a prudentibus cautè fugiendus est; quod certè fiet, si regulæ serventur communi optimorum consensu firmatæ, quæque postremo Capite traditæ sunt, ut nobis præcaveamus non modo ab insidiis et erroribus hominum ambitiosorum, sed et ab ipsis ingenii nostri præstigiis et illusionibus. Quod si fiat, non dubitamus, quin ea quæ tota Sectione Prima pertractata sunt, recta et invictè ostensa ita habeantur, ut hæsitationibus ablegatis (in quibus ab incredulis perplexè vivitur cum divinæ providentiæ injuria, quasi hæc non satis consuluerit hominum felicitati), Sancta Religio probe dignoscetur, eique perfectè adhærebitur, a qua nisi inexcusabili ignoratione, aut ob morum corruptelam nemo recedit. Et quidem hæc vera Religio tantum abest, ut examen doctorum hominum reformidet, ut nihil potius optet, quam ut sincero corde expendatur. Id quippe plures docti prudentesque viri fecere, atque Deo opitulante ad veritatem hilari corde amplectendam reversi sunt: hoc ipsum præstent quot-

quot ab erroribus et a ruina cavere cupiunt, ac tandem aliquando veritate potientur, atque ita ea properare facient beata tempora, quibus juxta divinum Oraculum (Joan. X. 16.) *Fiet unum Ovile, et unus Pastor*.

FINIS

INDEX

CAPITUM ET ARGUMENTORUM

QUÆ IN HOC II. VOLUMINE

HABENTUR



In Volumine I.

SPHALMATA QUAEDAM EMENDANTUR.

P. V. I. 23.	breviores	breves
173. 20.	suppositios	supposititios
196. 27.	societatem	sanctitatem
257. 2.	nunquam	unquam
288. 3.	ex Philone	quod ex Philone
359. 20.	βαπτιξω	βαπτιζω
375. 30.	Sacrarum	Sacrarum Scripturarum

In Vol. II.

P. 116. 27.	autenticis	authenticis
207. 33.	Pitiliano	Petiliano

Cætera indulgens Lector facile condonabit.